SUPPLEMENTORUM
AD
LEXICA HEBRAICA

PARS TERTIA

LITERAS ו, ז, ET ח COMPLEXA.

Prostat in bibliopol. viduae VANDENHOEKIAE.

AVERTISSEMENT.

Da ich meinen Pränumeranten den 3ten Theil dieser Supplemente übergebe, muss ich zugleich anzeigen, dass der letzte, mit welchem die sieben Alphabete, auf die pränumerirt ist, voll werden, auf Michaelis dieses Jahrs fertig seyn, aber auch nur kaum die Hälfte des unter den Händen gewachsenen Vorraths, etwan bis zu Ende des Buchstaben ל *erschöpfen wird. Ich habe gleich Anfangs diesen Fall erwartet, und daher im ersten Avertissement ausbedungen, dass alsdenn auf die noch übrigen Alphabete pränumerirt würde, wenn man das ganze Werk haben wollte: wiewohl ich nicht dachte, dass der Ueberschuss so gross seyn würde. Der Buchstab* ח *hat ausserordentlich viel Bogen erfodert, wie man leicht sieht, deshalb, weil er eigentlich zwey Buchstaben,* ح Hha *und* خ Cha *unter sich begreifft. Ich sehe, es sind nun noch sieben, oder gar acht Alphabet zu drucken. Bey dem etwas zu geringen Pränumerationspreiss auf die 7 ersten Alphabete, bin ich nicht gut zurecht gekommen, ich setze also die Pränumeration auf die noch rückständigen 7 oder 8 Alphabet auf drey rthlr. in Louisdors zu 5 rthlr. und zwar diese in vollwichtigen Französischen oder Preussischen oder Braunschweigischen Louisdors postfrey übersandt. Das Exemplar auf Schreibpapier kostet 4 rthlr. Nicht um meines Vortheils willen, sondern um den Käufern das Buch so wohlfeil zu liefern als möglich erwähle ich den Weg der Pränumeration wieder: sie werden dis schon an den ersten 7 Alphabeten sehen, die sie um mehr als die Hälfte wohlfeiler erhalten haben, als diejenigen sie bezahlen müssen, die sie jetzt nach dem Ladenpreis kaufen. Es versteht sich also von selbst, dass ich niemanden meiner bisherigen Pränumeranten die Fortsetzung der Pränumeration aufdringen, oder aufermahnen will, wenn er sie nicht selbst vortheilhaft findet.*

Einzelne Pränumerationen kann ich nicht annehmen, nie unter zehn, ohne mich in zu viel Rechnungsgeschäfte einzulassen: ich ersuche deshalb diejenigen Freunde, die auf die erste Hälfte Pränumerationen eingenommen und besorgt haben, solches bey dieser zweiten Hälfte gleichfalls zu thun: wäre ihnen aber dieses beschwerlich, oder bey veränderter Wohnung unmöglich, (einige unter ihnen sind nicht

ein-

einmahl mehr auf diesem Erdboden) so sind die pränumeriren wollenden wol so gütig, selbst unter sich einen Einnehmer und Uebersender der Pränumerationen auszumachen. Wer auf 10 Exemplarien pränumerirt, bekommt, wie vorhin, das elfte darüber: auf andere Berechnungen aber, auf Pro-Cente, wenn unter 10 genommen werden, kann ich mich nicht einlassen, auch muss, wie schon gebeten, die Pränumeration postfrey übersandt werden.

Dabey erbietet sich abermahls der Herr Prof. Vollborth, einzelne Pränumerationen so wohl von hiesigen, als Auswärtigen, anzunehmen, jedoch so dass Auswärtige sie ihm völlig postfrey übersenden, auch ihr Exemplar von ihm abfodern lassen, ohne dass er es selbst zu übersenden nöthig habe, als welches Kosten verursacht. — — Wer keinen dieser Wege der Pränumeration wählen kann, und doch die Supplemente verlanget, muss sich gefallen lassen, sie künftig aus dem Buchladen zu kaufen, da aber der Natur der Sache nach der Preis wenigstens noch einmahl so hoch seyn muss.

So bald der Anfang mit dem Druck der zweiten Hälfte gemacht ist, kann keine Pränumeration mehr angenommen werden: wie ich denn auch die sieben ersten Alphabete niemanden mehr für den Pränumerationspreis überlassen kann, sondern wer die haben will, muss sich den Ladenpreiss von, ich weiss nicht eigentlich wie viel, aber ohngefähr 6 rthlr. gefallen lassen.

Es fällt mir allerdings bey, dass ich vor völliger Endigung dieses Wercks sterben könnte: aber auch auf den Fall ist für die Pränumeranten gesorgt. Hinterliesse ich nicht das ganz geendigte Mscr. so bekommen sie für jedes an sieben mangelnde Alphabet zehn gute Groschen zurück.

Göttingen den 26. Febr. 1786.

Michaelis.

ו Vau copulativum, *et.*

Non de significationibus particulae, quam aliqui nimis multiplicarunt, (vide enim grammaticam Ar. p. 235.) nec de praefixione, per Schva, Chirek, Patach, &c. ago, cujus praecepta, ex masorethicis hausta punctis, grammaticae relinquo. Id unum monuerim, has praefixionis leges linguae Syriacae magis, quam Arabicae, nec tamen prorsus consentaneas esse, nec illis concinere, qui ante punctorum inventionem Hebraica nomina literis graecis latinisque scripserunt. Vide e. g. Hexapla Genes. I, 2. וְהָאָרֶץ Ουααρες, וְחֹשֶׁךְ Ουωσεχ Hieronymumque in commentariis, Ez. 40. וְרֹחַב *UROB*, 41. וְרָאִיתִי URAITHI.

וַ *Vau conversivum futuri.*

Fuerunt, quibus Vau conversivum futuri suspectum, merumque visum est grammaticorum et lexicographorum commentum, quod non intelligerent, quo modo particula ET hoc efficere, futurumque in praeteritum mutare possit. Hi quidem Arabicarum literarum plerumque imperiti, ante omnia docendi sunt, futurum Arabicum non esse Latino germanicove simile, sed potius aliquem aoristum, qui aliis particulis ad futuri, aliis ad praesentis, aliis denique, (لَمْ et لَمَّا) ad praeteriti significatum adstringatur: (vide grammat. Ar. §. 37.) quod ergo apud Arabes certissimus linguae usus particulis dat, idem et Hebraico Vau concedi, modo usus et exempla, satis larga manu ab aliis allata, jubeant, fas est.

Est vero ante omnia notandum, Vau conversivum futuri rebus, quae in oculos etiam atque aures incurrunt, a Vau communi, ET, differre, ut

1) quod, aliter praefigitur, per Patach et Dagesch forte, unde nec mirandum, וַיִּכְתֹּב *Vajjichthob* aliud significare, quam וְיִכְתֹּב *Vejichthob*

 2)

2) quod tonum retrahit, וְיֹאמַר *Vejomár*, dicet, וַיֹּאמֶר *Vajjómer*, dixit. Possit forte et ipse tonus aliquid ad restrictionem hujus aoristi facere, plane ut in praeteritis, quorum mutata in futurum significatio non tam a Vau conversivo quod dicunt praeteriti, quam a mutato tono pendere videtur, *Katáltha* occidisti, *Kataltha* occides,

3) quod ob hanc ipsam toni retractationem non raro vocalem mutat, ut, וְיֵלֵךְ *et ibit*, וַיֵּלֶךְ *ivit*.

Haec si quis, ut ex solis punctis pendentia, atque, ut infra videbimus, Origeni ante puncta viventi, ignota, repudiet, addo, quas repudiare non potest, ipsarum abjectiones literarum, ut

4) apocopen tertiae rad. He, וְיִגְלֶה *et migrábit*, וַיִּגֶל *migravit*, ubi manifestum, Vau praefixum in futurum aliquid valere, ejusque significationem mutare: apocope enim non promiscue fit, sed secundum certas leges, post particulam futuro conjunctivum inducentem, aut in constructione idem faciente, e. g. יהיה *erit*, vel, *fiet*, יהי *sit*, vel, *fiat*, אל יְהִי *ne sit*, quibus nostra accedit tertia apocope, ויהי

5) quod post illud Vau et Jod quiescens mediae radicalis excidere solet, e. g. a יָמוּת *morietur*, et יָקִים *stare faciet*, cum Vau conversivo dicimus וַיָּמָת vel in pausa וַיָּמֹת *mortuus est*, וַיָּקָם *stare fecit*, utraque litera post Vau simplex manente, וְיָמוּת, וְיָקִים.

Notari autem velim, idem et particulas لم ac لمّا facere, Arabum futurum in praeteritum mutantes, ut يمسي *ibit*, لم يمس *non ivit*, يقوم *stabit*, لم يقم non stetit.

Unde orta sit haec, reliquis linguis Orientalibus ignota, ab eorum Vau copulativo tot indiciis diversa particula, non nisi conjicere licet. Quid? si a היה *factum est*, *accidit*, pro quo ex prima origine dicendum הָוַי Arabice هوي *cecidit*, *accidit*. Est haec, ut philosophorum

phorum nomine utar, hypothesis, hanc quidem ob caussam plurimos veritatis numeros habens, quod ex ea, quidquid in Vau conversivo futuri observamus, explicari, ejusque ratio reddi potest. Fac verbo יִקְטֹל, aut, ne studio partium Jod initiale captare videar, תִּקְטֹל, praemitti הָוֵי in eandem vocem contractum, *accidit ut occideret*, הָוֵיתִקְטֹל, primo verisimile est, in frequentissima et quovis momento recurrente compositione, ה abjectum iri, וֵיתִקְטֹל, Jod autem abjectum, et compensatum, ut saepe apud Arabes fit, apud Hebraeos aliquando, וַתִּקְטֹל. Sic jam formam grammaticam et praefixionem expedierimus. Futurum, sic constructum, *accidit ut occideret*, conjunctivi modi erit: jam non mirum, eandem illud apocopen tertiae radicalis He pati, quae futuro conjunctive sumto consueta est. Ipsa syncope mediae radicalis Vau, futuro conjunctive sumto quodammodo peculiaris, יָמוּת *morietur*, אַל יָמֹת *ne moriatur*, sed hoc non in argumentis pono, quod non eodem consensu exemplorum probari potest. Agam tamen de hac syncope, ubi fas est, in grammatica.

Hinc et intelligitur Vau conversivum futuri proprie non copulativum esse, licet copulativum Vau, ubi eo opus, includat: *et dixit* enim nolis וְיֹאמַר efferre, difficulter et cum insigni cacophonia, sed וַיֹּאמֶר. Accidit tamen, ut hoc ipsum Vau conversivum ponatur, ubi nullus plane copulativo ET locus, ut

1) in initio librorum, וַיְהִי *factum est*, proprie, *accidit ut fieret*, e. g. Jos. I, 1. Jud. I, 1. 1 Sam. I, 1. (continuari praecedentem librum fingunt interpretum οἱ πολλοὶ, faciant, ut lubuerit, licet Josuae librum Salomonis tempore nondum scriptum fuisse, certo probare posse mihi videar, unde nec continuatio pentateuchi esse potest, nec Judicum liber, multo antiquior, continuatio libri Josuae. Sed haec interpretationis calumnia nihil ad hos, quos nunc

nominabo libros) Ruth. I, 1. Ezech. I, 1. Jon. I, 1. Esther. I, 1. Quod hic commenti sunt, Hebraeos libros ab *ET* ordiri, in ipsam prope injurium est linguam Hebraicam, quis enim tale quid sanus faciet, nisi forte jocandi et ridendi caussa? Habemus quidem Germani UND admirativum, a quo aliquando librum serii incipere possumus, (*Und ich soll es wagen, von — — zu schreiben!*) sed eo ditare linguam Hebraicam nemo velit. Dicendum potius, Vau ויהי in his plane non esse copulativum.

2) Alibi quoque in orationis initio, ut Jes. VII, 1. Malach. III, 16. *colloquuntur inter se religiosi,* (jam sequuntur verba colloquii ipsa) וַיַּקְשֵׁב *auscultat Jehova et audit, liberque scriptus est coram illo.*

Caeterum fateor, Origenem Vau conversivum a communi, ubi Hebraica-graecis literis exprimit non distinguere, quippe quod per OY et OYE exprimere solet, e. g. Genes. I, 3. Ουιωμερ 4. Ουιαρ 5. ουιει 7. ουιαας &c. &c. Quod quidem opponi illis potest, quae de Vau conversivo ab הוי orto supra conjeci. Veri illa similia, si puncta masorethica sequaris, eorumque auctores veram nobis literae adpellationem tradiderunt; disparent, si sequaris Origenem. Sed meminerimus et hunc, magistrosque a quibus Hebraica didicit, erroris non expertes esse, eumque inter et masorethas dubitari posse.

וְדָן Ezech. XXVII, 19. *Vadan, regio inter Vadi Meidam et Vadi Zabid, Arabiae Felicis.*

De ודן egi in spicilegii P. II. p. 168 – 171. ante omnia rationem reddens, cur non cum punctis וְדָן, (*et Dan*) sed וְדָן legam, ita ut Vau pars nominis sit: nempe Vau copulativo nullus hic locus, nec uspiam in toto capite illud primo nomini proprio in initio versus vel sententiae praeponitur. Nomen Arabicae urbis vel regionis est, prope Sanaam,

Ara-

Arabicis literis وَدَّان fcribendum, i. e. *duo* fluvii. Jam cum Gobla (جُبْلَة) *urbs* fit, *Sanaam inter et Adanam in montano tractu, ad duos fluvios, unde civitas duorum fluviorum* (مدينة النهرين) *vocatur*, tefte Abulfeda, verifimillimum mihi vifum, Vadanam Ezechielis non ipfam quidem Goblam, fed regionem circa illam effe, duobus fluminibus inclufam. Quibus ibi copiofius dictis adhuc addo, duos hos fluvios, ut ex tabula Jemenae Niebuhriana circa gradum latit. decimum quartum videbis, effe, *Vadi Meidam*, et *Vadi Zebid*, quos inter, haud procul a loco ubi oriuntur, (ut ipfe جبلة literis Latinis fcripfit) *Dfjöblam* invenies. Fontes, ipfique Goblam usque rivi, fibi proximi, fed inde in diverfa ad Auftrum et Occidentem dilapfi, mifcentur, Vadi Meidam Indico mari, Vadi Zebid finui Arabico, fatis magnam complexi Mefopotamiam, commerciis Judicis, quae laudat Ezechiel, opportuniffimam, ipfamque adeo Moccham. (Caeterum eadem in tabula haud procul Gobla *Uddenam* inveniens, noli eum ודן conferre, aliis enim literis Arabicis عدين nomen fcribitur, ut ex Niebuhrii Arabia p. 245 difces).

וו *uncinus*.

Nomen in folo Mofe, ubi tabernaculum conventus defcribit, obvium, Exod. XXVI, 32. 37. XXVII, 10. 11. 17. XXXVI, 36. 38. XXXVIII, 10. 11. 12. 17. 19. 28. illud in columnis defignans, ex quo aulaea fufpendebantur: vocabulum vel hanc ob cauffam memoratu digniffimum, fi vel de ejus ambigi fignificatione poffit, quod literae alphabeti fextae Vau ab illa nomen ductum, inventorem alphabeti Phoenicem arguens, quod dicens, fumo, linguam, quam nos Hebraicam dicimus, Phoeniciam fuiffe, de quo vide fub כנען. Nempe cum manifeftum fit, inventorem alphabeti nomen literis dediffe, quod ab illis ordiatur, primo nullum habet lingua Hebraica vocabulum a Vau

 ordi-

ordiens, praeter nostrum, deinde hoc unicum vocabulum, a quo litera dicta, reliquae Orientales, Arabica et Aramaea plane ignorant, ex quo certe consequitur, ut inventor alphabeti non Arabs fuerit, non Aramaeus, sed Cananita, qua a gente Israelitae sic dictam linguam Hebraicam, per majores 215 annos in Palaestina degentes, tralatitiam acceperunt.

Gloriatur in hac litera Coccejus, antiquitatis alphabeti Hebraici defensor, (quam quaestionem, alphabetum inter Hebraicum et Samaritanum vel ipso auditu insulsam, cur mirer unquam a viris plus quam mediocriter doctis agitari, et sive Hebraicos characteres, sive Samaritanos, generatim ultimae antiquitati adseri potuisse, intelliges lecta orientali biblioth. Tom. XXII. num. 328.) *hinc*, inquit, *liquet apud Hebraeos genuinam esse formam literae sextae, quae clavo, sive paxillo, aut unco convenit.* Fateor, Hebraicam figuram, qualis nunc est, modo horizontaliter ponatur ⌐ uncinum ex quo aulaea suspensa satis bene simulare, verum quis Samaritanae figurae, quis Phoeniciae, neget, ab ejusmodi uncino aulaea pendere potuisse? Ergo ex litera Vau de hac quidem lite arbitrari nolim, sed malim ex figura Hebraica, Samaritana, Phoenicia, modo id certo fieri possit, discere, qua forma fuerit uncinus, ex quo aulaea sanctuarii pendebant? Id unum quidem video, horum consensu alphabetorum, non *circulum* fuisse quem nos *Gardinen-Ring* dicimus: circularem enim formam Vau non nisi in recentissimis Orientalium alphabetis, ut Syriaco (ο) habet.

ואו Jes. XVIII, 2. 7.

Pagina 164. monui, בזאו forte non verbum esse primae radicalis Beth, sed זאו cum ב praefixo: quod suspicandi occasionem dederunt LXX, v. 2. NYN vertentes, (νῦν οἱ ποταμοὶ τῆς γῆς) ac si idem esset cum בזו *in hoc*, sc. tempore, et v. 7. *in parte*, ὅ ἐστιν ἐν μέρει ποτα-

ποταμοῦ τῆς χώρας αὐτοῦ. Certi quid, et quod vel mihi ſatisfaciat, non habeo, tentemus tamen, et experiamur, quid ex זאו effici poſſit.

1) Poſſitne eſſe Arabicum ذات Hebr. זאת, *ipſeitas, res ipſiſſima,* monentibus etiam lexicographis a ذو maſculino ortum? Sic verterem, *cujus terra in ipſis ſita eſt fluminibus,* i. e. fluminibus undique cingitur, vel etiam ſolſtitiali tempore, ut fieri in Africa media ſolet, inundatur. Aut ſi hoc diſpliceat, leviter poſſis immutare: ذو Arabibus etiam, *habens aliquid, dives rei,* ea fere conſtructione, qua Hebraei ſuum בעל ponunt, poſſit ergo ſita dici in זאו נהרים i. e. *tractu fluviis abundante et largiter rigato.*

2) Poſſitne ſuperbiam ſignificare, a زأى *ſuperbivit,* hac ſententia: *cujus terra in ſuperbis eſt fluminibus,* illis ſive cincta undique, ſive et aeſtate inundata?

3) Nec intactam relinquam conjecturam, cujus poſſit forte alicui in mentem venire. Aeſtate in Africa media quotidiani imbres et terribiles, quibus flumina intumeſcunt, magnasque regiones, ut Aegyptum ſubmergunt. Suſpicari ergo poſſis, זאו nomen *Maji* menſis eſſe, alias זו ſcriptum, verſumque Jeſaiae vertendum: *cujus terra Majo eſt flumina,* i. e. nil eſt praeter flumen, nec vero de Aegypto intelligere, quae Septembri demum menſe mare eſt, ſed de aliis auſtralis Africae regionibus. Verum huic conjecturae una obſtat, — rerum natura, Majo enim menſe adhuc ſudum, Junio demum, et vero vergente, pluviae ſtatae incipiunt.

Ex tribus mihi ſententiis prima praeplacet.

זאת

Pronomen demonſtrativum generis fem. notiſſimum, cujus maſculinum eſt זֶה. Idem eſſe videtur, quod Arabicum ذات *eſſentia, ipſei-*

ipseitas. Notari ejus velim positionem satis singularem; quae et punctatores impedivit, ultimam syllabam sine vocali relinquentes, Jerem. XXVI, 6. הַזֹּאתָה adjecta nota masorethica, *He superfluum.* Nempe puncta referenda ad lectionem הזאת sine He, quam triginta novem codices habent, Kennicotto consulti: at lectio textus his vocalibus efferenda, הַזֹּאתָה *hanc ipsam urbem*, זאת cum praefixo et suffixo.

Alia insolentior etiam ac difficilior constructio Zachar. V, 7. וזאת אשה אחת, quae verba verti nequeunt, *haec mulier*, 1) quia ante אשה deest He demonstrativum, 2) atque adeo sequitur indeterminatum אחת ex Syrorum usu ALIQUA vertendum. (Vide supra אחד pag. 54. num. 56.) LXX. et Vulgata pro זאת habent, ἰδοὺ, *ecce.* — — Suspicor, ita poni ut Arabum ذات *essentia*, *res*, *substantia*, quod et indeterminatis aliquando nominibus praemitti solet, ut ذات يوم *aliquo die*, e. g. chrestom. p. 54. n. 2. لانه ذات يوم اخذ سكينا *quod aliquo die cepisset gladium.*

זבד *donavit* Genes. XXX, 20.

Ἅπαξ λεγόμενον, ut et nomen זֶבֶד inde derivatum, de cujus significatione nondum satis liquet: id unum liquet, multo verisimiliora habere lexicographos, primos etiam, Kimchium et Reuchlinum, quam qui eos omnes corrigere, inque viam reducere in Originum Hebr. T. I. c. 3. suscepit, Albertus Schultensius. Verbum olim in linguis Orientalibus frequentissimi fuisse usus, multa clamant inde derivata nomina propria, ut, *Zebedaei*, ܙܒܕܝ Matth. IV, 21. quaeque in Simonis evolves onomastico, זָבָד, יוֹזָבָד, זַבּוּד, זַבּוּד, זְבוּדָה, זְבַדְיָה, זְבַדִיאֵל. Syris celeberrima Tigridis insula, muro cincta, ܓܙܪܬܐ ܕܒܝܬ ܙܒܕܝ *insula Zebedena*, itemque ܒܝܬ ܙܒܕܝ indeque contracte, *Bezabda* et *Bazabia:* vide Assemani indices geographicos

in

in T. II. et III. P. II. ſub ܓܙܪܬܐ ܕܙܒܕܝ, hoc enim uſitatiſſimum inſulae nomen. In inſcriptionibus Palmyrenis, quarta aliisque, nomen legitur *Julii Aurelii Zabdelo* (ܙܒܕܐܠ) eo magis notatu dignum, quod plane ut Hebraicum Zebulon, teſte Moſe, ex זבד et זבל eſt compoſitum. Syri interpretis tempore verbum nondum obſoleverat, retinuit enim, ut notum, ܙܒܕܢܝ ܐܠܗܐ ܙܒܕܐ ܛܒܐ, a Syriaca ergo lingua opem ſperaveris: ſed ea nos deſtituit, nec enim amplius occurrit, Ephraemusque verſum in commentario intactum praetermiſit.

Primi quidem lexicographorum, Kimchius, *dandi*, Reuchlinus Vulgatae reverentia, *dandi*, *dotandi*, ſignificatum verbo tribuerunt, quos ſequuti plerique. Praeiverant ſententiam exigua mutatione tot ex veteribus, ut vel eorum auctoritas eſſe argumento poſſet: LXX. *δεδώρηται ὁ θεός μοι δῶρον καλὸν*, Chald. יהב יי יתיה לי חולק טב: at ſpecialius ad dotationem retulerunt, Vulg. *dotavit me deus dote bona*, et Saadias, فوّضني الله تفويض خيرا *junxit me deus matrimonio bono*. Monuerat et jam Kimchius in radicum libro, *tradidiſſe R. Jonam, Arabes idem verbum de donando ponere*. Atque ita quidem omnino ſe res habet, ut vel Golium inſpicienti liquebit, licet addat, de minoribus donis Arabibus uſitatum eſſe: *parum de opibus ſuis dedit alteri*, زِبْد *munus*, *donum*. Nec tamen hoc obſtat Arabico vocabulo ad Geneſ. XXX, 20. transferendo, qui enim unquam ad dialectos vel ſuae patriae attendit, is intelliget, quae verba alteri dialecto magna ſunt et honorata, alteri viliora eſſe. Quamquam, ut libere dicam, ipſo Geuhario inſpecto ne liquet quidem, ad ſola minora dona verbum زبد reſtrictum fuiſſe. Verba Arabica, ut Schultenſius in Originum T. I. p. 103. excerpſit, haec ſunt: زبدت الرجل اي رضخت له من مال وفي الحديث انا لا نقبل زبد

زبد المشركين اي رفدهم i. e. *in prima conjugatione* زبد *aliquem, est, donum illi dedit — de opibus suis. Hinc in traditione lex oralis: non accipimus ab idololatris* زبد, *i. e. munus.* Tota vis argumenti, quo زبد in vile donum convertitur, est, quod primo loco per رضخ redditur, quod ponitur ubi non totum damus, sed partem (قليل *exiguum*). At ut taceam, رضخ forte non a lexicographo specialissimo significatu sumi, sed latiore, eundemque et زبد statim per رفد reddere, quod generatim *munus* est: id unum vel summo rigore verbis sumtis manebit, donum esse, ubi non omnia damus quae habemus, ut pleraque dona esse solent. Certe vile munus non est, ubi partem facultatum, non caput damus. — — Praeter linguam Arabicam forte et accesserit Samaritana, cui זבר idem est, quod Arabibus زوّد *commeatu aliquem instruere:* quaerique possit, duas verbo زبد significationes habere viso, sitne altera, donandi, ex زوّد tralatitia? Sed de verbo Samaritano nihil definire ausim.

Haec vero quae lexicographi habebant antiquiores, Schultensio, nec memori, plus forte Jonam, qui in Hispania vixit, librosque Arabicos scripsit, linguae Arabicae intellexisse, quam nobis datum, qui ex solis eam libris discimus, perquam visa ridicula. *Vestram*, inquit pag. 101. *fidem interpretes, quid leporis, quid venustatis dignitatisque huic inest sententiae: dedit mihi deus donum bonum? Quis tam exsurdato est palato, quis aure tam jacente, ut hoc jacere, atque adeo frigere, torpereque hic loci non sentiat!* Quid quidem in hac sententia tam sit jacens et humile, ut auribus displiceat, non video: alia filiis nomina, ut יונתן, *dedit Jehova*, indita esse, quod pro dono dei insigni haberentur, ne ipse quidem negaverit aut dubitaverit Schultensius, quidni ergo et *Zebulon?* Verum nimis amabat vir magnus exquisitiora et insolentiora, qui eum gustus haud raro ad errores deduxit. Jam hic, quam

quam quotidianae loco nobis dedit exquisitam sententiam? Turpiusculam vero, quae ob ipsam displicet inverecundiam, quamque lingua vernacula vix exprimere sustinuisset, est enim insignis Belgicae in scribendo pudor. Nempe Arabibus زبد inter alia *spumam* significat, hinc verbum est, *butyrum facere*, seu, ut Geuhari eloquitur, *utrem* (lacte plenum) *concutere, donec butyrum exeat.* Hoc jam ita ad dictum Leae transfert Schultensius, *utrem mihi meum optima agitavit deus agitatione*, idque de conceptione filii intelligit. Cogita quaeso, ut butyrum fiat, et erubesces repetens. Ne quis non intelligat, addit: *dedita opera utrem posui, quum uterum verecunde designet:* atque insuper sic sibi plaudit, *haec te, haec implebit oratio, et in aurem animumque mira jucunditate influet.*

Samaritani versionem, סעדי אלהים יתי סער טב nondum certo intelligo: suspicor, סער hic eodem modo positum quo apud Hebraeos *fulcire cor*, de cibo et convivio dicitur, hac sententia, *bonum mihi viaticum dedit deus*, supra enim jam monui, Samaritanis זבר de viatico usitatum esse.

Haec ut paucis jam complectar, mihi videtur duplex esse verbum זבר

1) ב radicale habens, cui spumae, et butyri faciendi significatio propria esto, sed de quo in supplementis lexicorum Hebraicorum non disputarim, quod in Hebraicis non occurrit.

2) cujus ב ex ו ortum, Arabicoque زوّد. Hoc erit, *viatico instruxit, donum dedit de suis opibus*, (non totas, nec tamen vile donum) idque et ad *elocationem* forte filiarum translatum fuerit, ac data illis a patre munera, in quibus et ancilla erat, Leae a patre donata. Aliquid ejusmodi significationis tempore forte illorum in lingua sive viva, sive magistrali, superfuerit, qui *dotare* et *dotem* verterunt.

זבל זבל *stercorare, divertere, habitare,* cum derivato זְבוּל *habitatio.*

Verbum semel, Genes. XXX, 20. nomen quinquies, 1 Reg. VIII, 13. Jes. LXIII, 15. Habac. III, 11. Ps. XLIX, 15. 2 Paral. VI, 2. obvium, hoc quidem magna scriptionis inconstantia jam זְבוּל plene, jam זְבֻל defective: nempe,

1) זְבֻל habet textus, 1 Reg. VIII, 13. sed 46 codicibus Kennicottianis dissidentibus, Habac. III, 11. sed 55 codicibus זבולה habentibus, Ps. XLIX, 15. sed contra 54 codices, 2 Paral. VI, 2. sed contra 36 codices.

2) זְבוּל Jes. LXIII, 15. sed 25 codicibus defectivum זבל praeferentibus.

Ergo scriptio videtur fuisse libera. Satis unanimiter lexicographi verbum, *habitare* vertunt, nomen, *habitationem:* neque contradicere aut inficiari quisquam locis inspectis ausit, quin potius et hoc intelliget, honestissime vocabulum poni, ut, de habitatione Dei in coelo, 1 Reg. 8. Jes. 63. 2 Paral. 6. de loco solis et lunae in coelo, Habac. 3. Hic vero molestissimum accidit, quod reliquae nos linguae Orientales non solum deserunt, sed et alienissimam habent, sub nomine *stercoris*, et sub verbo *stercorandi*, significationem, Arabica, Syriaca, Chaldaica. Unicus forte locus codicis Hebraici, cui hanc obtrudere significationem, si valde cupias, possis Ps. XLIX, 15. מִזְּבֻל לוֹ *stercoratio illi,* sc. sepulcro, aut מְזַבֵּל לוֹ *in stercus redigit illud,* sc. corpus; at ne hic quidem quisquam antiquorum de stercore cogitavit, verteruntque *habitaculum*, Aquila et Hieronymus, — — *habitaculum pretiosum* vel *honoratum*, Symmachus, (ἀπὸ τῆς κατοικήσεως τῆς ἐντίμου αὐτῶν) — *habitaculum gloriae divinae*, Chaldaeus, — — *gloriam ipsam,* τὴν δόξαν αὐτῶν, LXX. Syrus, et ambo Arabes.

Haec

Haec mihi saepe dubitanti, verisimile visum est, Hebraicum זבל habitandi significatione, proprie esse, *divertere, declinare*, atque ex Arabico زول permutatione literarum V et B ortum. Est quidem hoc inter alia, *declinavit*, e. g. sol, de coeli culmine, unde et زَوْلَة *stella*. Quid si ergo haec sit significationum series: 1) *declinavit, divertit*. Hinc 2) verbum de marito ponitur ad uxorem divertente, Genes. XXX, 20. et 3) nomen זבל Habac. III, 11. statio erit solis et lunae, non, ut Josuae X, 13. poetice fingitur, in coeli culmine (in quo juncta soli luna ne videri quidem, nedum splendere potest) sed naturae aptius in horizonte, solis in occidentali, lunae in orientali. 4) Generatim, *hospitium stellarum* in aliena domo caelesti. Vide supra pag. 203–205. בעלזבול. 5) *diversorium*, i. e. *sepulcrum*, sed honestissimo nominis usu, Ps. XLIX, 15. 6) diversorium, seu habitaculum Dei in coelo. — — Nec haec ut certa pono, sed ut in quaestione etymologica fas est, timide. Id quidem certum, undecunque evenerit, זבל Hebraeis de diversorio et habitatione poni.

זָג vel זַג Num. VI, 4.

Ἅπαξ λεγόμενον, de quo si certi nihil dare potuero, ignoscant lectores: verecundiae est, plus dicere certi, quam habeo. Harmonice vertit Arabs Polygl. زُجّ, sed hoc ipsum vocabulum quid significet ignoramus. In Castelli lexico vertitur, *vinaces, pelliculae uvae:* ipse ergo ambigebat, diversa atque pugnantia, conjungens, *vinaces* inter, i. e. *acinos*, et *pelliculas* divisus. Ad haec quidem duo quaestio tota redit.

1) *pelliculas*, قِشْر, *corticem uvarum*, habet Maurus, atque Onkelos עצורין *uvarum expressarum reliquias*. Conferunt recentiores زُجاج *vitrum*, voluntque corticem vitrum i. e. pellucidum

dici uvarum. Verum alii corticem חרצנים esse volunt, ut sub hoc vocabulo dicam.

2) *acinos* interpretantur LXX. et Vulgata, qui quidem possint ab acumine nomen habere, collato Arabico, زُجّ *cuspis*, et زَجّ *cuspide perforare*. Obverti possit, acinos uvarum neminem comedere; fateor equidem, sed totum versum legens hoc videbis dici, *de omni quod conficitur ex vite, a cortice usque ad acinos, non comedet*. Poterat aliquid ex acinis parari, quod cibo esset, Thalmudici de oleo loqui solent ex acinis (פרצנין) facto. Hoc equidem quale sit ignoro, illis in terris nec natus nec educatus, quas vino natura donavit: vix tamen suspicor, in divite olivarum Palaestina acinorum oleo vel pauperrimos usos esse.

Exposui veterum sententias, quarum neutra mihi satisfacit. Conjectura si uti liceret, חרצנים foret, quod post primam calcationem, זג quod post secundam calcationem de uvis superest: sed nec etymon suppetit, nec novi num quid edule ex uvis calcatis parari possit. Potus quidem adfusa aqua vel ex illis exprimitur, sed Mosi de eo sermo, quod comeditur, non, bibitur.

Ergo audeamus, donec nova lux adfulgeat, aliquid ignorare potius, quam errare.

זָהָב *aurum*.

Fuerunt, et vero ex doctissimis, quibus metallorum nomina non a verbis derivata, sed verae radices visae sunt, nec id sua sponte incredibile, quidquid etiam de reliquo nominum agmine decernant grammatici. Sic nuper in diss. de *primitivis linguae Hebr.* Carolus Aurivillius, primariae vir eruditionis. In exemplis eorum, quorum ratio etymologica vix reddi possit, maxime זהב ponunt, quam enim aliqui attulerunt derivationem a Chald. צהב *splenduit*, talis erat, quae docto placere

placere neutiquam possit, sola enim nititur alliteratione, quae hic eo ferri minus potest, quod Chaldaeis aurum דְּהַב.

Ut mihi tamen videtur, verbum Arabicum ذهب *abiit*, veri non dissimile auro primitivum, ab eo phaenomeno et adparentia dicto, quo se primis inventoribus ac metallurgis offerebat, miraculo illos, quod vel in superstitionem abiit, percellens: nos quidem mirari dudum desiimus. Nempe ubi in lapidibus minerisque auri similis fulgor spem divitis metalli facit, ea prope semper evanescit, ignique impositus lapis quidquid habebat amittit. Id vero non potuit non eos magnopere percellere, qui primi aurum avide quaesiverunt, spe sua saepe deceptos. Hinc et fabula eorum qui thesauros effodiunt, ab Arabibus ad Europaeos tralatitia; lucem aliquam aut auri similem ignem, tanquam prunae adparere, ubi thesauri defossi sint, quem ubi videas magnopere silendum, vocem enim si vel imprudens mittas, statim aurum evanescere. Satis, opinor, bene hinc dici *abiens*, *evanescens*, potuerit. Reliqua, quae Arabes sub verba ذَهَبَ habent, denominativa sunt.

Caeterum est et hic, ubi vulgatum ac proprium auri nomen habemus, de ejus quibusdam epithetis, aliisque auri nominibus dicendum. Aurum auro aliud purius esse, aliud plus admixtum habere argenti atque adeo vilioris metalli, omnes norunt: sic ducatorum aurum purius, plus mixturae habet Ludovicorum aureorum, ipso adeo colore, ac ductilitate aut rigiditate nummi ultro fatente.

Hinc primo ut epitheton saepe occurrit

1) זהב מהור *aurum purum*, cum in Mosis descriptione tabernaculi, tum in capitibus libri regum, de templo Salomonis agentibus. Quam purum hoc fuerit aurum, nemo dixerit, perfecte purum non arbitror, primo quod vix sperandum chemiam illius temporis perfecte purificare aurum potuisse, deinde, quod nativum aurum סגר dictum, a puro etiam auro ut nobilius distingui video.

2)

2) טוב *bonum*: in quo epitheto notandum, quarundam terrarum aurum melius communi auro haberi, ut Gen. II, 11. aurum *regionis Chavilae*. Nempe in illa infantia metallurgiae et chemiae, quae nondum omne aurum perfecte purificare ab omni sequioris metalli mixtura poterat, quarundam terrarum aurum melius communi, sive quod ibi, aut purius nasceretur, aut ea mixtura alius metalli, a qua facilius posset separari, sive, quod metallurgi purificandi artificium melius callerent, chemiae peritiores. Hinc fit ut

3) *aurum Ophir*, ut reliquis praestantius laudari soleat.

Jam vero ubi

4) simpliciter זהב legimus, de auro minus etiam puro, de vulgari cogitandum, neutiquam de purissimo.

5) His forte accedit impurior etiam solito auri species, *aurum mixtum*, de quo vide infra שחוט.

Quae cum ita sint, ubi in thesauris Davidis Salomonisque, templique adparatu, de talentis auri, atque adeo auri puri legimus, non auro perfecte puro aestimare debemus. Auri quidem purioris marca Coloniensis 67 ducatis aequalis est: perfecte puri, sed quo in nummis nunquam utimur, $67\frac{67}{71}$. Equidem in notis ad biblia germanica talenta siclosque Davidis et Salomonis computans, marcam 67 ducatis aestimavi: sed et ipse monui, aliquid in hoc computo erroris inesse, quod vitare non potuerim, cum nec norim nec conjectura assequi possim, quam fuerit purum aut impurum, id est, quot uncias perfecte puri auri marca adpensa habuerit. Monui ergo in praefatione, aliquid semper de computo meo demendum, quantum? id me praecipere non posse.

Reliqua auri nomina, suo loco evolvenda sunt,

1) בצר p. 208. *aurum spectatum*, i. e. purum.

2) סָגֹר proprie, *aurum nativum dendroides*, omni reliquo praestantius habitum, atque deinde latiore sensu, *omne aurum nativum.*

3) פָּז.

4) כֶּתֶם.

זָהַר *splenduit, lucem emisit.*

Verbum satis notum, et bene tractatum in lexicis, de quo haec pauca adnoto. Arabibus زهر est, *splenduit, luxit*, eaque et Hebraeis significatio notissima. Reprehendendus hic magnopere Coccejus, qui, cum Kimchius olim זהר et נגה pro synonymis habuisset, (per errorem ille quidem, נגה enim proprie de Aurora poni infra videbimus,) haec ei opponit: *non est idem cum* נֹגַהּ, *ut vult Kimchius: nam* נגה *splendor dicitur de luminibus, stellis, igne flammante, quae radios ejaculantur: at* זהר *de coelo, quod radios non emittit, sed transmittit, et quatenus luce confertiore repletur, in maxima distantia speciem corporis lucidi praebet. Dan. XII, 4.* Atqui corporis potius coerulei speciem praebet. De loco Danielis male intellecto sub זֹהַר videbimus.

Ut plura lucendi verba et hoc ab Arabibus ad flores transfertur, unde apud Hebraeos ex varia lectione תִּזְהָר *flos*, Jes. XLI, 19. quod vide pag. 406.

In Hiphil הזהיר *monere, docere*, proprie est, lucem alteri praebere, eum, ut ita dicam, *illuminare* φωτίζειν.

Notanda et constructio cum מ ex lectione codicis Samaritani Levit. XV, 31. והזהרתם את בני ישראל מטמאותם *monebitis Israelitas ab impuritatibus*, sylleptica locutione. Hanc quidem ex veteribus expresserunt, praeter Samaritanum interpretem, Syrus, ܘܬܙܗܪܘܢ, et, nisi fallor, Vulgata, *docebitis filios Israelis ut caveant immunditiem.*

זֹהַר Dan. XII, 3. *Venus? Lucifer?*

Lucebunt aeternum boni, כְּזֹהַר הָרָקִיעַ, *ut splendor coeli.* Hic quidem, quis splendor coeli sit, quaeri fas est. Male, ut vix dum vidimus, Coccejus respondebat, coelum non radians, sed radios transmittens, quod tamen ipsi, cum vulgaribus oculis caeruleum adpareat, suo in museo fulgidum visum est. Hoc quidem omnino damnandum, ac nisi aliud suppetat, *splendorem coeli* stellas intellexerim in coelo splendentes. At usus Arabum ad specialius quid ac certius deducere nos videtur. Est illis زُهَرَة *stella Veneris*, insignis illa, et splendore lucidissima. Sic equidem et verba Danielis acceperim, ac זהר הרקיע *splendorem coeli*, Luciferum intellexerim.

תזהר *flos*, vide sub תרהר pag. 405.

זוּ pronomen.

Pronomen omnis generis et numeri, quod grammatici relativum faciunt: nec obloquor, addere tamen liceat, ex prima vi demonstrativum esse. Insignis locus Hab. !, 11. זוּ כחו לאלהו *hoc robur ejus est Deus ejus:* et secundarius, Jes. XLIII, 21. עם זוּ יצרתי *populum hunc formavi.* Sic jam Chaldaeus, עַמָּא דֵין Syr. ܥܰܡܳܐ ܗܳܢܳܐ ܓܒܶܠܶܬ ܠܝ Vulg. *populum istum formavi mihi.* Relativum autem fit, plane ut Germanorum demonstrativum, *der*, *die*, *das*, subintellecto אֲשֶׁר, ut Ps. CXXXII, 12. עדותי זו אלמדם proprie, *statuta mea HAEC, (quae) docebo illos:* ubi et nota, accentuum auctorem, ut in demonstrativo fas erat, זו cum praecedente עדותי conjunxisse, distinxisse ab אלמדם.

זו vel זִיו *Majus.* 1 Reg. VI, 1. 37.

Non occurrit, nisi in historia aedificationis templi Salomonis, nec habent hoc mensis nomen reliquae linguae orientales, *Jjjar* (איר) potius

potius vocantes, quod quidem nomen non Syrus ſolum et Arabs hic reponunt, (إيار , أيار) ſed et Joſephus in tradenda hiſtoria expreſſit, Ant. VIII, 3, 1. μηνὶ ὃν Μακέδονες Ἀρτεμίσιον καλοῦσιν, Ἑβραῖοι δὲ Ἰάρ. Nec tamen quidquam in codicibus variae lectionis, nomenque ipſum Hebraicum expreſſerunt, Chaldaeus, Vulgata, *menſe Zio*, et LXX. v. 37. *μηνὸς Ζειου.* Menſem ſecundum ipſe ſcriptor ſacer interpretatur, eſt ergo ſine dubio ex lunaribus ille, cujus maxima pars in noſtrum (non Aprilem, ut male finxerunt, ſed) *Majum* incidit. Vide commentationem *de menſibus Hebraeorum* (undecimam *commentationum ſocietati ſcient. per annos 1763-1768 oblatarum*).

Nomen in vulgatis editionibus ſine Jod זו ſcribitur, forte *Zo* aut *Zav* adpellandum, Chirek his literis ſubſtratum ad aliam lectionem זיו pertinet, quam in codicibus non paucis, (XXXVI. in verſu primo, XIV. in 37.) Kennicottus invenit, et quae male a lexicographis, textum ipſum non inſpicientibus, in lexica recepta eſt, ac ne monentibus quidem, dubiam eſſe. Forte hoc Jod ex Chaldaico זִיו, Dan. II, 31. &c. *forma*, *decus*, in menſis nomen immigravit, Judaeis a forma menſem tanquam *formoſum* dictum arbitrantibus, ejusque nomen Chaldaico conſone et adpellantibus et tandem ſcribentibus.

Etymon ſe duplex probabile offert: primum a زأى *ſuperbivit*, ſuperbia tamen a *gravitate* dicta, ut ſit *menſis* tanquam *ſuperbiens*: talis apud nos Majus, anni ſuperbiſſimus, multoque etiam magis in Palaeſtina, cujus meſſis in Majum incidit. (Secus in Aegypto, quae vix ſteriliorem triſtioremque per totum annum adſpectum habet, eo, quo Majus poſt finitam meſſem tanquam luget). Alterum a زيّى *ornavit*, زيّ *forma*, unde et formoſus dici potuit, Chald. זיו *forma egregia*, ſplendor decus. Ex priore etymo ſcriptionem זֹו, ex poſteriore

זִיו praeferrem. Sed tamen aptius menſi a *ſuperbia* quam a *forma* nomen.

Chaldaeus utrobique nomen Hebraicum כִּיצָּנַיָּא *flores*, interpretatur (ירח זיו ניצניא *menſis Siv*, *i. e. florum*): nec obnitor, floribus Majus ſuperbit.

זָב *gonorrhoea laborans*, זוֹב *gonorrhoea*.

זב מבשׂרו *fluentem ex carne ſua*, et זוֹב *gonorrhoeam*, ita deſcribit Moſes Levit. XV, 1–13. ut non de ſola quam benignam dicunt, ſed et de virulenta legem ferre gonorrhoea videatur: diſtinguens adeo in fluentem et obturatam, v. 3. ſupponensque, genitalia aegroti ab aliis (chirurgis puto) tangi, v. 7. qua de re in aliis impuritatum legibus non loqui ſolet, maximeque de illis in quibus ſedit aut cubuit aegrotus, deque ejus ſputo ſolicite praecipiens. Quem quidem morbum cum ſub finem demum ſeculi XV ex America advectum, medicisque graecis ab Hippocrate inde ignotum plerique ſtatuant: conſequens erit, ut Moſis tempore, qui certe non de illo vaticinatur ſed ita deſcribit, ut cognitum habuiſſe videatur, in Aegypto jam fuerit, ſed eo, quod illum inter et Hippocratem effluxit, (mille circiter annorum) tempore deſierit, plane ut Aſtrucius luem Veneream poſt annum 1490 Europae invectam, quovis non ſeculo, ſed ſemiſeculo miteſcentem, plane deſituram aliquando putat, modo nova et virulentiora contagia ex nativo morbi ſolo non adferantur. Vide notas ad Levit. XV et jus Moſaicum T. V. §. 212. At ſi jam ante inventam Americam in vetere orbe malum Venereum fuit, licet mitius, ut gravibus et hiſtoricis argumentis vincere videtur illuſtris Henslerus, in hiſtoria luis Venereae, (*Geſchichte der Luſtſeuche*) plane mirari non debebimus, illud jam a Moſe legislatore memorari. Vide aliqua libri excerpta in biblioth. Or. T. XXII. num. 322.

זָדוֹן, *superbia*, *proaeresis*, זֵדִים *proaeretica peccata.*

זָדוֹן proprie *superbia*, hinc Moses eos, qui non errore et ignorantia peccant, sed scientes, facere id dicit, בְּזָדוֹן id est, *proaeresi* Deut. XVII, 12. XVIII, 22. Nempe existimatur superbia, legi, quam scias, obedire nolle. Idem mecum ex lexicographis sensit Coccejus, sed non satis distincte dixit: *proterviam* vertit, in rei summa bene, sed proterviam inter et proaeresin aliquid interest.

Hinc זֵדִים 1) proaeretici peccatores, Ps. CXIX, 21. 2) proaeretica peccata, erratis, illisque, quae nos ipsos latent, (שְׁגִיאוֹת et נסתרות) opposita, Ps. XIX, 14.

Caeterum superbiae notionem sub זוד nec Syri habent, nec Arabes, sed *viatici*, quo nos aliosve instruimus. (vide supra sub זבד) Videtur הֵזִיד *superbire*, cognatum cum Arabico زيد per Jod, *auxit.*

זָוִיָּה *angulus.*

Vocabulum non nisi bis obvium Zachar. IX, 15. Ps. CXLIV, 12. sed certae atque indubiae significationis: habent enim Arabes زَاوِيَة, et Syri ܙܳܘܺܝܬܳܐ, *angulus:* (Samaritani Vau in Beth mutant, angulumque מזבית dicunt). De etymo non aeque liquet: زوى inter alia est, *vergere*, *tendere ad locum:* dictusne angulus, a duabus lineis ad idem punctum tendentibus. Mathematico forte placuerit, philologo suspectum, quippe qui usu linguarum didicit, raro plebem, quae linguas creabat, mathematum ita perite verba condidisse. Ergo de etymo pronuntiemus, nondum liquere. — — Caeterum cur a statu abs. sing. זוית conceperint lexicographi, nec potius זָוִיָּה, caussam non video.

Ergo, utut nemo anguli significatum vocabulo negaverit, primo tamen mirum, paucos fuisse ex veteribus, qui ita redderent, quod so-

li faciunt, in pſalmo 144. Aquila ὡς ἐπαγώνια, vel potius, ἐπιγώνια, eumque ſequutus Hieronymus, *quaſi anguli*, inque Zacharia, Syrus harmonice, ܙܘܝܬܐ, et Vulg. *cornua altaris*, quae quidem non cornua ſunt, ſenſu latino, ſed ipſi anguli. Quid erat, cur plerique pro nota vel ex Chaldaismo ſignificatione aliam darent? Deinde anguli eximie quidem Zachariae loco apti, ſanguine quippe madebant conſperſi illo anguli altaris: at pſalmi alia ratio, filias enim quis comparet *angulis*? Stent illae in angulis, in interioribus domus, verum Hebraici codices non habent בזוית, ſed unanimiter, כזוית *ut anguli*. Hic ergo opus, interpretatione ſuccurrere, plurimis quidem lapides angulares intelligentibus, pro quibus, indecora virginum imagine, in verſione pſalmorum *ſtatuas* repoſui *elegantes in angulis palatiorum templorumve collocatas*. Fateor, audaciusculum eſſe, angulum interpretari ſtatuam angularem, ac ſi aliud ex linguis orientalibus et filo orationis ſuccurreret, praelaturum.

Audiamus ergo et veteres, et vero pſalmi 144, (in Zacharia enim parum illi ad nos, LXX omittentes, et Chaldaeus valde paraphraſtice, כֻּתְלָא *parietem* altaris reddens).

1) LXX. κεκαλλωπισμέναι habent, exque illis Vulg. *ornatae*. Vix hunc ſignificatum vocabulo abjudicare licet: Arabibus زَيَّ et vero pro زَوَّي eſt, *ornavit*, زِيّ *habitus*, *forma*, Chaldaeis זִיו *forma*, *decus*, *forma egregia*, pro Hebraicis הוד et הדר poni ſolitum. Forte ipſa ab angulis *forma* dicta, quod angulis ductis determinatur, a forma, formoſus: ſed hoc altius etymon in incertis relinquamus. Nec tamen vel ſic ſatis placet oratio, filias enim *ornatas* dici mallem, non, *tanquam ornatas*, non ornatis comparari.

2) Forte idem voluit, ſed probabilius totum comma vertit Syrus, ܐܝܟ ܟܠܠܬܐ ܡܨܒܬܬܐ *ut ſponſae ornatae*. Hic quidem ſi, ut fert

fert ordo verborum, זָוִית *ſponſas* vertit, repudiandus, ſolamque conjecturam ſequutus videbitur: quid vero ſi ſententiae tenax verba transpoſuit, et זָוִית *ornatas* reddidit. Nempe מְחֻטָּבוֹת poterant ei ſponſae videri, a خطب proprie, *allocutus eſt*, i. e. *expetivit mulierem in conjugium, deſpondit, ſeu, ut deſponderetur obtinuit.* Placeret egregie, niſi ſequeretur, תבנית היכל *ſtructura templi.*

3) Rariore vocabulo in lexicis omiſſo Chaldaeus, זוחנין, quod interpretari hic nolim, ne ad incertiora delabar.

Tentemne conjecturam loco difficili explicando, qua tamen ad idem redibimus, quod in initio habuimus, ſtatuas elegantiores templo dignas? Suntne זָוִית *formae* et vero *ornatiores* et *pulcriores*, fere ut Chaldaicum זין?

מזוים *promtuaria.* Pſ. CXLIV, 13.

Adſentior lexicographis, promtuaria vertentibus, eaque dicta ab *angulo* putantibus, idque unum addo, in ἅπαξ λεγομένῳ haud negligendum, non ſolos, quos Coccejus citat, LXX ταμεῖα praeiviſſe, ſed et reliquos omnes: *promtuaria* enim habent Vulg. et Hieron. Chald. תוסברן i. e. θησαυροὺς, Syrus ܐܘܨܪ̈ܐ quod pro Graeco ταμεῖα Luc. XII, 3. 24. ponitur, exque illo Maronita, خَزَايِن. Nec aliud ſe mihi quaerenti etymon obtulit.

זוּזִים Geneſ. XIV, 5.

Plerumque pro nomine proprio habetur, ignoto ignoti populi, qui in הָם regione aut urbe non minus ignota, olim habitaverit: nec obſtrepo, licet mirer, hic omnia ignota, cum eorum quae praecedunt ac ſequuntur maximam partem ex geographiae orientalis fragmentis ſatis expediamus. الدهاقون reddidit Arabs Polyglottus, ſed et hoc nomen gentis proprium ignoramus.

Alii

Alii adpellative, *robustos*, et vero satis magno consensu, LXX. ἔθνη ἰσχυρὰ, Syrus ܚܣܝܢܐ, Onkelos et Samaritanus, תקיפיא. Hi quidem spectasse videntur Syriacum ܙܘܙ *superbivit*, *superbe incessit*, forte et roboris ac virtutis bellicae significationem habens. Nec tamen placet: populum רפאים *gigantes* adpellative dici, id facile fero, at nomen subticere, et a sola describere fortitudine, vix est historici.

Adpellative si nomen accipiendum, contulerim potius زَوَازِيَة *breves et crassi homines*, pumiliones, punctisque בהם mutatis, ויכו את רפאים בעשתרות קרנים ואת הזוזים בָּהֶם *percusserunt gigantes in Astheroth Karnaim, et brevioris* (i. e. mediocris) *staturae homines, qui inter illos erant*. Sic in Astharoth praeter gigantum populum etiam alii solitae staturae habitaverint. Ut conjecturam pono verisimilem, non ut certam sententiam.

זִיז Jes. LXVI, 11. Ps. L, 11. LXXX, 14.

In utroque psalmorum loco nomen de animalibus poni, (זִיז שָׂדַי) satis liquet, non male ergo utrobique Syrus ܚܝܘܬܐ ܕܒܪܐ *bestia agri;* haecque significatio in lexica recepta. Nec tamen illa Jesaiae loco apta, unde certe consequitur, ut sola non sufficiat: quamque Coccejus aliique addiderunt derivationem a Thalmudico זוּז *moveri*, ea valde suspecta. Nec equidem *movendi* significatum verbo negaverim, licet Thalmudicorum atque adeo Judaeochaldaeorum auctoritas, non sufficiat, vocarique in dubium possit, a linguis orientalibus reliquis destituta: sed totum displicet etymon, nullo linguarum orientalium consensu stabilitum, animalia a *motu* dici, nimis enim late patet; ac quis non subriserit, in lexicis inveniens, זוּזָא, ܙܘܙܐ, exiguam monetam, quartam sicli partem, ipsam quoque a movendo dici, quod ex una manu

manu in alteram transeat. Ita si nomina derivare velis, quid quaeso erit, quod non זיז dici possit? Atomos eadem verisimilitudine substitue, gladios, baculos, virgas, quidquid lubet; nihil enim rerum creatarum est, quod non in perpetuo motu sit.

Antequam de veterum sententiis referam, mea mihi sententia dicenda, ex Syriaca lingua sumta. Huic ܙܘܚ in Ethpaal est, ut Castellus habet, *inflatus est, intumuit, superbivit*, indeque ܙܘܚܐ, ܡܙܕܘܚܢܘܬܐ *superbia*, ܡܙܕܘܚܢܐ *superbus*. Vide chrestomathiam Syr. pag. 34. ܐܝܟ ܕܐܙܕܘܚܬ ܬܬܙܝܥ *ut superbivisti*, ita *vacillabis*. Hinc mihi

1) זיז שדי Ps. 50. et 80. *superbia agri*, ex filo orationis sunt, *superbe incedentia animalia*, in psalmo quidem 50 mansveta, (de victimis enim sermo, quibus ferae non adhibebantur) in 80, ferae.

2) In Jesaia זיז כבוד proprie, *superbia gloriae*, i. e. summa gloria: ad literam, *ut oblectemini superbia gloriae ejus*.

Licetne jam et antiquos excerpere, atque de illis sententiam dicere?

1) LXX non sibi constantes, in psalmo 50 habent, ut ex illis Vulgata, *pulcritudinem agri* (ὡραιότης ἀγροῦ) non male, sed ut videtur ex mera conjectura. Posset quidem *superbia agri* ita paraphrastice verti, sed nolim eos pro me citare. Iisdem in Ps. 80 est, μονιὸς ἀγροῦ, *solitarius agri*, i. e. ut Bielius in lexico recte docuisse videtur, *aper*, ex praecedente membro versus de sequente facta conjectura: Arabs tamen eos de onagro, qui solitarius vagari per deserta solet, intellexit, الحمار الوحشي, *asinus ferus*. Iidem, nescio quid spectantes, in Jesaia εἴσοδον, *ingressum* gloriae verterunt.

2) Aquila ubique παντοδαπὰ *omnimoda*, et παντοδαπίαν δόξης, vertit, eumque sequutus Hieronymus, *universitatem agri*, et, *omnimodam gloriam*. Hujus significationis nescio unde arreptae, nullum in linguis orientalibus vestigium.

3) Chaldaicus psalmorum interpres perquam ille recens, et exiguae auctoritatis, utrobique תרנגל ברא *gallum silvestrem* vertit, non solum nihil ejusmodi habentibus linguis Orientis, sed et absurde, cum nec in sacrificiis sit, nec vineas vastet. Sed de eo Judaei multa nugantur, unde arripuit interpres. In Jesaia חֲמַר *vinum* Chaldaeus habet, quo inebrientur: et hoc nullo linguarum usu.

4) ܚܣܝܢܐ *robur*, *vim*, Syrus, πλῆθος multitudinem, Symmachus et Theod. in Jesaia habent: ex conjectura.

5) Fuerunt ex recentioribus, qui *ubertatem*, et tanquam *pinguedinem* interpretarentur, *pingues beluas*, et *ubertatem gloriae*. Hi quidem reliquis melius, adferri enim pro illis possit, ܙܘܙ *inflatus fuit*, *intumuit*, زوزّى *breves et crassi homines*.

Quaeras forte, quo modo diversas inter significationes, Arabicas, Syriacasque, quas hucusque illustrandis vocabulis זוים et זיז attuli, concordia coire possit? Sum equidem in quaestionibus etymologicis, ubi nihil se satis certi ac lucidi offert, paulo aliis timidior: tentabo tamen. Quid si haec sit significationum genealogia, 1) *inflatus fuit*, *tumuit*, inde 2) *pinguis*, *crassus*, 3) *brevis et crassus statura*, *pumilio* 4) *tumidus i. e. superbus*, 5) *superbe et jactanter incedens*. 6) *Nummus* זוזא potuitne a crassitie nomen habere? itemque et 7) מְזוּזָה *postis*. — — Thalmudicos, movendi significatum verbo tribuentes, res sibi suas habere velim.

זול *vilipendere*.

Verbum, non nisi semel Jes. XLVII, 6. obvium, הַזָּלִים, et vel ibi, ut p. 519. monui, dubitabile: quod enim Buxtorfius in concord. et lexicographi huc referunt, Jerem. II, 36. XV, 19. Thren. I, 8. 11. meri est et manifesti vitii grammaticalis, referendaque illa sive ad זלל, quod

quod infra, sive ad אזל. Quis quaeso ex זול fecerit in futuro, תֵּזוֹלִי? aut in participio Kal, זוֹלֵל? nec participium Piel esse potest, quod מְזוֹלֵל scribendum. Mirum, nec lexicographis honorificum, haec tam turpia vitia grammaticalia ex lexico in lexicon transferri potuisse. Ergo זָלִים Jes. XLVI, 6. mihi ἅπαξ λεγόμενον ideoque alteri הזיל, ad quam radicem referri posse mutatis punctis הַזִּלִים supra dixi, non praeferendum, sed utrumque verbum tentandum. זיל quidem conferri possit, sive

1) cum Arabico ذال 1) *superbire* 2) *vilipendere*, 3) *vilipendi humilem esse.* Hanc *vilipendendi* significationem, forte a Judaeis Hispanis Arabice loquentibus tralatitiam, habebat jam, sed sine argumento, Reuchlinus in lexico, estque loco egregie apta: *vilipendentes aurum ex marsupio*, i. e. prodigi auri, illudque ut vile erogantes.

2) زَالَ *dimovit*, *amoventes ex marsupio aurum.*

Prius aurium judicio sine dubio vincit, estque receptae lexicographorum sententiae convenientius, qui *vilipendendi* significationem plerumque adsciverunt.

Mirum, quam hic diffideant veteres, ut non nisi conjecisse videantur: LXX συμβάλλοντες, Vulg. *qui confertis*, et Chald. זַבַּן *colligentes*, nullo linguarum orientalium usu: contra Syrus, eumque hic praeter morem exprimens Arabs, *qui errant et expendunt ex marsupio aurum.*

זון *alere*, cum derivatis.

Verbum זון alere, soli Aramaei cum Hebraeis commune habent, non Arabes: hi זין mediae radicalis Jod, quod jam nihil ad nos, infra forte attingendum.

Sub hac radice lexica non pauca commentariique habent vocabula spuria, quae eliminanda censeo, ut

1) זוּנָה vel זֹנָה *cauponaria*, quam volunt inde dictam, quod hospites et peregrinos alat. זֹנָה nuspiam aliud quam *meretrix*, sed caussa, aliter vertendi, historia Rahabae meretricis erat, ad quam divertisse exploratores Israelitarum dicuntur, Josuae capite secundo. Noluerunt, ut videtur, interpretes, exploratores, homines pios, ut putabant, et regenitos, ad meretricem divertere, hanc ergo in cauponariam mutarunt. Perantiquus error, nec solis, quorum scripta legimus, Rabbinis, aut Chaldaeo interpreti acceptus referendus, פֻּנְדְּקִיתָא vertenti, (quem ipsum forte absolvere, ac dicere possis, פנדוכיתא ei meretricem esse, prostibulum publicum, quod *πάντας δέχεται*, omnes recipit, atque ita manifeste poni, Jud. XI, 1. 1 Reg. III, 16. Ezech. XXIII, 44.) sed et Josephus Ant. V, 1, 2. praeivisse videtur. LXX enim interpretes, quos ille legit, cum divertisse dicant exploratores *εἰς οἰκίαν γυναικὸς πόρνης, ᾗ ὄνομα Ῥαὰβ* (*domum meretricis, cui nomen Raab*) ipse substituit, *εἰς καταγώγιον*, *in diversorium* vel *hospitium* (Bibl. Or. T. V. p. 227). Judaei sane erant, stulte honoris suae gentis, ut solent, studiosi, qui talia comminiscebantur; non digni, quorum ineptias in suis aut commentariis aut lexicis repeterent christiani. Nullum sane hujus significationis in reliquis linguis Orientalibus vestigium, sola nititur conjectura etymologica: ne constat quidem, seu potius, vix verisimile lectori codicis Hebraici videri potest, illo tempore publica fuisse et cauponaria hospitia, jam enim qui iter faciunt liberaliter jure hospitii, pro more Arabum, excipiuntur, jam sub dio cubant. Genes. 18. 19. 28. Jud. 19. Nec exploratores legi pii viri virtutisque severioris studiosi solent, sed callidi, vel in hunc usque diem non raro in lupanaria divertentes, ubi, quis sis? non quaeritur.

2) Ex

2) Ex 1 Reg. XXII, 38. meretricum mentionem eliminare, aliamque, *armorum*, ſurrogare, neſcio quam ob cauſſam, interpretum lexicographorumque non paucis placuit. Mihi quidem vel ibi meretrices optime tueri locum videntur, quae, cum currus ſanguine regis cruentus ablueretur, eadem in piſcina רחצו i. e. nudata corpora abluebant, nec enim niſi de corpore loto verbum רחץ poni ſolet. Hoc ſi nolis, ipſum Achabi corpus meretrices abluerint, ſed prius praefero. Eandem ſententiam ſed fortius dictam praeiverunt LXX *αἱ πόρναι ἐλούσαντο ἐν τῷ αἵματι*, i. e. in piſcina ſanguine regis tincta. (Vide Theodoretum ad h. l.) itemque Joſephus Ant. VIII, 15, 6. *αἱ δὲ ἑταιριζόμεναι ἐν τῇ κρήνῃ τὸ λοιπὸν λουόμεναι, τοῦτο διετέλουν*, quae verba, aliis male intellecta, ſic vertenda cenſeo: *meretricesque, in piſcina alias lavari ſolitae, et hoc fecerunt*, non deterritae triſti ſpectaculo, quod ſanguis in ea regius ablueretur.

Ignorata vera et unica verbi רחץ ſignificatio fecit, ut ad alia dilaberentur interpretes, atque adeo ſatis antiqui, זַיִן *arma* conferentes. Sic jam Jonathan, מָאנֵי זֵינָא, et Syrus, ܙܝܢܐ: nempe arma volunt lota in piſcina eſſe, quod quidem, quid dedecoris habeat non video. Verum haec explicatio ad Judaeos tranſiit, (vide Raſchium) illisque ducibus, quippe quibus nimium fidebant diſcipuli chriſtiani, in lexica immigravit: vel hanc ob cauſſam repudianda, quod רחץ non niſi de corporis lotione ponitur. Mutaverat eam pauliſper Hieronymus, ſed in pejus, *habenas* intelligens: forte ejus magiſtro, Chaldaicum זוֹנָא *cingulum* conferente, ſed quod recens et ex ζωνή ortum.

3) מוּזָנִים Keri Jerem. V, 8. poſſis quidem, ut volunt lexicographi, ad זוּן referre, *equi nutriti*, quos volunt eſſe, *ſaginatos:*

nec tamen res certa, possit enim et Hophal esse verbi in Cthib positi, יזן, aut, punctis mutatis, participium Kal a מזן, quae verba infra suo loco vide.

4) זָן Ps. CXLIV, 13. recentiorum plerique *alimentum* vertunt, veterum nemine praeeunte, atque adeo contra vocales: a זון enim derivatum scribi זָן per Kamets etiam primo loco extra pausam debuisset. Non equidem contradico, nec enim significatio nominum ex auctoritate pendet interpretum antiquorum masoretharumve: sed tamen de vocabulo per Patach scripto infra suo loco iterum agendum.

זוע *movere*, *moveri*, *timere*, cum derivatis.

Verbum certissimae significationis, quam ex bonis lexicis, e. g. Simonis, sumo, cum Aramaea lingua commune habet Hebraica: Arabica hic remotior. Jes. XXVIII, 18. זְוָעָה *timor*, vel *terror*: sic Syris ܙܘܥܐ, e. g. chrestom. p. 18. *multos mercatores occidit*, ܚܬܝ ܕܙܘܥܐ ܗܘܐ ܠܫܪܟܐ ܘܢܬܛܠܘܢ ܡܢ ܬܐܓܘܪܬܐ *donec reliqui timerent, cessaretque mercatura.* Vide et Castelli Schafiique lexicon Syriacum.

זור *fastidivit*, *pressit*.

Praeter notissimam *peregrinitatis* notionem, quam lexica habent omnia, cujusque rationem non reddo, duae aliae notandae,

1) *fastidiendi*, ex Arabico زار *fastidivit*, *abhorruit*, unde et *stercus*, *illitum papillis camelae ad pullum ab uberibus depellendum*, زيار. Hinc explico Jes. I, 4. נָזֹרוּ אָחוֹר syllepticа constructio, *fastidio recesserunt retrorsum*, quod enim alii ex recepta lexicis significatione efficiunt, *peregrini facti sunt retrorsum*, ipsa me et asperitate constructionis et languore repellit. Habet et Castellus, sed sine exemplo, Syriacum ܐܙܝܪ, declinavit, quod forte cognatum cum

cum Arabico videri possit: sed sponsor esse nolim, quod ex analogia linguarum ذ Arabum, ז quidem Hebraeorum, sed non Syrorum esse solet, loco ejus ܕ habentium.

Sic quidem secundum puncta, בֹּזְרוּ, consonantesque 34 codicum Kennicottianorum, בזורו habentium: consvetum בזרו defective scriptum, possis etiam בָּזְרוּ vel בֻּזְּרוּ effere, *separarint se retrorsum*. Sed lectio et sententia punctorum placet.

2) *comprimendi*, quam meliores interpretes lexicographique verbo Judic. VI, 38. Job. XXXIX, 15. Jes. I, 6. dederunt, non satis expedientes, unde orta. Nempe non succurrebat illis, plures radices, diverso modo in aliis linguis orientalibus scribendas, sub Hebraico זור concurrere posse. Syris ܙܪ est, *manu vel pugillo aliquid capere* Levit. II, 2. V, 12. pro Hebraico קמץ positum: Arabibus زير *comprimere*, e. g. labium equi.

Nec haec significatio veteribus ignota: Jud. VI, 38. ita verterunt LXX ἀπεπίασε τὸν πόκον, Vulg. *expresso vellere*, Chald. עֲצַר eodemque verbo Syrus et Arabs, ܥܨܪ, عصر. In Jobo, ubi de ovis sermo, *conculcare* vertunt, manente *comprimendi* notione, sed verbo ad rem, de qua sermo est, adcommodato: in solo Jesaiae loco, ignorantes forte, quid sit, *comprimere vulnus*, quod statim ab initio fieri necesse est, ut sanguis exeat, alia ex conjectura non felice commenti sunt, LXX μάλαγμα ἐπιθεῖναι, Vulg. *nec curata medicamine*, Syr. ܡܣܘܪ *obligare*.

Sunt ergo tres Arabum radices, quae hic in unam coierunt, quod Hebraei ذ et ز distinguere nequeunt, med. rad. ו et י non solent, duae quas vixdum dixi, ذأر pro ذير, et زير, ac tertia زأر pro زور *visitavit*, unde זר significatione notissima, *peregrinus*, proprie, *visitans*, *advena*. In tertiae radicis significatum proprium, et tanquam signi-

ſignificationum genealogiam non inquiro: Arabica tamen lexica evolvens ſuſpicor, ita eas diſpeſcendas 1) *declinare*, 2) *divertere ad aliquem* 3) *eum inviſere* 4) *declinare a vero*, i. e. *mentiri*. Meliora ſi quis habeat, non obloquar.

ויזר 2 Reg. IV, 35. quaere ſub זרר.

זָר *peregrinus*.

Derivationem vixdum expoſui. — Volunt aliquando זָר etiam pro *hoſte* poni, plane ut latinis HOSTIS olim peregrinus, alius gentis ac civitatis, ſed ſenſim in aſperiorem ſignificatum tranſiit. Exemplum adferunt primarium Pſ. LIV, 5. זרים קמו עלי. Verum nec explicatio certa, nec lectio: poſſint enim et hic proprie alienigenae intelligi, quales in hoſtibus habuit David, Doegum, ac forte alios ſimiles; ſeptemque codices Kennicottiani, ac praeter illos duo dubii, זדים *ſuperbos* habent. Ergo ex hoc certe loco nova et latinizans ſignificatio nomini non niſi timide tribuenda. Poſſit tamen pro ea dici, quod cum hic, tum Jeſ. XXIX, 5. זרים in altero verſus membro ſunt עריצים *adverſarii*, quo argumento hucusque lexicographi uſi non ſunt, ignorantes עריץ adverſarium eſſe.

Quodſi זָר hoſtem ſonat, quaeri tamen poſſit, utrum ille a *peregrino* nomen acceperit, an aliunde? alia ſe derivatione, aeque certe bona, offerente: זור *viſitare*, in malam etiam partem accipi poſſit, de ſuperventu hoſtili, unde Arabibus أَزْوَر *exercitus*.

אכזר et מְמזר.

אַכְזָר *crudelis* compoſitum volunt ex אַךְ *tantummodo*, et זָר *peregrinus*. Originem nominis ignorare malim, quam ab ingenio linguae Hebraicae, compoſita non amantis, abhorrentem, atque praeterea fere omnibus linguis ipſo languore indecoram comminiſci.

Contra

Contra מִמְזָר, sed duabus vocibus scribendum, מוּם זָר *labes peregrina*, huc refero, quod infra sub מוּם quaere.

מזרים et מזרות quaere sub מ.

זֵר *limbus*,

e. g. *arcae foederis* Exod. XXV, 11. mensae sacra v. 24. non, ut faciunt alii, ad אזר vel זרח referendum putem, sed ad nostri זיר significationem secundam, *comprimere*.

זחח *impulit, loco dimovit.* Exod. XXVIII, 28. XXXIX, 20.

Buxtorfius verbo opem ferebat ex Thalmudico; Coccejus, audacissima alliteratione cum נסח conferebat. Sed recte monuit Simonis, idem esse, quod Arabicum. Nempe زحّ est 1) *impulit* 2) *removit, dimovit loco.* Hinc recte explicabis Mosen, alligari jubentem pectorale, *ut firmiter adhaereat pallio humerali*, ולא יִזַּח החשן מעל האפד, *nec dimoveatur ab humerali.* — — Hanc significationem verbi et Syrus noverat interpres, ad Jes. XXIII, 10. transferens, verbaque aliis vocalibus substratis אין מֵזַח עוד vertens, *non est amplius* ܕܢܙܚܟ ܠܟ *qui te propellat.*

Caeterum, cum Buxtorfius Chaldaicam Thalmudicamque linguam verbo explicando adhibuerit, non satis ille quidem feliciter, sciamus, hanc *impellendi* et *propellendi* significationem, quam زحّ et זחח habet, dialectis quodammodo divisam esse, etiam pro orthographiae levi mutatione: nempe,

1) زخّ si scribas, cum puncto, est, *dejecit, deorsum conjecit*: contra

2) זחח est, *sursum movere*, unde Syri habent, ܙܚܘܚܝܢ *effe-rentes*, et Chaldaeis Thalmudicisque, *superbire.* Hoc quidem sequutus Kimchius in lexico vertebat, גבה *altus fuit*, Exod. XXVIII,

 18.

18. sic explicans, עניננו ולא יגבה לומר שלא יסור ולא יזוז מעל האפוד ודומה לו בלשון רבותינו ז"ל זחוחי הלב פירוש גבוה לב וגס הרוח *sensus est, ne altum fiat, i. e. recedat dimoveaturque ab humerali. Simile est illi in lingua Thalmudica,* זחוחי הלב *i. e. alti corde, et inflati spiritu.* Hic si plures, praeter Thalmudicam, linguas Orientales cognitas habuisset, meliora daturus fuisset: sed eum sequuti alii sunt, secure, nec tamen citantes, ac pars ne scientes quidem, quem exscriptum ab aliis, denuo exscriberent.

מֵזַח *navigium*, Jes. XXIII, 10.

מֵזַח scripserunt masorethae, recentioresque satis unanimiter *cingulum* vertunt, *transi per terram tuum tanquam per fluvium filia Tartessi, sine cingulo:* qua in versione quid magnopere displiceat, expositum in bibliotheca orientali, suppl. Tomi XIV. p. 46–49. nec repeto. Mihi quidem praeplacet interpretatio Alexandrinorum, πλοῖα, *navigia*, quod literae sic punctatae, מַזָּח optime significare possunt, a praecedente זחח *impellere.* Totum comma quomodo explicem, disces ex versione germanica, locoque citato bibliothecae orientalis, adscribam tamen in eorum gratiam, qui germanica non intelligunt, latine: עִבְדִי ארצך כִּי אָרְבַּת תרשיש אין מַזָּח עוד, *cole terram tuam, cum egebis, Tartessum, nullae enim naves*, vel, *nulla navigatio porro.* (De ארב suo loco oblitus sum dicere: confero cum أَرِبَ *indigens fuit*).

זִקִּים Proverb. XXVI, 18. זִיקוֹת Jes. L, 11. *taedae, faces.*

Vocabulum paulo dubitabilius, de quo in bibl. Or. T. XXII. pag. 37. promisi diligentius me hic acturum, quod viderem, significationem ab aliis sumtam, sed argumentis non firmatam, suspectam visam fuisse S. V. Koppio.

Sumunt plerique, recte ut opinor, idem significatu esse utrumque vocabulum, nec obstat scriptio alterius plena, defectiva alterius: ut enim de magna in omittendis literis quiescentibus Vau et Jod libertate taceam, ne lectio quidem constans, quatuor codicibus Kennicottianis in Jesaia זִקִּים, et quindecim in Proverbiis זיקות habentibus. Dagesch fortis rationem non habeo, punctorum antiquitatem negans. — Contra utrumque nostrum vocabulum diversum a זִיקִים vel זִקִּים *vincula*, quod septem codices Jerem. XL, 1. habere pag. 54. diximus: significatio quam Jeremiae locus poscit, nostris non apta. Nomen eam si unquam habuit, sine Jod et cum Dagesch זִקִּים scribendum erit, a radice Chaldaica זְקַק *ligavit*, unde et זיקק Thalmudicis obligatio et Chaldaeis זִקִּין *compedes*.

Veteres in Jesaia quidem omnes in *flammae* significationem consentiunt, LXX. *κατισχύετε φλόγα*, Vulg. *accincti flammis*, Syrus, ܡܫܠܗܒܝܢ ܫܠܗܒܝܬܐ *accendentes flammam*, (Chaldaeus nimis periphrasticus, quam ut philologice citari possit): nec nego, utrique loco *flammam* vel *ignem* egregie aptum esse, maxime si מאזרי audeas vertere, *accendentes*, et partem eorum, quae ex Syriasmo infra pro taedis adferam, ad flammas etiam referri posse. Unum significationi obstat, quod comparatis linguis orientalibus plane non paret, unde flamma dici זיקה potuerit. Nullum id in nostris linguis argumentis, sed grave in orientalibus, in quibus etymon ac derivatio nominum a verbo manifesta esse aut certe transparere solet. Prospexit quidem et derivationi Simonis, ad Arabicum نزق referens, *ferbuit, exarsit*: sed hanc lexicis ignotam significationem nullo exemplo probavit. Quod addit, הִסִּיק *accendit*, merae est alliterationis.

In Proverbiis plane nihil a LXX et Chaldaeo opis. Vulgata, *sagittas*, vertit, forte et Syrus, (de hoc enim, quod pro pluribus ver-

bis pauca repoſuit, ܐܝܟ ܓܐܪ̈ܐ ܚܪ̈ܝܦܐ ܕܡܘܬܐ *ut ſagittae acutae mortiferae*, dubium eſſe poſſit). Contulit pater meus in notis ad Proverbia uberioribus Chaldaicum זִקְתָּא (Buxtorf. lex. col. 668) *ſtimulus*, *aculeus*, *baculus*, quod veriſimillime ad ſtatum abſolutum זקא refert; ac pene ſine dubio credo, idem Chaldaicum nomen magiſtrum Hieronymi Hebraeum contuliſſe. Sagittas haſtasque ſaepe Arabes baculos dicere ſolent. Servemus deinceps dicendis.

Laqueolos ardentes Schultenſius Prov. 26, vertens (*), dictos vult a *ligando*, pluribus admixtis etymologicis incertioribus. Egregie aptus utrique loco ſignificatus, in Jeſaia faces accenduntur, noctem illuſtraturae, in proverbiis faces ſparguntur incendiariae: ſuſpectum tamen etymon videri poſſit, et, quod nullus omnino veterum praeiverit. Alia adcuſatione uſus plane damnavit S. R. Koppius, imagines ita natura diverſiſſimas in Jeſaia conjungi putans: ſed haec contra male intellecti Schultenſii, eumque ſequuti Doederlini ſententiam dicta, nec enim, ut refert Koppius, *vincula collaria* interpretatur, ſed, ipſa Schultenſii verba pono, *laqueolos piceos ardentes*. Mihi quidem aut verum vidiſſe, aut proxime ab eo abſfuiſſe Schultenſium adhuc veriſimile, ſed pauliſper mutaverim rationes etymologicas.

Sint זִיקִים, praeeunte vulgata verſione, et concinente lingua Chaldaica, baculi, indeque tela: erunt jam in Jeſaia, *tedae ardentes*, quibus nox illuſtratur, in proverbiis, *tela* nec vero omnia, ſed *incendiaria*, accendi enim ex Jeſaia conſtat. Syris quidem, qui nomen ſoli cum Chaldaeis Hebraeisque commune habent, ܙܝܩܐ faces vel tela ardentia, quibus fulmina aſſimilantur. Locus inſignis eſt, Sapient. V, 22. ubi pro graecis, *πορεύσονται εὔστοχοι βολίδες ἀστραπῶν, καὶ ὡς ἀπὸ εὐκύκλου τόξου τῶν νεφῶν ἐπὶ σκοπὸν ἁλοῦνται*, Syrus habet,

(*) Vide et ejusdem origines libr. I. c. I. §. 32.

bet, ܙܠܓ̈ܐ ܕܓܐܪ̈ܐ ܘܕܒܪ̈ܩܐ *tela sagittarum et fulminum.* Collatis graecis ܙܥܦܐ *baculus*, proprie pro *recta hasta* poni videtur, quo *rectae* nomine poëtae Arabes maxime delectantur. Idem nomen et a Syro Ezech. I, 14. ubi de fulminibus sermo, pro בזק poni, pag. 165. monuimus. Habet et Castellus, nullo exemplo addito, *stellas cadentes et volantes*, quod si lexicorum Syro-Arabicorum posuit auctoritate, maxime hujus loci est: stellae enim cadentes Orientalibus, ut vel ex Corano novimus, hastae videntur igneae angelorum, quas in Satanam, aure ad coelum adplicata auscultantem, jaculantur. Caeterum quod idem statim in initio posuit, ܙܥܦܐ *ventus vehemens*, *turbo*, *Ezech.* 34, 12. in erratis numeraverim magni viri tanto in opere perpaucis, malimque et ibi ܒܝܘܡܐ ܕܙܠܓܐ vertere, *die fulminum.* Graeci, fateor, habent, ἐν ἡμέρᾳ γνόφου καὶ νεφέλης, aut secundum alios, ὅταν ᾖ γνόφος καὶ νεφέλη, verum Syriaca versio ex graeca non facta.

זַיִת *oliva.*

Pleraeque linguae Orientales cum nomen habeant, Syriaca et Aethiopica *olivae*, Arabica زَيْت, *olei*, et زَيْتُون *olivae* significatione, minime admittenda est exotica origo, quam in literis ad la Crozium effudit Jablonskius (Thesauri epist. la Croziani T. I. p. 184.) inque lexicon recepit Simonis, ab Aegyptio χωιτ, seu ut latinis literis sonum exprimam, *Schait.* Conjectura veri dissimillima, cum Aegypto prope toti natura olivas negaverit, quae in primariis Palaestinae dotibus numerantur. Vide juris Mosaici Tomum IV. §. 191. Deut. VIII, 8. XXXII, 13. Quod si ergo vocabulum Aegyptium cum Hebraico cognatum, Aegyptii illud a Judaeis aut Arabibus acceperunt. Caeterum nomen χωιτ quaere in la Crozii lexico Aegyptio pag. 170. Ad haec quidem improbabilia nimio deventum studio etymologico, quod

verbum a quo derivari זית posset, linguae orientales non habent: verum sunt, ut jam p. 19. fateri non puduit, aliqua prima nomina, a quibus ulterius progredi non licet.

Generis plerumque masculini est, nempe quia ת radicale, quod autem communis generis faciunt grammatici et lexicographi, ex Jes. XVII, 6. pendet, בסעיפיה פריה.

בֵּית זַיִת *Bezetha.* 1 Macc. VII, 19.

Vide notas ad hunc locum, in quibus copiosius exposui, quam LXX. Βηζεθ vocant, Josephus Βηθζηθω, in Hebraico libro fuisse videri בית זית, locum illo tempore ab Austro Hierosolymae, in quo et castra posita, sed deinde moenibus inclusum, *καινὴν πόλιν*, *novam urbem* Josephi, *Bezetha* dictam, nec vero eam ab olivis nomen accepisse, sed forte a Thalmudico Gemarae זיתא *lixivium*, in cujus vicinia licet extra muros adhuc *collis cineris lixivii* ostenditur. Haec excerpsisse sufficiat, plura qui cupit, notas adibit.

זָכָה Ps. LI, 6.

זכה *purus fuit*, sine dubio, quaeri ergo possit, cur LXX. Ps. LI, 6. vertant, *καὶ νικήσῃς*, *et vincas cum judicaris*. Monuerunt quidem jam alii, eum qui in judicio absolvitur, *vincere* dici, latinis graecisque: sic quidem ad eandem sententiam versio redit, sed quid erat, cur tam paraphrastice LXX interpretarentur? — — Lingua, ut puto, Syriaca; cui adhuc superstiti adsvetus erat psalmorum interpres. Nempe Syri verbum זכה sic diviserunt, ut

1) litera Zain servata, ܙܟܐ, in Kal figurate sit, *vincere*, licet in reliquis conjugationibus justificationis notionem retinuerit. Hoc inde, quod Orientales, omnia ad providentiam referentes, eum qui bello vicit, dei judicio justum declaratum esse dicunt: bella lis in judicio

judicio divino pendens, deus judicat, (דן) quique praelio vicit, ejus caussa deo placuisse, is justus esse videtur.

2) litera ז in ܙ mutata, ܙܟܐ propria significatione, *purus*, *innocens*, *justus fuit.*
Hoc ergo sequuti, LXX. vincendi significationem arripuerunt, plane ut et Syris iisdem literis servatis, ܙܟܘܬܐ ܡܙܕܟܝܢ.

זכך *purus fuit.*

De significatione verbi, collatis locis in quibus occurrit, dubitari plane non potest: mirum tamen, alia omnia significare Arabibus, Syris periisse, solis notione Hebraica superesse Chaldaeis. Samaritani habent sub זגג, mutato Caph in Gimel, sicque et زجاج et ܙܓܘܓܝܬܐ *vitrum*, a puritate, ut puto, dictum, pro זכוכית: forte et tinnitus significatio, quam זג apud Aramaeos habet, a *puritate* manavit. At iterum mirum, Arabibus زج alia significare omnia, ut, confodit. — — Suspicor זכך in puritatis significatione non primitivum esse, sed permutatione verborum sono cognatorum à זכה ortum.

זכוכית *vitrum* Job. XXVIII, 17.

Ἅπαξ λεγόμενον, sed significationis certissimae, *vitrum*, de qua nunquam dubitassent interpretes, nisi pretia rerum ante quatuor annorum millia ex hodiernis aestimassent, eaque et olim, cum vixdum inventa essent, vilia, quae nunc vulgaria: ܙܓܘܓܝܬܐ Syris, זְגוּגִיתָא Chaldaeis, زجاج Arabibus, sine dubio *vitrum*, modica literarum ג et כ in dialectis permutatione, Thalmudicis ipsissimum זכוכית *vitrum*, sed horum auctoritate non abutar, quod Rabbinos vocabulo in sua lingua eam dedisse significationem obvertere possis, qua in Jobi illud libro interpretari adsveverant, non cum lacte matris sumtam, sed ab aliis acce-

acceptam magistris. In vitrum et consentiunt veteres, LXX, Vulgata, Syrus; Chaldaeum, variae illum lectionis, quarum una habet זכוכיתא, ipsissimum Hebraicum vocabulum, non numero, licet constet, Chaldaeis vitrum significare. Sed lubet eum ut dubium ablegare, quod et alia Chaldaica legitur nominis interpretatio, de qua deinceps.

Non pauci fuerunt interpretum, quibus vitrum displicuit, quod, nostro tempore vile, gemmis hic auroque non componitur modo, sed prope praefertur: quibus quidem in notis ad versionem germanicam copiosius paulo satisfactum. Quo tempore Jobi liber, antiquissimus ille, ac me quidem judice a Mosis manu, scriptus, multoque magis illo, quo Jobus vixisse fingitur, recens vitri inventio, quod soli vendebant Phoenices, indeque summa raritas, ingens pretium: nec vitrum hic simpliciter laudatur, sed artificium ex eo, vitrum guttis seu globulis aureis sparsum. Scitu tamen utile, quid ex זכוכית fecerint:

1) De ipso conjicere adamante ausus Lutherus, *Gold und Demant.* Non nego, adamantem a vitro dici potuisse; sed dictum esse, usu linguarum orientalium nullo constat.

2) *Crystallum* optavit Symmachus, (κρύσταλλος διαφανής) cui Schultensius accedit, crystallum aliquando a vitri summa similitudine Arabibus زجاج dici monens. Non video, cur rarior vocabuli significatio usitatissimae sit praeferenda: maxime cum crystalli mediocre sit pretium, vitrum, ut vel ex inventae Americae historia notum, ubi novum et ignotum, auro magnopere praelatum.

3) Arabs, Syrum interpretatus, noluit tamen vile vitrum ponere, sed ejus loco ياقوت *hyacinthum* optavit, quod apud Arabes commune multarum gemmarum nomen est. (Vide specimen Teifaschi, aut bibl. Or. T. XXIII. p. 38. 40.) Sic et in Syriaca versione post vitrum additur, ܡܢ ܟܐܦܐ ܝܩܝܪܬܐ *gemmae praestantissimae.*

4) Alia

4) Alia verſio Chaldaica (duplex enim hujus verſus in bibliis polyglottis legitur) זהב וזכוכית ut hendiadyo accepit, vertitque דַהֲבָא אַסְפַקְלַרְיָא, quod intelligo, *aurum ſpeculare*, i. e. *ſpecular ex auro polito factum.* Nempe, *vitrum et aurum*, interpres accipiebat de auro vitri in morem polito, ut ſpeculum fieret: ignorans, ultimo tempore, ad quae Jobi liber referendus, ſpecula ex vitro nondum fuiſſe, ſed ſola ex metallo, nec ergo libri auctorem ſpecula a vitro dicere potuiſſe.

זכר, *nominare*, *ſacrificare*, cum derivatis.

A זָכַר *recordari*, ortum זֵכֶר non memoria aut recordatio ſolum, ſed et *nomen.* Sic manifeſte ponitur Exod. III, 15. ubi Moſi de nomine dei interroganti reſpondet Deus, additque, uno membro alterum, ut conſvetum Hebraeis, interpretante aut repetente, זה שמי לעולם וזה זכרי לדר דר. Nempe *nomen* eſt, per quod rei recordamur, adnotaruntque dudum acute philoſophi, memoriam, qua homines brutis praeſtant, magnopere a ſymbolica cogitandi ratione, nominibusque, quorum ope rerum recordamur, pendere. Eodem modo et accipi velim Jeſ. XXVI, 8. duobus ſynonymis compoſitis, *deſiderium noſtrum directum eſt* לשמך ולזכרך *in nomen tuum*, Hoſ. XII, 6. יהוה זכרו *Jehova eſt nomen ejus*, itemque in phraſi, *celebrate* זֵכֶר קָדְשׁוֹ *nomen ſanctum ejus*, Pſ. XXX, 5. XCVII, 12. Sic et verterunt LXX, ubi tamen et prima teneri memoriae ſignificatio poſſit, Deuteron. XXV, 19. ἐξαλείψεις τὸ ὄνομα Ἀμαλέκ.

Hinc denominativum הזכיר *nominavit*, ut Jeſ. XXVI, 13. נזכיר שמך ubi bene LXX. τὸ ὄνομά σου ὀνομάζομεν. Vide eosdem Joſ. XXIII, 7. Jeſ. XIX, 17. Jerem. III, 16. XX, 9. XXIII, 36. Amos VI, 10. (egregie, τοῦ μὴ ὀνομάσαι τὸ ὄνομα Κυρίου) diſcesque, hunc verbi ſignificatum, in noſtris omiſſum lexicis, olim ſatis notum fuiſſe.

Hinc jam consveta Arabum phrasi, ذُكِرَ اسم الله بِهِ *super quo* (cibo) *nominatum est nomen dei*, cibi dicuntur, pro quibus gratiae deo ante coenam actae sunt, Coran. Sur. VI, 119. 121. 139. sed et inde, usu satis communi, *quae sacrificata sunt*, cujus loco et elliptice dicitur, ذُكِرَ بِهِ.

Jam intelliges, cur *ea pars muneris farrei, quae altari imponebatur igne absumenda*, אַזְכָּרָה, sacrificium strictiore sensu dicatur Levit. II, 2. 9. 16. V, 12. VI, 8. Numer. V, 26. et Levit. XXIV, 7. *thus panibus sacris additum, in altari comburendum.* De etymo utcunque statuas, alii enim voluerunt μνημόσυνον dici, quod in memoriam dei veniat, id certum, sacrificium esse. — — Jam vero et verbum eodem aliquoties significatu poni a certo proximum: Exod. XX, 21. *in eo* (altari antea descripto) *sacrificabis holocausta tua* &c. — — *inque omni loco* אשר אזכיר את שמי, *ubi nominari nomen meum* i. e. *sacrificari mihi jubebo, veniam ad te, tibique benedicam* XXXIV, 19. quo de loco valde dubitatum est, variae parum probabiles concinnatae explicationes, תזכר פטר שור ושה *sacrificabis primogenitum bovis et ovis.* Puncta quidem passiva sunt, תִּזָּכָר, sed haec non curo, quamquam et ex illis eadem prodire sententia possit, *commemoraberis coram deo primogenito bovis et ovis:* active תזכיר in Hiphil textus habet Samaritanus, textusque Hebraici literas, mutatis vocalibus, תַּזְכִּר, Hiphil facere possis. Jes. LXVI, 3. מַזְכִּיר לְבֹנָה sine dubio est, *adolens thus.*

Psalmi XXXVIII et LXX inscriptio, לַמְנַצֵּחַ לדוד לְהַזְכִּיר, hincne aliquid lucis accipere, vertique possit, *psalmus Davidis inter sacrificandum canendus?* Ita quidem conjeci in collegio critico pag. 420. 421. estque uterque quidem psalmus ita comparatus, ut recte cani ad sacrifi-

ſacrificia oblata potuerit. Certi tamen, aut ita veriſimilis, ut fidere quodammodo poſſim, vix quidquam habeo: dubitationi aut ignorantiae jam dudum in titulis pſalmorum adſvetus.

Nil certe melius habent veteres. Hieronymus, pſ. 38. *ad commemorationem*, et pſ. 70. *ad recordandum*, quod nimis generale, omnibus pſalmis aeque bene aptum atque his duobus, ac ſenſu prope casſum, cum non nominetur id, cujus memoria inſtituitur aut expetitur: addunt hoc aliqui, ſed plane pro lubitu, LXX. pſ. 38. *εἰς ἀνάμνησιν περὶ τοῦ σαββάτου*, licet plane non adpareat, quid hic pſalmus ad ſabbatum, et pſ. 70. *εἰς ἀνάμνησιν εἰς τὸ σῶσαί με* (vel, ut Vulg. et Ar. legit, *αὐτὸν*) Κύριον, indeque Vulgata, *in memorationem, quod ſalvum eum fecerit dominus:* Chald. pſ. 38. דכרנא טבא על ישראל, *ad memoriam bonam pro Israele*, quod Raſchius interpretatur, *ut mentionem faceret adflictionum Israeliticarum coram Deo*, et pſ. 70. לְמִדְכַּר עַל צְרוֹךְ לְבוֹנְתָא *ad recordandum de uſu thuris.* Aliqui Rabbinorum, ut ad pſ. 70 Raſchius, ſed alia ingenii Judaici admiſcens, *ad precandum*; quod quidem ex reliquis optimum, et phraſi Arabicae ذَكَر اسم الله convenientiſſimum, ſed nimis iterum generale, omnibusque pſalmis aeque aptum.

מַזְלֵג 1 Sam. II, 13. 14. מִזְלָגָה Exod. XXVII, 3. XXXVIII, 3. Num. IV, 14. 1 Paral. XXVIII, 17. 2 Paral. IV, 16.

fuſcina.

Significatus ſatis certus videtur, cum ex filo orationis, maxime 1 Sam. II, 13. 14. tum conſenſu veterum, *κρεάγρας*, מַשְׁדְּלָא et ܡܫܚܠܐ (inſtrumentum quo quid extrahitur) منشال (a نشل *extraxit*) צִנּוֹרִיתָא vertentium: ſed de etymo non aeque liquet. Verbi tamen זלג, quod Hebraismo biblico periit, prima vis in *fluendo*,

et *lubrico lapsu* fuisse videtur, quorum utrum prius, definire non ausim. Syris quidem est, *fluere*, quem significatum et Aethiopia habet, sed inde ut saepe in Orientalibus linguis, utramque significationem conjungentibus, *splendere*, *radiare*. Arabibus زلج *lapsare*, ut, *in lubrico*, unde زلج *lubrica petra*: hinc vero et مزلج *vectis portae*, et vero, *mobilior*, credo quod lapsans et lubrice transeat. Eodemne modo et fuscina acuta a lubricitate, qua per ea transit, quibus eam infigimus, dicta? Tentasse satis sit.

זלל *vilis fuit*, *caespitavit*.

Ad hanc radicem, non ad זול, refero זולל, זֻלּוּת et similia, minus ab aliis recte dispertita, id tamen fassus זול et זלל significatione satis convenire, ut saepe verbis med. rad. Vau, et med. rad. geminatae accidit. Est et hoc in lexicis taxandum, quod *comessatorem*, *epulonem* vertere solent, aliqua ubique, satis absurde, alia ubi cum סבא componitur, ut Deuteron. XXI, 20. Prov. XXIII, 21. Non habent certe hanc significationem reliquae orientis linguae, ipsique illi loco, cui eam interpretes excogitarunt, ex serie ut putabant orationis, Deut. XXI, 20. inepta est, nisi crudelissimum velimus et stultissimum facere legislatorem Mosen. Epulonem, qui monitus non resipiscit, sed nihil aliud mali patrat, quis ultimo adfici supplicio, quis lapidari jubeat? Alia caussa facinorosi est, maxime accedente ebrietate, de quo vide jus Mosaicum T. VI. §. 294.

Duplex verbo זלל in reliquis linguis Orientalibus notio subest, una, ut mihi quidem videtur, ex זול adscititia, altera propria, ac vera.

1) Adscititia, *levis*, *vilis*, *contemtus fuit*. Huc referes vel primo oculorum conjectu, lexica evolvens, ذلّ *abjectus vilisque fuit*, ذُلّ *vilitas*, oppositum gloriae (عزّ) Syriacumque ܙܠ *vilis fuit*, in

in Ethpaal *gravioribus implicatus fuit obſcenitatibus*, in Aphel, *vilipendit*, *contemſit*. Habent et Arabes رَذَلَ *pondere defecit*, *juſto levior fuit nummus*, quod forte, non obſtante ſcriptionis diverſitate, ad eandem ſignificationem referendum.

2) زَلَّ *lapſus fuit*, *ceſpitavit*, proprie, Jeſ. LXIII, 19. LXIV, 2. ſecundum puncta הרים נָזֹלּוּ, *montes ceſpitant*, ut apud Virgilium, *juga coepta moveri ſilvarum:* ſed et figurato ſenſu ponitur pro, *erravit*. Idem vero verbum et de nummis poſitum ſignificat, *pondere defecit*, *juſto levior fuit*, unde زَآل et زَلُول *pondere deficiens nummus*, quae forte cum vilitatis notione conjuncta, nec ſemper utrumque verbum orthographica ἀκριβείᾳ ab Arabibus diſtinctum.

Jam quae Hebraei habent, liceat ordine digerere, quorum pleraque ad vilitatis ſignificationem referenda: additis ſimul veterum auctoritatibus, quo adpareat, non eos unanimes in fictitia fuiſſe comeſſandi ſignificatione.

1) *vilis fuit*, ſenſu proprio. Sic Thren. I, 11. הייתי זוללה, ubi recte LXX. ἐγενήθη ἠτιμωμένη, Vulg. *facta ſum vilis*, (harmonice Syrus ܘܐܶܨܛܠܠܶܬ) ibid. v. 8. in Hiphil, הִזִּילוּהָ LXX. ἐταπείνωσαν αὐτήν, Vulg. *ſpreverunt eam*, Syr. ܐܨܛܠܠܘܗ, Chald. harmonice בְּהָנוּ בַהּ זִילוּתָא: indeque nomen זֻלּוּת *vilitas* i. e. *viliſſimi* (filiorum Edom (*)) Pſ. XII, 9. (Vilitatis notionem hic expreſſerunt, Syrus harmonice, ܙܠܝܠܐ, Aquila, εὐωνισμένοι, Symmachus οἱ εὐτελεῖς, Hieronymus, *viliſſimi*).

Eodem et referendus videtur locus Jerem. XV, 19. אם תוציא יקר מזולל *ſi eduxeris pretioſum ex vili*, niſi quod ibi a metallo deſum-

(*) Biblioth. Orient. T. XI. p. 204. 205.

desumta oratio, adulterinumque et scoria, *vile*, dici videtur. (LXX. ἀνάξιον, Vulg. *vile*, Syr. ܙܥܘܪܐ).

Huc et aliqui veterum תְּזִלִּי Jerem. II, 36. sed תְּזֹלִּי lectum, retulerunt, Vulg. *quam vilis facta es nimio*, Syrus ܡܛܠ ܡܢܐ ܐܬܒܣܝܬܝ, quibus calculum adjiciens in versione germanica reddidi, *cur ita te humilias, vilemque reddis.*

2) Hinc morali sensu vilis dicitur, *facinorosus, vitiis deditus.* Sic accipio Deut. XXI, 20. de filio immorigero positum, quem lapidibus obrui jubet Moses, זולל וסבא *vitiis et ebrietati deditus.* Arabs Erpenii quodammodo harmonice, زايل *declinans*, nempe a recto: sed verbo non satis atroci usus, Samaritanus ipse quoque harmonice, מזל). De comessationibus, quas alii legi, nimis ita futurae atroci, obtruserunt, infra. Eodem modo acceperim Prov. XXVIII, 7. *socius vitiosorum.* (Chald. harm. זלילי).

In rei summa et huc referendus locus Prov. XXIII, 20. 21. phrasin adeo et compositionem סֹבֵא וְזוֹלֵל ex Mose retinens: est tamen de זֹלֲלֵי בָשָׂר, qui cum vinoso componitur, speciatim dicendum.

Lapsantem et nutantem corpore olim a زلّ cespitavit vertere solebam: sed jam video, reliquorum locorum omnium notionem et huic optime convenire, *qui vilipendit, qui ignominia adficit corpus suum*, turpi nempe Venere.

Sed jam et videndum de *comessationis* et *prodigalitatis* notione, quae in lexicis regnavit olim latius, sed nec nunc regnare desiit, licet nullum ejus in linguis Orientalibus reliquis vestigium inveniri possit: quod enim Chaldaicum זליל in Polyglottis Prov. XXVIII, 7. comessator vertitur, non ex Chaldaismo sumtum, sed ex Hebraicis lexicis consvetis bona fide translatum. Nempe bis cum viderent, זולל et סבא *vino dedi-*

deditum conjungi, conjecerunt, esse *gulae servientem*, *comessatorem*, veri quidem non dissimiliter, modo dura, quae saepe dixi, lex Mosis non obstaret. Sic Deuteron. 21. LXX. συμβολοκοπῶν (*collationibus deditus*) Vulg. *comessationibus vacat*, Saadias مُسْرِف i. e. *prodigus*, Syrus ܐܣܘܛܐ *asotus*: – – Prov. XXIII. ubi cum בשׂר componi videbant, LXX. μηδὲ ἐκτείνου συμβολαῖς, κρεῶν τε ἀγορασμοῖς, *noli te dare collationibus*, *carniumque coemtioni*, Vulg. *comessationibus eorum*, *qui carnem ad vescendum conferunt*, Chaldaeus, דאסיטין בבשׂרא et Syrus, ܐܣܘܛܐ ܕܒܣܪܐ — — c. XXVII. Septuaginta, ἀσωτίαν, Aquila συμβολοκόπους, Vulg. *comessatores*.

Hucusque non vere quidem illi, nulloque praeter conjecturam argumento philologico, nec tamen absurde. At quis ferat, quod lexicorum aliqui hanc significationem ad loca etiam alienissima transtulerunt? quod idem Thren. I, 11. Chaldaeus fecit interpres, tristem ille, humi sedentem, ac fame, ut queritur, prope enectam Sionem haec loqui faciens, *vide o domine et intuere*, ארום הויתי גרגרניתא *fui enim* (seu ut absurdius etiam in polyglottis vertitur, *quia facta sum*) *comessatrix*. – – Eidem somnio philologico et acceptum referendum, quod זלות לבני אדם Chaldaeus vertit, *ut sanguisuga*, *quae sugit sanguinem hominum*, nempe vermem intelligebat, sanguine humano epulantem.

Jam, spero, haec male lexicis illata, abdicabuntur, postquam adparet, unde orta sint. Addo, quoniam pleraque exhausta, et haec, quibus alioqui careri potuisset. Ps. XII, 9. Graeci, זֻלֻּת ut verbum efferentes, ἐπολυώρησαν τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων, *magni fecerunt*, *impense curarunt filios hominis*, κατ᾽ ἀντίφρασιν illi, ut nonnunquam solent. Prov. XXVIII, 7. ܕܦܠܚܝܢ ܣܪܝܩܘܬܐ *qui operantur vana*.

זַלְזַלִּים *luxuriantia, quae amputantur.*

Non nisi semel occurrit Jes. XVIII, 5. ubi Syrus harmonice, ܙܰܠܓܳܐ. Ea omnia, quae in vite amputantur, ita dici ex serie orationis videntur, tanquam *vilia* ac *decidua*. Nempe simulac flos vitis in omphacem versus est, solent luxuriantia folia et ramusculi amputari, ut solem experiatur omphax, eoque excoquatur et maturescat. Male alii a *luxuriando* dici putarunt: nec equidem nego, haec, quae amputantur, luxuriari, sed verbo זָלַל luxuriandi significatum, gratis sumtum, antea negavimus. Non male Vulgata *ramusculos* vertit, Vitringa, *flagella*, i. e. palmites teneriores sed tamen plura etiam quam ramusculi amputari solent, folia maxime, nec omnia amputantur flagella: male, ut mihi videtur, videbiturque vinitori, LXX. *βοτρύδια μικρά*, omnes enim uvae, immaturae illo tempore atque omphaces, parvae.

זַלְעָפָה *haustus venenatus, ventus ardens Samum, agon mortis.*

Ter occurrit Ps. XI, 6. CXIX, 53. Thren. V, 10. Kimchius in suo lexico dubitabat: ענינו ענין בעותא ורעדה או ענין שריפה, *terrorem et tremorem significat, aut combustionem.* Haec ille sine argumentis. A Reuchlino inde plerique, *turbinem, procellam* habent, sed cum aliis significationibus conjungentes: praeiveruntque Ps. XI, 6. Graeci, *πνεῦμα καταιγίδος*, Vulg. et ipse Hieronymus (cujus auctoritatem Reuchlinus adfert) *spiritus procellarum*, Chaldaeus, cognato etiam vocabulo pro *vento* usus, זִעְפָּא דִשְׁלְעֲלָא *ventus turbinis*, – – Thren. V, 10. LXX. Chald. Vulg. Hieron. Ar. Adferri pro hac versione possit Chaldaicum et Thalmudicum זִעְפָּא ventus, de quo vide Buxtorfium p. 682. Samaritanumque זעף *inflavit*, sed his ipsis duobus locis, quod mirum est interpretes non vidisse, minus apta. Quae phra-

phrafis, *ventus procellae erit portio calicis eorum?* procellasne bibimus? Alia ratio fi de ardente vento, aut venenato fermo. Et quod dictionis adeo monftrum: *cutis noftra tanquam in fornace adufta eft procellis famis.* Ergo procellas repudiemus.

Ἀθυμίαν LXX exque illis Vulgata *defectionem*, רתיתא (terrorem) Chaldaeus, *horrorem* Hieronymus, *triftitiam* Syrus habent Pf. CXIX, 53. Adferri poffit Chaldaicum זִיעֲפָא *pavor*, Deut. II, 25. fed quod ipfum vitiofum videri, vérioremque lectionem זועא, monuit jam Buxtorfius p. 682. Ergo et hoc, ex mera conjectura pofitum, interpretibus, qui habent, relinquamus. Nec magis certum, quod Syrus Thren. V, 10. habet, ܟܡܢܐ ܕ ܠܘܚܡܐ *perturbatio, calamitas famis.*

Propius a vero abfuit Caftellus Arabicum ازلعب conferens (conjugationis quadriliterorum quartae, non, ut ex eo Simonis retulit, octavae) *ambufta et uftulata fuit cutis:* fed forte ne permutatione quidem literarum opus habebimus. Vide et Simonis.

Mihi quidem nomen eft quadriliterum ABCD, pro more Hebraeorum ex duobus triliteris ABC et ABD compofitum, nempe ex:

זעף, quod Hebraeis, Chaldaeisque eft, *efferbuit, aeftuavit,* unde et Syri in Ethpeel ܐܙܕܥܦ *combuftus crematus, aeftu percitus fuit.* Maxime autem ob fequentia notandum, ab hac ipfa radice *aeftuantia* Arabes et *mortifera* venena, ac *citam mortem* dicere, ut زلع *interemit*, fed addita feftinationis notione, زعوف *praefentiffimum venenum*, feu, ut Golius vertit, *accelerans mortem toxicum*, ذعف *propinavit venenum*; ذعوف *mors repentina, venenum praefentiffimum.*

זְלַע Syris Chaldaeisque, *hausit*, unde ܙܠܥܐ *haustus*, ܙܠܘܥܐ *hauriens*, זְלוּעַ *lagena*.

Erit ergo proprie, *haustus veneni, poculum mortiferum:* quae significatio psalmo undecimo eximie apta, ipsi etiam phrasi, quod ventus זַלְעָפוֹת portio dicitur *poculi* ipsorum. Nec dubitaverit, Orientis peritus, quis hic sit ventus *haustus venenati*, Eurus ardens, Julio et Augusto nonnunquam per pauca minuta spirans, quosque erectos invenit, praesentissimo veneno interimens, *Samum* Arabibus dictus. Ipsum et hauriendi verbum vento, cujus intolerabilis imbibitur aestus, aptissimum, ac si recte recordor, Arabibus quoque, ubi de poenis inferorum loquuntur, usitatum. Caeterum nominare, qui sententiam tam expeditam praeierit, neminem possum, nisi forte Syrus idem voluit, ܪܘܚܐ ܕܙܠܥܦܬܐ vertens, sed a suo Arabe Antiocheno destitutus, ex graeca hic versione interpolato.

Eandem Euri pestilentis imaginem possis et ad Ps. CXIX, 53. transferre, idque feci in versione germanica, sed jam video simplicem *haustus mortiferi* notionem, illi loco, in quo venti nulla mentio, aptiorem, ex qua et deinde Thren. V, 10. expediam. Morti orientales poculum tribuere solent, veneno lethifero plenum, quod gustant morientes, quoque gustato convulsiones totius corporis incipiunt. Vide me *de lingua Syriaca ejusque usu* p. 47–49. Jam *haustus veneni* pro ipso agone mortis ponitur, dictique sententia, *horror me mortalis invadit, ubi cum malis versandum, spasmos tanquam mortis persentio.* Sic et Thren. V, 10. *agonem mortis ex fame* intellexerim, quae omnium dirissima; nisi forte ibi solam *aestuandi ardorisque* significationem spectari ob praecedens membrum malis.

זָמַם *nectere*, cum derivato זִמָּה.

Non meum est, sed aliis jam notatum, praeeunte utrisque Schultensio, primam vim verbi זמם in *ligando*, et *nectendo* esse, inde et *cogitationes nectere*, et *fraudes* dictum. Nempe زَمَّ est, *ligavit, constrinxit*, unde زِمَامٌ *funiculus annexus annulo, qui per cameli nasum trajicitur*, quod nomen maxime ideo enoto, quod simile habent Aethiopes זמם et Syri ܙܡܡܐ *annulus quem et homines naso inserunt*, ut hoc exemplo constet, communem radicem primamque significationem et reliquis fuisse linguis orientalibus. Transferebat et ad verbum Hebr. Ps. XVII, 4. illustrandum Schultensius, in quo me dissentire, ibique mutatis vocalibus זַמֹּתִי legere, ex bibliotheca Or. T. XI. p. 207. disces.

Haec quidem satis expedita, sed vocabulo זִמָּה pro *incestu cum uxoris filia vel matre* Levit. XX, 14. positi, dicendum: quod copiosius feci in *Abhandlung von den Ehegesetzen Mosis, welche die Heyrathen in die nahe Freundschaft untersagen* §. 19. brevius, in jure Mosaico §. 102. 265. 268. Nempe ab astutia, a fraude, hoc incestus genus dici, atque adeo tanquam proprio nomine, ab aliis, נִדָּה, תֶּבֶל, חסד ut fieri a Mose videmus, distingui omnino non potuit: nec sufficit, זִמָּה generatim *scelus* interpretari, quam quidem significationem vocabulo non nego, ratio enim nulla reddi potest, cur hic unus incestus, *scelus*, reliqui illis, quae antea dixi, nominibus adpellentur ac distinguantur. Arabes quidem זמם non sub زَمَّ solum sed et ذَمَّ habent, unde ذِمَّ *nuptias, confoederatos*, a colligando dicunt, et quod maxime hujus loci est, ذِمَّة *clientelam, foedus quo quis in clientelam recipitur*, ذِمِّي *clientem*. Hinc si quis aut extra conjugium cum ea con-

cumbit, aut uxorem ducit, quae in ipsius clientela est, cujusque pudicitiam defendere contra omnes debuisset, matrem vel filiam uxoris, proprio id juris vocabulo זִמָּה vocatur. Sic fere et, licet alio nomine usus, Muhammedes, Sur. IV, 27. *prohibitae vobis sunt* - - أُمَّهَاتُ نِسَائِكُمْ وَرَبَائِبُكُمُ اللاتي في حُجُورِكُمْ *matres uxorum vestrarum, et privignae vestrae, quae sunt sub custodia vestra.* Hic proprius vocabuli significatus, teste ipso Mose, sed latius ejus usus patuit, maxime extra forum, complexus

1) *incestum patris cum uxore filii* Ezech. XXII, 11. (qui alias proprio juris nomine תבל)

2) *lenocinium patris vel mariti* filias vel uxorem aliis permittentis. Levit. XIX, 29. Ezech. XVI, 43.

3) *adulterium cum amici uxore*, quae sub nostra tutela esse ac defendi a nobis omni modo debuisset, *insidiaeque illius pudicitiae structae.* Job. XXXI, 9-11. Vide notas germ.

זַמְזֻמִּים Deut. II, 20.

Nomen deleti jam ante Mosen populi, giganteae i. e. majoris staturae, qui olim in Ammonitide habitaverat. Nominis etymon, de quo melius non laborassent, investigasse sibi visi interpretum aliqui: Simonis, p. 135. *proceros*, i. e. *gigantes* dictos voluit, a زَمَّ *superbivit, sursum sustulit caput*, indeque زُمْزُم *longa cervice praeditus* (camelus): quae quidem pro lubitu ex Golii lexico arripuit, alias aeque bonas etymologias alii daturo excutienti. His non contentus, addit صمصم *vir crassus.* Aliis ab *astutia* nomen ductum visum est. Saadias, quem Simonis praetermisit, ذوي الهمم i. e. *magna animo volventes*, vertit, a verbo *cogitandi* זמם fortius accepto. Mirum, neminem potius de celebri fonte Meccano زَمْزَم cogitasse, Zamzummaeos-

maeosque fecisse ex Meccana Arabia advenas: melior hac quidem parte futurus, quod nomine usus esset geographico. Nec ita derivandi svasor sim, sed hoc solo fine commemoro, ut a lusibus etymologicis eruditos revocem. Nihil historiae, nihil originis populi novimus: fas sit etymologiam aeque ignorare.

זמר *putavit, e. g. vites, cecinit.*

Diversissimae verbi, nominumque ex eo ortorum, significationes, confusioni duarum radicum in unam, permutatione literarum ב et מ, acceptae videntur referendae. Quodammodo eas Arabia distinguit, cui زمر est, *cecinit,* زبر *putavit:* quamquam iisdem Arabibus, nova literarum permutatione, et a زمر cecinit زُبُور *psalmi* dicantur, qui alias مَزْمُور plur. مَزَامِير.

Duabus significationibus, satis jam inter se diversis, tertiam addiderunt LXX, זמרת Jes. XXIV, 16. τέρατα vertentes. Monuit jam Hieronymus: *miror*, inquit, *quo sensu pro psalmis et laudibus, quod in Hebraico legitur ZEMROTH, LXX portenta interpretati sint: nisi forte signum est atque portentum, ut excluso populo Judaeorum incredula prius gentium turba salvetur.* De hoc quidem eos portento non cogitasse puto, sed זמר cum Syriaco ܕܡܪ et ܐܬܕܡܪ, *mirari*, contulisse, quamquam id ipsum perperam.

זֶמֶר Deut. XIV, 5. nomen animalis puri, adhucdum ignoti.

Hoc aliquando nosse, nihil nos scire, melius, quam errare, aperta sic via ad verum inveniendum. Nostri quidem vocabuli ἅπαξ λεγομένου interpretationes, ut se offerebant prodiderunt lexicographi: hae et melius digerendae, et hoc unum addendum, lectorique planum faciendum, nihil hucusque constare.

1) καμηλοπάρδαλιν, *camelopardalum* habent LXX, Vulgata et Hieronymus, quibus concinit Arabs uterque زرافة (*Zirafe*, quod Galli in suum *Girafe* detorserunt,) ponens, monuitque linguae Arabicae peritus R. Jonas, citatus ad h. l. a Salomone Ben Melech, animal esse, quod Arabibus זוראפה dicatur. Magnus sane atque admirandus prope consensus. Ex Hieronymo in lexicon recepit Reuchlinus, sed dubius, inde in plura fluxit, forte nonnullis quid scriberent, pluribus quid legerent non intelligentibus. Quod ne meis accidat lectoribus, definitionem pono animalis, minime, ut quibusdam visum est, fabulosi Linneanam, *cervus cornibus simplicissimis pedibus anticis longissimis. Bellon Obs. 179. Rai quadr. 90.* addoque, fidissimam, temperato climati ignoti animalis descriptionem inveniri in *transactionibus philosophicis* Vol. LX. *(for the Year 1770.)* tab. I. ad pag. 29. Multa de illo habet Bochartus P. I. hieroz. l. III. c. 21. praeter quem vide copiosissimum in descriptione animalis in schachiludio etiam sub nomine, *Girafe* et *der Springer* (saltator) noti, *Thomam Hyde in Schachiludio* p. 103–105. — — *Hasselquistum in itinere terrae sanctae* p. 203, aliorum delineationes, maxime Prosperi Alpini damnantem, licet ipse camelopardalum vivum non viderit sed modo exsuvias: — — *Buffon* T. XIII. et quidem editionem 1770. pag. 17. cui et delineatio (*planche I.*) adjecta, — — *Donatum* denique in notis ad *excerpta physicae sacrae Scheuchzerianae* T. III. p. 398. 399. Possem et, si veram existimarem versionem, etymologiam addere non improbabilem a زرف et زمر *horripilavit*, sunt enim, Hasselquisto teste, *pili brevissimi rigidi.*

At prorsus abdicanda est camelopardalis, ob rationem a Bocharto jam indicatam, quod intimae sit Aethiopiae animal: cui mirum a Shawio (*) opponi potuisse, ex hoc ipso Aethiopiae incolatu verisimile

(*) p. 360. versionis germanicae.

simile fieri, camelopardalim Israelitis in Aegypto viventibus non ignotam prorsus, atque adeo carnes ejus gustatas fuisse. Id quidem certum, zonae torridae incolam esse, nec in tota Aegypto, cujus in boreali angulo habitarunt Israelitae, reperiri, nisi ut exoticum illuc miraculum spectaculi caussa adducatur. Prosper quidem Alpinus l. IV. rerum Aegypti c. 10. *anno 1581 mense Aprili Alexandriae vidimus elephantem atque camelopardalim, quam Arabes Zurnap adpellant.* Hasselquisto ne vivum quidem animal in Aegypto videre contigit, pelle antea ibi monstrati contenti, monetque in silvis habitare Aethiopiae et Sennaarae. Primo climati adscribit Nubiensis, pag. 9. Carnesne tam rari animalis Israelitis oppressis et pauperculis in dapibus fuisse quis suspicetur? aut quis legislator populo, jam ex Aegypto egresso, et a gradu 31 ad 35 habitaturo, permittat, animali vesci, ultra gradus 10 a Palaestina remoto, quodque vel in viciniorem Aegyptum non cibi caussa sed spectaculi deducitur. Nimis hae dapes carae, quam ut de illis loquuturus videatur legum sapiens conditor. Miror adeo, qui factum sit, ut LXX. et Saadias, in Aegypto utrique viventes, de Aethiopiae camelopardali cogitarint.

2) Syrus ܐܙܢܒܐ vertit, seu, ut legendum suspicor ܐܙܝܡܐ per Jod: aut ignotum vocabulum, aut idem, quod أَرْوَي Arabum, a Golio *capra montana* redditum. Descripsit Shawius paululum mutato nomine, retentoque L articuli Arabici (الاروي) sub nomine *Lerwee*, p. 170. editionis Anglicae anno 1757 factae, 151 versionis germanicae. — — Samaritanus יאר vertit, quod forte Syriacum est: certi aliquid aut valde verisimilis habere me credam, si Celeb. Fordius me docuerit, quo vocabulo versio Samaritano-Arabico Oxonii servata utatur.

3) Bo-

3) Bocharto est, *rupicapra*, illi quidem ex mera conjectura, nec enim praecedens أُرْوِيَّة vel أروي rupicapra, sed aliud animalis genus. Etymologia quidem sententiam fulcit, sed pro more suo: literas זמר transponit, רמז, رمز Arabibus est, *saltavit more caprarum*, jam vir perquam doctus, sed pravus plerumque logicus, rupicapram tenet, quod saliat, quasi vero non et praecedens animal sub n. 2. idem faciat, (teste Shawio, projicit se per praecipitia, ubi fugit persequentem) et primum, quod plerique posuerunt, vel in schachiludio saltatoris nomen habeat.

4) Chaldaeus דיצא *saltatorem* vertit, quod idem nomen pro תאו Syrus ponit.

Ex his si qua est explicatio, non dicam verisimilis, sed tamen non plane reprobanda, me quidem judice erit Syriaca, quod illud animal eodem sub climate, cui Palaestina subjacet, satis frequens. Utinam fidam haberemus hujus caprae montanae delineationem, adcuratioremque descriptionem.

Merae conjecturae est, quam Lutherus ex eoque alii habent, *alce* (Elend) et vero infelicissimae: populo intra gradus a 30 ad 35 habitaturo leges ferebat Moses, non Europae boreali a gradu 50 ad 70. Alce nunc in Lapponia domi, superstes etiam, ut dicitur in Borussia, olim et Germaniae borealis indigena: hujus carnes permittere Israelitis quomodo Mosi in mentem venire potuisset?

זמורה, *abscissum*, *palmes*, *lignum aridum*.

Palmitem hoc nomine dici, omnes concedunt traduntque lexicographi, dictum et fatentur a *putando*. Quamquam non semper palmes est, quem proprie dicimus, sed quodvis ex arbore resectum. Sic Num. XIV, 13. palmes vitis est, ex quo ingens uva pendet, Ezech. XV, 2. lignum quodvis arescens, vitis aut alius arboris, (עץ הזמרה) *lignum*

lignum amputatum) Jeſ. XVII, 10. *ſurculus virens ex arbore reſectus, quo alia arbor inſeritur.* Haec quidem non ſatis diſtincte expoſita a lexicographis: ſed ad eum jam veniendum Ezechielis locum, cujus maxime cauſſa de hoc vocabulo agendum putavi, in quo foediſſime rem egerunt Judaei, et quotquot eos lexicographorum ſequuti ſunt, c. VIII, 17. וְהִנָּם שֹׁלְחִים אֶת־הַזְּמוֹרָה אֶל אַפָּם. Satis ad literam et reliquis omnibus fidelius vertit Vulgata, *adplicant ramum ad nares ſuas*, optimusque ſui interpres Hieronymus, *haud dubium*, inquit, *quin palmarum, quas graeco ſermone βαΐα vocant, ut per hoc eos idola adorare ſignificet.* Praeferenda haec ſane omnibus aliorum verſionibus, obſcurum tamen eſt, cur haec βάια ad nares ſuas adplicent. — — Syrus, ܗܦܟܘ ܠܡܪܓܙܘܬܢܝ *verterunt ſe ad irritandum me* nempe, *baculum* alicui *ad naſum admovere*, id vero putabat eſſe *irritare*, hoc quidem non male, certe enim ipſi non ferremus, at lectionem mutabat אפם *nares ſuas*, in אפי *nares meas*, nec vero, ut vixdum videbimus, aliquo codicum conſenſu, ſed Judaeorum conjecturae, quam סביר, vocant, obſequens, quae vix unquam vera, noſtroque loco parum verecunda. Judaeos codicem ſacrum deſcribentes, ut honeſtos viros amo, conjicientibus raro aurem praebere potui. LXX. καὶ ἰδοὺ αὐτοὶ ὡς μυκτηριζόμενοι, *et ecce illi ſunt tanquam irridentes*, quos puto זמורה ad זָמַר *cecinit*, retuliſſe, *mittunt canticum in naſum ſuum*, cantusque nomine ſonum qui per nares editur, graeciſque proprie eſt μυκτηρισμός, a μύζω, intellexiſſe. Ita ſine dubio Symmachus, ὡς ἀφιέντες εἰσὶν ἐπηχον, ὡς ᾆσμα διὰ τῶν μυκτήρων αὐτῶν, *emittentes ſunt ſonum, ut canticum per nares ſuas*, exque alia verſione, ἦχον ὡς ἆσθμα διὰ τῶν μυκτήρων αὐτῶν, *ſonum, ut rhonchum per nares ſuas.*

Haec quidem parum veriſimilia, multo fecerunt foediora Judaei, cantico, i. e. crepitu ventris intellecto, qui in ipſius Dei nares emittatur,

tur, quod deinde mollita *foedi odoris* voce in multa susceptum est lexica. Raschii verba adscribo: *mittunt ad nasum suum odorem malum cantus quem illi canunt flatu qui egreditur ex podice, ac si diceres, pudor hic ad os illorum redibit:* בשתם זה אל פיהם ישוב. (Idem et voluisse Chaldaeum puto, reddentem, מיתין בהתא לאפיהון, quod vertendum, *venire faciunt rem turpem*, crepitum ventris, *in nares suas*). *Menachem autem interpretatur in opprobrium et dedecus, vultque odorem thuris et invisorum sacrificiorum assimilari foedo stercori. Quod autem praecessit* (v. 16.) *posteriora illorum templo Jehovae obversa erant, docet nos dicti sententiam.* Nempe, putabat viros, qui orientem solem adorantes terga ad templum obverterant, templo quoque *oppedere*, proprie, *podice occinere.* Pro אַפָּם *nasum suum*, legebat cum Judaeis אַפִּי *nasum meum:* volunt enim Judaei ita prophetam scripsisse, sed librarios in honorem dei aliter descripsisse. (תקון סופרים) Nec tamen ullus codex Kennicotto collatus ita legit, (quos enim citat 300 et 683 sunt, Tikkun Sopherim et biblia Mantuana in notis) ex interpretibus solus, quem dixi, illorum conjecturae accedit Syrus, forte et sententiae, si ejus verba ܗܦܟܘ ܠܩܕܠܗܘܢ ܠܘܬܝ ܠܡܪܓܙܘܬܝ vertas, *obverterunt mihi tergum ad irritandum me*, irritandi verbo honestius pro oppedendo posito.

Hanc significationem in lexicon recepit Kimchius, הריח הרע, sed dubitans, cumque aliis conjungens Reuchlinus. Inde in plerisque remansit, Coccejo ejus rationem ex Judaeis reddente, in aliis forte per traducem. Tota ejus exponenda ratio, ut jam suo quisque judicio statuat, placeatne *cantus ventris in nares emissus:* simul vero sciat, si Judaicam interpretationem admiserit, etiam אַפָּם contra omnes codices in אַפִּי mutandum esse.

Mihi

Mihi quidem ex omnibus verisimillima vocabuli explicatio, ex ritibus ignicolarum sacris petita, (de orientis enim solis adoratoribus loquitur propheta) a *Walthero* in programmate *de Scechina Persica* Magdeburgi 1743 prodita. Magi nempe ignicolae inter precandum, ante ignem virgarum fasciculum tenebant, Strabone teste l. XV. p. 733. al. 1066. quas sancte eos servasse, vimque illis contra daemonia tribuisse, auctor est Clemens Alexandrinus in admonit. ad gentes. Copiosius ritum virgasque descripsit Thom. Hyde de religione Persarum, l. I. c. 27. pag. 350. 351. editionis secundae. *Bersam* vocantur lingua Persica, suntque longitudine unius spithamae, tenues et enodes, ab arboribus Gez aut Haun, vel earum defectu a malogranato resectae. Hae ergo a putando et resecando (זמר) nomen recte habuerint. Locum Ezechielis verterim, *virgas sacras emittunt ad vultum suum*, i. e. solem adorantes vultui praetendunt.

מְזַמְּרוֹת *cultri* 1 Reg. VII, 50. 2 Reg. XII, 14. Jerem. LII, 18. 2 Paral. IV, 22.

Reliquis repudiatis interpretationibus, nullo ne etymologico quidem argumento ex sola conjectura arreptis, duas inter dubitari possit:

1) *psalteria* a זמר psallere vel canere. His vero obstat, quod nomen ubique cum poculis, pateris, ollis, similibusque componitur.

2) *cultros*, quos primus, nisi fallor, Lutherus in chronicis et Jeremia prodidit, a זמר *putare*, *secare*. Sic et, licet minus quam ille lucide, Venema in Jeremia, *amputatoria instrumenta*. Nec cultris opponendum, quod מזמרות 1 Reg. 8. 2 Reg. 12. 2 Paral. 4. aurea sunt argenteaque, Jerem. 52. aenea: nempe a manubrio aureos, argenteosque cultros vel nos vocamur.

Caeterum caussam video nullam, cur masorethae nostrum nomen a

מַזְמֵרוֹת *falcibus*, punctis distinxerint: utrumque nomen mihi idem, jam generatim de cultris positum omnibus, jam speciatim de cultris vinitorum.

זַן 2 Paral. XVI, 14. Ps. CXLIV, 13. *genus*, *species*.

Vocabulum bis obvium, a lexicographorum non paucis omissum, aut ad aliam radicem relatum atque in quo certe a veteribus discordes sunt. Hic quidem omissis etymologicis a certis incipiamus, ab his pergamus ad dubitabilia. Certum est Aramaeis, זַן et ܙܢ, *speciem*, esse, ut Danieli זְנֵי זְמָרָא *variae species instrumentorum musicorum*. Haec unde dicta, nihil jam ad me, quod ex linguis orientalibus non satis expediri indubie potest: hoc tamen ex lingua Aramaea tenens, quis erit, qui in funere Asae legens בשמים וזנים 2 Paral. XVI, 14. non *aromata et species*, id est, varias ac multas aromatum species intelligat. Sic quidem jam olim LXX. γένη μύρων. Hieronymus quid sibi voluerit, *unguenta meretricia*, (a זנה scortari) vertens, quod et in Vulgatam manavit, non satis constat: *Aromata odore suo libidinem excitantia*, Schindlerus in lex. pentagl. intellexit, absurde ut videtur: ut enim taceam, odore aromatum vix provocari libidinem potuisse, talia aromata, si qua uspiam terrarum vir reperire indoctissimus inque conjiciendo audacissimus posset, quid illa ad funebrem pompam? Mihi quidem videtur interpretatio esse Rabbinica, Hebraeo, quo Hieronymus utebatur, magistro debita, ac *meretricium* hic idem esse, quod, *idololatricum*. Nempe Judaeis post Persarum imperia combustio mortuorum, cui hic aromata addita dicuntur, ritus visus est idololatricus, qua de re consule nostram *de humatione et combustione mortuorum apud Hebraeos commentationem* (*). Hinc Judaei plerumque negant, Asam combustum esse: ille, a quo Hebraica didicit Hieronymus, negasse non

(*) Nonam partis primae syntagmatis commentationum, p. 225-236.

non videtur, (nec enim negari poteſt) ſed זְנִים ita interpretatus eſſe, ut in combuſtionem tanquam idololatricum ritum animadvertatur.

Ex hoc loco et Chaldaismo ac Syriasmo cum de ſignificatione vocabuli ſatis conſtet, ex eadem et explicuerim pſalmi 144 locum, ubi *promtuaria domus* ſuppeditare dicuntur מִזַּן אֶל זַן *a ſpecie ad ſpeciem*, i. e. unum genus edulium poſt alterum, ſumma varietate et copia. Dictum p. 604. quomodo recentiorum non pauci interpretentur: illi ex conjectura etymologica, nos quidem ex Syriacae ac Chaldaicae linguae uſu; quorum utrum praeſtet, nemo dubitaverit.

Eſt tamen fatendum, nec mihi, nec recentiorum plerisque ex antiquis interpretibus ullum ſuffragari, ratioque reddenda, quid ſpectantes tam a nobis omnibus verterint diverſi. Occupabo equidem, atque dein eorum verſiones ordine adjiciam: זן putabant idem eſſe quod זֶה, *hic*, fere ut Chaldaei ex זֶה Hebraeorum, Zain in Daleth mutato, et Jod adjecto, דֵין faciunt. Jam LXX. ἐξερευγόμενα ἐκ τούτου εἰς τοῦτο, indeque Vulgata, *eructantia ex hoc in illud*, et Hieronymus, *effundentia hoc in illud*, Syrus ܡܚܠܦܢ ܡܢ ܗܢܐ ܠܗܢܐ: hi omnes ita dictum intelligentes, ut unius promtuarii opes in alterum transferantur. At Chaldaeus: *quae* (promtuaria) *ſuppeditant neceſſaria* מִן שַׁתָּא לְשַׁתָּא *ex anno in annum*: proprie, *ex hoc* ſc. anno *in illum*. Graves ſane auctores, ſed diſplicet pronomen non niſi ſemel obvium, hybridum, forma Chaldaicum, litera ז Hebraicum.

Etymi rationem reddere ſupra recuſavi: id unum, Chald. Syr. Hebr. זנין forte non ad radicem זנה ſed זנן pertinet, quia Syri ex eo faciunt, ܙܢ̈ܝܐ *varii*, *diverſi*. Sic quidem in tribus linguis prima radicalis in plurali non cum Schva ſcribenda eſſet, ſed cum vocali, ſequente Dageſch forti, זַנִּין ſt. conſt. זַנֵּי, ܙܢ̈ܝ. Qua de re, minuta quidem, plura nos docere poterunt, quibus ad manuſcriptos codices

aditus, quibus ego quidem meique cives caremus. Id unum video, in Chaldaica versione 2 Paral. XVI, 14. ubi ipsum nomen Chaldaeus retinuit, per Jod scribi vocalem poscente, וזיני זיני *et variis speciebus:* idque non in Beckiana solum sed et in Wilkinsiana editione.

תִּזְנֶה Jes. LVII, 3. *scortum.*

Secundum puncta וַתִּזְנֶה verbum, subintellecto אשר vertendum, *semen moechi et ejus quae fornicata est.* Malles sane, languidae circumscriptionis loco, nomen, quod et ponunt LXX. ac Vulgat., καὶ πόρνης, *et fornicariae;* est et grammatica ratio, quae verbo quodammodo obstat, He tertiae rad. post Vau conversivum servatum, ex lege enim, (quam Jesaias non nisi semel migrat, c. XXXVII, 36.) וַתִּזֶן scribendum verbum fuisset. Varietas lectionis in consonantibus nulla: at suspicor, mutatis vocalibus וְתַזְנָה, legendum, nomenque esse ex Hiphil, libidinosi scorti, forte quod alios ultro ad concubitum pellicit, quale deinde describitur. Pleraque ex Hiphil nomina cum ת praeformativo, ut nostrum, feminina sunt. Vide gramm. Hebr. p. 72.

זָנַח *foetuit.*

Propria significatio, lexicis plerisque praetermissa, eadem est, quae Arabici زنخ *foetuit.* Sic manifeste ponitur de alveis Nili foetentibus Jes. XIX, 6. ubi mirum, interpretes, veteres etiam aliter vertisse, *deficient*, *siccabuntur*, nullo linguarum orientalium usu. A foetendo ductum transitivum, *rejecit*, quae significatio usitatissima, inque lexica recepta.

זנק *prosilire* Deut. XXXIII, 22.

Ἅπαξ λεγόμενον, in cujus significatione recentiores lexicographi valde dissident ab antiquioribus. Vide de eo Bochartum T. I. hieroz. p. 738. in cujus partes fere omnes ierunt, mihi quoque visas optimas.

Prosili-

Prosiliendi notionem dat verbo, ita filo orationis aptam, ut nulla melior conjectura detur: *catulus leonis, qui prosilit ex Basanitide.* Praeiverunt et antiqui, LXX. ἐκπειδήσεται, Maurus يقفز: sed ex linguis Orientalibus quae fulciendae significationi attulit Bochartus, non satisfaciunt, suntque, ut solent Bochartiana esse, ubi sententiae favere coepit. Confert Arabicum, sed literis transpositis, نزق *assilire:* quas transpositiones utut non omnino negem, fidere tamen illis non audeo, ubi de invenienda aut stabilienda verbi Hebraici significatione quaeritur. Nec tamen eo minus in Bocharti eo sententiam, quod enim ille in Arabia frustra quaerebat, ex Syria adferre mihi videor posse, cui ܐܙܕܩ cum derivatis est, *jacere, jaculari,* sagittam. Sic utriusque linguae verbum unum, nisi quod Syri illo transitive utuntur, Hebraei aut intransitive aut reciproce, *ejaculari sese, salire:* quod si *salire* primum est, Syri inde, *salire fecit.* Possitne jam et Arabicum زنق *fune constringere,* conferri, dictaque jaculatio, quod tenso et adstricto nervo fiat, non anxie quaero, multa etymologica nullo nostro damno ignorari posse arbitratus. Kimchius Thalmudicam quoque linguam pro hac significatione citat.

De *fluendi* significatione, quam alii verbo dederunt, Jordanem innui volentes, qui prope Danam urbem (verum non illam, quae a Danitis condita est, sed antiquiorem, quae nihil ad hanc tribum) erumpat, quantum satis est dixit Bochartus. Hoc unum addo, et Vulgatam habere, *fluet largiter de Basan,* ex qua in lexicon suum recepit Reuchlinus.

Syrus, qui catulum leonis *lactentem* ex Basanitide vertit, non hoc mihi verbum interpretatus, sed pro יזנק legisse יונק videtur.

Saadias, يعرض *qui occurrit ex Basanitide,* quod plane puto conjecturale.

Sama-

Samaritanus, יריק, *qui prospectat*, i. e. imminet, insidiatur ex Basanitide, forte cum رنق *attente considerare, defixos in aliquid habere oculos*, זנק conferens: quod quidem verbum si et per ز scriberetur, زنق palmam posset primae interpretationi Bocharti Graecorumque dubiam facere.

זעטוטי fictitium nomen Exod. XXIV, 5. 11.

Fingunt Judaei, his duobus locis pro נערי et אצילי, lectum fuisse זעטוטי, atque et ita LXX. vertisse. Vide Buxtorfii lex. Chaldaicum, in quo et disputat, magnatesne an plebejos זעטוטי significet? De LXX. quod narrant, manifeste falsum, hi enim v. 5. νεανίσκους v. 11. ἐκλεκτοὺς habent: alterum veri dissimillimum, cum non solum nullus codex Kennicottianus ita habeat, sed et vocabulum multo sit recentius, graecaeque originis: ut enim pater meus ad Buxtorfii lexicon notavit, esse videtur graecum ζητητὴς *quaestor criminum*. Vide Julium Pollucem sub hac voce. In eandem sententiam et sponte sua ivisse Tychsenium video, p. 48–53. tentaminis.

זָעַךְ *brevis fuit* Job. XVII, 1.

Ἅπαξ λεγόμενον, quod plerique cum דָּעַךְ contulerunt, verteruntque, *exstingui*. Praeiverunt jam ex veteribus, idem verbum ponentes, Chaldaeus דְּעִיכוּ et Syrus ܐܬܕܥܟܘ. Probat ex recentioribus Schultensius. Obstat tamen, quod insidum est, verbum ignotum ex alliteratione explicare, deinde, quod ne apta quidem phrasis, *dies mei exstincti sunt*: melius dixisses, *vita exstinguitur*, *quam*, *dies*. Ne sententia quidem, si *dies mei exstincti sunt*, ut lugubriter dictum accipias, filo orationis apta: de adpropinquante morte Jobus laetabatur. Hanc ipsam etiam ob caussam trium codicum Kennicottianorum, נדעכו habentium, lectionem damno, quamquam et alia accedit gravior, quod loco rarissimi verbi notum habent, mutationis suspecti.

Ergo

Ergo mihi praeplacent, qui collatis Arabicis vocabulis, زعكوك, et أزعكي brevis, vertunt, *breves sunt dies mei*, praeeunte jam Vulgata, *dies mei breviabuntur*. Obvertit quidem Schultensius: *hinc non satis exploratam videri vim thematis* زعكى *quod nec in lexicis compareat*. Dubitari vero nequit, quin utrumque nomen sit a radice زعكى, licet verbum Arabibus, aut forte solis lexicographis perierit, unde non adsequor, cur hic nodum in scirpo quaerat, maxime cum Hieronymus, Arabice non doctus, sed suo credens Rabbino, hanc tamen versionem jam prodiderit, ut Rabbinis sui temporis notam, qui consensus casu consistere non potuit. Meris certe hoc alliterationibus praeferendum, quas saepe Schultensius damnare solet, et tamen זעך, cum انزعق *terrere*, quin et, duplici literarum mutatione, cum צעק confert.

זעם *spumare*, *irasci*, *exsecrari*, *jurare*: cum derivatis.

1) Primam vim verbi, nominumque inde ortorum in spumando esse, collato Arabico زغم, docuit, quem recte alii deinde sequuti sunt, Schultensius ad Proverb. XXIV, 24. Cocceji aliud etymon, ex male intellectis Arabicis, refellens, ad quem ablego. In uno ab eo discedo, quod hanc primam spumandi significationem, nimis ut solet etymologicus, non paucis locis tribuit, in quibus fere omnes ex secundaria, *irasci*, vertunt. Cui quaeso placeat Ps. VII, 12. *deus omni die despumans, desaeviens?* Unicum excipio, in quo ei forte concesserim זַעַם propria significatione accipi posse, Jes. XXX, 27. *labia ejus* מלאו זעם *plena sunt spuma*, nec tamen ausus sum, germanice ita vertere, veritus, ne imago nimis atrox displiceret, atque insuper dubitans, quo sensu, atroci primario, an secundario, propheta ipse vocem posuerit.

2) A ſpumando dicta *ira* et *iraſci*, quae notiſſima eſt, in omnia lexica recepta ſignificatio.

3) A ſpuma aut ira iracunda verba, *dirae* dicuntur, et *exſecrari*, Num. XXIII, 7. 8. (ubi et res ipſa, et parallelismus membrorum, altero קבב habente, ſignificationem arguit, agnitam et expreſſam a LXX, Vulg. atque Arabe polyglotto) Mich. VI, 10. Malach. I, 4. Prov. XXIV, 24. (ubi in altero membro eſt יקבהו). *Deteſtandi* verbo Num. 23. utitur Vulgata, quod eſſe, exſecrari, latinae linguae mediocriter peritis notum, hoc vero *deteſtari* in lexica receptum, multis illorum, qui deſcribebant, pluribus qui legebant, non recte intellectum.

4) Unus ſupereſt locus, Hoſ. VII, 16. ex harum ſignificationum nulla ſatis expediendus. Veteres valde diſcordes: ad iracundiam retulerunt, Aqu. *δι' ἐμβρίμησιν*, Vulg. *a furore linguae ſuae*, quinta graeca, *διὰ μανίαν*, quae ipſa quoque a ſpumando dici potuiſſet: Syrus ܡܪܝܚܘܬܐ *audaciam*, vel *proterviam*. At LXX. *ἀπαιδευσίαν τῆς γλώσσης* et Chaldaeus עַמְקוּת *balbutiem*, *barbariem* habet, (aliis tamen codicibus atque editionibus עקמות *perverſitatem*, ſubſtituentibus) quae quidem ſignificationes neutiquam ex conjectura arreptae, ſed uſu linguae Arabicae ſub altera radice زعم firmantur, a qua زُعُومٌ *haeſitantia in ſermone*, *balbuties*: nec tamen vel ſic lucida ſatis verborum ſententia. Id quidem mihi prope certum, verbum زعم hic conferendum eſſe, ſed cujus primam ſignificationem ignoramus: Schultenſio, ex conjectura, زعم idem ex etymo eſt, quod زَغَم, *ſpumavit*, mihi ex conjectura, *ligavit*, *obligavit*. Utra veriſimilior ſit, lectores viderint, mea, etymologiae mediocriter ſtudioſi, parum refert; vellemque adeo, ſi voluntati locus eſſet ſtudioque, Schultenſianam veram eſſe, ex qua poſſem loci de quo quaeritur, expeditam rationem reddere.

Nempe

Nempe زعم est, *aliquid promittere, pacisci, spondere*, e. g. in Caabi carmine v. 9. عهد التي زَعَمْتْ *pactum, quod promisit*, Corani Sura LXVIII, 40. أَيُّهُمْ بذلك زعيم *quis illis sit hac de re sponsor.* Utraque radix si eadem, crederem a diris *jusjurandum* dictum, atque, ut in his exemplis maneam, vertendum ad literam, *pactum quod juravit*, jure jurando tamen latius pro omni sacrosancto promisso posito, et, *quis est, qui vobis juret.* Hoc jam ad Hoseae locum transferrem, eumque verterem, *pereunt principes ob diras linguarum suarum*, i. e. *ob jusjurandum suum* violatum, cujus jam poenae ab illis exiguntur.

At hoc etymon cum valde dubium sit, primoque adspectu Arabicae radices زعم et زغم significatione toto coelo diversae, suspicer potius, זעם in Hoseae loco *mendacium, perfidiam, perjurium* esse. Nempe زعم (incertum utrum ab obligatione linguae, an aliunde) primo est, *balbutire*, a balbutiendo et haesitando Arabes dixerunt, *opinari*, ita ut certae scientiae sit oppositum, unde et مَزْعَم *res dubia*, verum et, maxime in quinta, *mentiri.* Sic proprie verteres Hoseae verba: *ob balbutiem linguae ipsorum*, id vero est, *ob dubiam illorum fidem, mendacia, perjuria.* Sic alia via ad idem devenerimus, quod paulo ante proposui, inque versione germanica expressi.

זפרון Num. XXXIV, 9.

Nomen ignotum urbis, ad terminum Palaestinae borealem, de qua solum enoto errorem Judaeorum ab Hieronymo ad Ezech. 47. p. 1060 proditum: *quam urbem hodie Zephyrium, oppidum Ciliciae vocant.* De fonte erroris sub הוּר pag. 569. 570 egi.

זִקֵּק *effundere* Jeſ. XXV, 6.

Fundendi ſignificatio, nota ex lexicis omni caret dubio, a qua et *utrem amphoramque* Arabes زِقّ Syri ܙܩܳܐ Chaldaei זִיקָא dicunt. In ſolo Jeſaiae loco adhaeſerunt interpretes, facillimo, modo teneas, quod infra diſputabitur, שְׁמָרִים *utres aliaque vaſa* eſſe *in quibus vinum aſſervatur.* Deſcribitur convivium lautum et opiparum, שְׁמָרִים מְזֻקָּקִים *amphorarum effuſarum*, i. e. vini prodigum. Quod non videntes interpretes, et שְׁמָרִים male in *faeces* mutantes, etiam in מְזֻקָּקִים adhaeſerunt, eique ſignificationes finxerunt, linguis orientalibus prorſus ignotas: LXX. Aqu. Symmachus, διυλισμένων indeque Vulg. *defaecata.* Mira ſententia, convivium ex *faecibus defaecatis*, i. e. meris, quod quis unquam paraverit? aut hoſpes ei intereſſe velit! Hinc alii vinum a faecibus parum intelligunt, quod quis unquam *faeces percolatas* dixerit.

זָרָא Num. XI, 20. *nauſea.*

Ad radicem זוּר aut זרה retulerunt alii, male ſine dubio, cum per Aleph ſcribatur, quod a Moſe, ſcriptore minime Chaldaizante, pro He generis feminini poni, quis ſibi perſvaſerit? Alia ratio textus Samaritani, זרה habentis: ſed de eo ne cogitarunt quidem lexicographi, nec ejus in his rebus ulla auctoritas, librariis Samaritanis ea, quae ignorabant, ad fictitiam aliquam corrigere ſolitis analogiam grammaticam.

In rei ſumma aberrari vix poteſt, filo orationis manifeſte nos ad *nauſeam*, *faſtidium*, deducente. Sic Vulgata: LXX. εἰς χόλεραν i. e. *ad vomitum*, Onkelos לְתַקְלָא *ſcandalum*, Arabs هُزَال *morticinum*, Syrus ܐܘܟܳܦܳܐ i. e. *faſtidium* (a tepente aqua ſic dictum, neutiquam ut imperite verterunt, *ad ruminationem*). Verbum זרא plane non habenti-

bentibus linguis Orientalibus, suspicemurne, idem significasse quod زرّ repulit? Vide pag. 462.

זרב Job. VI, 17.

Ἅπαξ λεγόμενον, sed cujus plures huic uni loco aptas offert lingua Arabica significationes, ut copia potius quam inopia laboremus. Quo magis reprehendendi sunt lexicographi, alias radices, ut צרב, in subsidium vocantes; sed id in his feramus, qui linguae erant Arabicae ignari, in Judaeis: at Schultensium, hujus linguae peritissimum, artificioque permutationis literarum in inveniendis verborum significationibus alibi gravem, atque adeo alicubi iniquum, ضرب *percussit*, et נצרב *aduri* conferre, indeque vertere, *rivi a sole icti statim abduntur*, quis non miretur! Quamquam et haec versio a rerum natura abludit; nec enim ictu solis torrentes, sed diuturna siccitate aestatis deficiunt.

Ipsam vero radicem זרב linguae habent orientales, et quidem pluribus, quarum aliquae nostro loco aptari possint, significationibus.

1) ܙܪܒ Syris est, *coarctari*, unde ܙܘܪܒܐ *angustia*, quo forte et referendum Arabicum زرب *septum fecit gregi*, quasi diceres, *coarctavit gregem*, et زرْب *septum gregis*. Id quidem loco Jobi, me arbitro convenientissimum: rivi *alio tempore coarctantur*, i. e. decrescunt ripisque tandem notis, super quos exundabant antea, capiuntur. Vide versionem germanicam.

2) A coarctando dicitur, زرْب et مِزْرَاب *canalis*, unde et *Euripus*, *canalis arctus ex quo compressa arctius alte exsilit aqua*, زرْنُوقة. Quod ad Jobum translatum eandem sententiam fundit, *arcto suo canali continentur rivi.*

3) A canali novam vim verbum accipit, *fluendi* et *effundendi*, unde Chaldaeis אִזְדְּרֵב *effusus est*. Hoc a nostro versu alienum, ubi decrementa torrentis describentur, quem antea nives supra notas aluerant ripas. Videtur tamen aliquid ejus significationis per Rabbinos ad Hieronymum pervenisse, qui in Vulgata, *tempore, quo fuerint dissipati, peribunt:* nempe non pauci illorum tractuum fluvii rivique aut emoriuntur, aut certe valde minuuntur, in plures rivos divisi, aut aqua per canales in agros distributa. Hoc forte *dissipari* dixit.

4) Superest et quarta, cum reliquis nulla cognatione conjuncta, *flavescendi*, إِزْرَبَّ *flavescere, ac rubescere coepit herba*, زِرْيَاب *flavedo, aurum:* sed haec, ut monent Arabum lexicographi, origine Persica, nullus ergo eorum in antiquissimo libro explicando usus. Jam et videamus quid antiqui verterint aut utcunque conjecerint. LXX. τακεῖσαι θέρμης γενομένης, eosque sequutus Hieronymus, *sicut glacies aut nix constricta cum tabuerit.* Hi quidem fluendi et effundendi significatum, quem apud Chaldaeos habet, spectasse videntur. Syrus, *tempore quo oritur illis sol, liquefiunt.* Mirum, hunc non ex sua lingua meliora vidisse. Chaldaeus אִשְׁתְּרַבְבוּ, incertum, utrum, *creverunt*, an, *ambusti sunt:* utrumque enim significare verbum potest. Mihi *coarctandi* significatio vera videtur.

זַרְזִיף *rigatio*. Ps. LXXII, 6.

Ex sententiis lexicographorum illa praeplacet, quae זַרְזִיף אָרֶץ *rigationem terrae* vertit, estque antiquissima, jam a Reuchlino, mutatis paulisper verbis prodita. Conferunt Thalmudicum, זרזיפי דמיא *adspersiones aquae, guttae*, cujus cum auctoritas minuatur, quod ex hoc ipso loco a magistris sumtum videri possit, etymon Arabicum addiderim زَرَفَ *manavit*, Syriacumque ܙܪܦ, de quo plura post sub זרם.

זרם. Caeterum praeiverunt fatis unanimiter LXX. *στάζουσαι ἐπὶ τὴν γῆν* Vulg. *ſtillantia ſuper terram*, Syr. ܕܢܚܬܝܢ ܥܠ ܐܪܥܐ (guttae *quae deſcendunt in terram*) Chald. דְנָטְפִין Hieron. (ſtillae) *irrorantes terram.*

Schmidius, inque lexico Opitius, quos non pauci ſecuti, *fiſſuras hiantis terrae* interpretati erant, ex Chaldaico זרף *ſcindere:* quibus recte opponere patrem meum memini, ſic ſcribi oportuiſſe, על זרזיף *ut imbres SUPER fiſſuras terrae.*

Mihi quidem conjecturae in mentem venerat, יַרְזִיף legendum eſſe, a زرف in quarta *cupidum reddere*, *imbriumque more cupidam reddet terram*, i. e. exoptatus erit, ut ſitienti terrae imbres: ſed codices non ſuffragantur.

זרזיר מתנים *accinctus lumbis* Prov. XXX, 31.

Nihil de hoc animali aut proprii aut certi habeo, unde lectores ad eum ablego, a quo plurimum didici, Schultenſium in comment. in Proverbia. Equum bellatorem intelligit, in quo illum germanice vertens ſequutus ſum, hanc maxime ob cauſſam, quod animal nullum ingreſſu magnificentius novi; ſuperſunt tamen aliquae dubitandi cauſſae, ut, quod lumbi diſplicent, in quibus equus bellator non accinctus eſt. Ratio tamen reddenda, cur *Zebram* Aethiopicam, *quam omnia totius orbis quadrupedia pulcritudine praecellere* Ludolfus in hiſtoria Aethiopica l. I. c. 10. dixit, atque etiam aliqui naturalis hiſtoriae ſcriptores pulcherrimum praedicant animalium, non praetulerim. Veriſſime fateor *accinctam lumbis* dici poſſe, quod *eos ambeunt lineae nigrae in morem cinguli*, nec oppoſuerim cum Schultenſio, quod ignotius eſt in Palaeſtina animal: Salomonis enim tempore, quo ex circumnavigata Africa alia adlata ſunt animalia extera, et Zebra adferri potuerit, ipſa raritate admirationem augente. Verum primo pulcherrimum animalium

lium non existimem, nec equis praetulerim generosioribus, maxime cum, ut ipse fatetur Ludolphus, *auribus dehonestetur*, qui sunt asininorum similiores. Mihi certe, cum nuper animal viderem, caput non placuit. Deinde non de ipsius animalis pulcritudine, striarumque elegantia, Salomon loquitur, sed de *pulcritudine incessus magnifici*, quo Zebram, ne staturae quidem decus habentem, asinisque paulo majorem, longo post se intervallo relinquit equus.

Aut nihil veri habemus, aut inter has duas explicationes dubitandum. Zebrae nomen, accinctae lumbis, multo quam equo aptius, favet et hoc, quod animali extero nomen novum ex striis ductum satis verisimile: at pulcritudo incessus equorum est, sed et fateamur, admiratione exterorum nec antea visorum animalium fieri potuisse, ut equo injuste praeferretur.

Etymon incertum utrum ab אזר *accingere*, an זור (زور) *ligare*: tertium etiam, sed quod mihi displicet, a زرّ *infibulare*, addit Schultensius.

זרם *effudit*, *resecuit*.

Verbum זרם una cum derivato, זֶרֶם, ex maxime dubiis, ac forte plures ex diversis radicibus significationes habet. Syrus quidem interpres cum ܙܪܦ *fluxit*, contulit, unde ܙܪܘܦܐ *torrens*, qua de significatione vocabuli Syriaci dubitari non potest ob locum Jobi XXIV, 7. ubi Arabs مجاري *rivos*, *torrentes* vertit. Ergo Syrus et Ps. XC, 5. ܙܪܦ vertit, et זֶרֶם Jes. XXV, 4. ܙܪܘܦܐ. Hoc si sequaris, זרם forte idem erit cum זרב fluxit, ex quo, cum זרם tum ܙܪܦ permutatione literarum ejusdem organi ortum. Contra Arabibus زرم alias habere videtur significationes, *fluendo* quodammodo contrarias, ut *abrupta fuit urina*, *restitit urina*, item *stercus in ano*, *tenax*, *avarus*

rius fuit: ſed illae manifeſte ex *abrupit* quod ipſum زرم ſonat, ut Syriacum Chaldaicumque זרף *ſcidit, incidit.* Reliqua etiam quae ſub זרם et זרף habet Caſtelli heptaglotton conferens, id tibi videre videberis, verba זרב, זרם, זרף, tria quidem et diſtincta eſſe, ſed permutatione literarum, et cum altera alterius ſignificationes adſciſceret, ita confuſa, ut quodammodo unum fierent, diverſas origine notiones conjungens. Moleſtum hoc ſane interpreti et philologo, atque ad errorem proclive.

Jam verbum bis omnino in codice ſacro occurrit, Pſ. LXXVII, 18. XC, 5. Priori loco זרמו מים עבים, *fluendi* ſignificatio unice apta, ſed hic tranſitive ſumto verbo, ac forte melius זָרְמוּ, ut Piel, punctando, *effuderunt aquam nubes.* Syrus hic harmonice, ut jam ſupra diximus, ܙܪܡܘ, Chaldaeus אחיתו מיא *deſcendere fecerunt aquam:* LXX. liberiore paraphraſi, nomina etiam pro verbo ſubſtituentes, ſed ſententia iidem, πλῆθος ἤχους ὑδάτων, *multitudo ſtrepitus aquarum.*

Alterius loci Pſ. XC, 5. non aeque ratio expedita. Nihil de verbi ſignificatione prodidit, ſed modo utcunque de ſententiae ſumma conjecit ex filo orationis Chaldaeus, quem recentiores fere omnes ſequuti ſunt, vertens, *mori facis illos*, quod quomodo ex זרם effici poſſit, ambigitur, varieque expeditur. Aliqui ſic, *abripis illos*, ego, audaci conjectura, quae jam non placet, *congelaſcere facis illos*, quod nomen זֶרֶם de frigido maxime imbre uſurpari viderem, exque Arabico زرم ſuſpicarer ejus primam vim in congelaſcendo eſſe: ſequuti id alii, ſed ipſe abdico, cum certa hujus notionis exempla in linguis orientalibus non reperiam, Arabesque retentionem urinae &c. non a torpore aut congelaſcente aegroque fluxu, ſed a reſcindendo et abrumpendo dixerint. Veterum nemo alterutram verſionem praeivit, quin adeo

nomen faciunt, זְרַמְתָּם adpellantes: LXX. τὰ ἐξουδενώματα αὐτῶν, *contemtibilia annorum annus sunt*, Syrus ܚܝܝܗܘܢ ܫܢܬܐ ܢܗܘܘܢ *vita ipsorum annus est*, nempe et sequens nomen aliis vocalibus שָׁנָה adpellantes. Haec quomodo זרמתם significare possit, obscurum, nisi quis Syrum ex زرم *peperit*, ita vertisse suspicetur: Dathius vult eum זְרָעָם legisse. Destituimur ergo ab his, quibus alias multa debemus, veteribus. Driessenius in specimine observationum p. 44. صرم *efferbuit*, conferens, *torres eos*, *foenum fiunt:* verum nec nova literarum permutatio in verbo placet, nec persvasit, שנה foenum esse.

Mihi quidem, licet non satis adblandiatur, vix alia se offert significatio verbis psalmi 90 quodammodo apta, praeter زرم *abrupit*, *rescidit*, ut sit, si שֵׁנָה cum masorethis efferas, *resecas eos*, *somnusque fiunt*, sin שָׁנָה cum veterum non paucis, *resecas*, *i. e. breve facis tempus ipsorum*, *annus sunt*. Neutrum satis placet, neutrum concinnitate et elegantia reliqui carminis dignum: *resecare* enim non aptum ad *somnum*, – – *annus*, vitae humanae mensura nimis magna, ubi ex praecedentibus et sequentibus, *diem*, *horam*, vel minus quid exspectasses. Est et hoc de loco maxime dubio notandum, prope quinquaginta codices Kennicottianos sequens nomen שינה cum Jod scribere. Quod quid est? aliamne fundit sententiam? Nolim tamen haec scribens me lectorem habere tam ab omni elegantia et decoro remotum, ut, memor زرم de abruptione urinae poni, et שין urinam esse, hic de urina cogitet, miretur que, me ignorantiam profiteri.

זֶרֶם *inundatio*, *imber frigidus* Jes. IV, 6. XXV, 4. XXX, 30. XXXII, 2. Habac. III, 10. Job. XXIV, 8.

Verbum זרם si est, *fluere*, *effundi*, dubitari vix potest, quin זֶרֶם effusio, plerisque certe locis, *imber* sit, nec vero foecundus, terraeque sitienti exspectatus, semper enim in malam partem ponitur, sed frigi-

frigidus, omnia evertens. Jeſ. XXV, 4. hac compoſitione legitur, זֶרֶם קִיר, me quidem judice, *imber frigidus* (vide infra קִיר). Aeſtui moleſto et urenti ut malum contrarium opponitur Jeſ. IV, 6. XXV, 4. XXXII, 2. profugi ex patria מזרם הרים *imbre montium madefieri* dicuntur Job. XXIV, 7. ubi iterum imber moleſtus. Nec defuerunt ex veteribus, qui ita intelligerent, quos ideo nomino, quia aliis deinde veterum verſionibus contradicam, ut Jeſ. XXX, 30. XXXII, 2. Graeci *ὕδωρ*, poſteriore loco Vulg. *tempeſtas*, Hab. III, 10. anonymus, *ἐξαίσιος ὄμβρος*, Job. XXIV, 8. paulo mollius LXX. *ψυκάδες*, Vulg. *imbres*. Proximi ab his, qui *turbinem* vertunt, ut Vulgata Jeſ. 25, et Symmachus Jeſ. 32. (λαίλαψ) quamquam *vento* nec etymologia favet, nec pleraque loca: ſed turbinis nomine quamvis forte intellexerunt graviorem tempeſtatem. — — At ܙܪܝܦܠܐ, quod *torrentem* ſignificare ſupra dixi, aliquoties vertit Syrus, idque Schultenſio ad Job. XXIV. placuit, illi quidem loco, nec paucis aliis, me judice non ſatis aptum. Certe qui in montes confugiunt, imbribus quidem, qui ibi frequentes, non torrentibus madefiunt, hos enim vitant, ſique in illos inciderent, non madefierent, ſed abriperentur aut mergerentur: quod autem Schultenſius habet, pauperes ex patria profugos in vallibus habitare, ubi inundari a torrentibus facile poſſint, nec rei naturae conſentaneum, nec verbis Hebraicis. Aliud eſt, madefieri, aliud, ſubmergi et ſuffocari, nec profugi valles petent, ſed ſumma potius montium, ubi ſubmerſionis nullum periculum. Ex imbribus torrentes quidem confluunt, nec equidem obſtreperem, ſi quis alicubi mallet torrentem vertere: nec tamen ullum locum, ubi זרם occurrit, video, qui hanc ſignificationem poſcat, atque adeo, cui ea aptior ſit quam *imbris pernicioſi coelitus effuſi*.

Nec vero ſolum alii, ſed et ipſe mihi corrigendus videor, nullarum partium ſtudioſus, ſed unius veri. Eſt, ubi זרם *grandinem* aliquando interpretatus ſum, conjiciens, eam a congelaſcendo ita dici: congelaſcendi autem ſignificatio cum merae, ut fateor, conjecturae ſit, nec certis probari argumentis ex linguis Orientalibus poſſit, hanc quoque *grandinis* ſignificationem abdico. Poteſt et diluvium coelitus effuſum grandinem effundere, unde non grandinem a זרם disjungo, componi utrumque videns Jeſ. XXX, 30. nec tamen jam auſim זרם grandinem interpretari.

זָרִים Jeſ. I, 7. num *diluvium*?

Jeſ. I, 7. כמהפכת זרים plerumque vertitur, *terra veſtra — vaſtitas eſt, ut everſio peregrinorum*, vel, quod alii malunt, *hoſtium*. Hoc mihi quidem de terra vere ab hoſtibus exteris everſa, languide dictum ac prope ſententia caſſum viſum eſt: ſuſpicari ergo auſus ſum, Mem in זרים radicale eſſe, vocabulumque ad radicem זרם referendum. Olim, cum adhuc de grandine cogitarem, *calamitatem (Hagelſchlag)* verti: jam, *ut everſa diluvio*, ſeu, ut et hoc vocabulum germanice addam, *als von einem Wolkenbruch*. Sub Palaeſtinae climate coelitus emiſſa diluvia graviora etiam quam noſtro, non ſolum ob majorem aquae effuſae molem, ſed et quod cum noſtri montes adclives ſint, ibi acutiore angulo in altum ſurgant, diluviumque modicam qua teguntur humum abripiens nuda ſaxa et ſterilia relinquat. Qui Indiae occidentalis inſulas adierunt, ut Labatus, haec diluvia deſcribunt: memini etiam in Corano eorum mentionem fieri, ſed locum in libro confuſius ſcripto jam invenire nequeo.

זרע *inſerere*, *feſtine opprimere*.

Serendi ſignificatio quam ſub زرع habent Arabes, ſub ܙܪܥ Syri, notiſſima, ſed Jeſ. XVII, 10. non apta, ubi videtur idem eſſe, quod *inſere-*

inserere, arbori alienum surculum inserere, cujus naturam fructus sequentur. Vide versionem notasque germanicas: *plantas pulcras plantasti, alienum surculum inseris illis.*

Praeter hanc aliam omnino significationem verbum habet, ubi Syris per ܙ Arabibus per ذ scribitur, quo et ipsum *brachii* nomen זרוע referendum, ܕܪܥܐ, ذِرَاعٌ. Arabibus quidem verbum ذرع est, *irruit cum violentia, praevaluit, incitatus ac velox fuit*, quam spectari puto Hos. I, 4. ubi nomen יזרעאל puero dandum explicatur, *adhuc exiguum temporis est, quo puniam sanguinem Jezreel in domo Jehu, et cessare faciam regnum Israelis.* Nempe nomen regiae יזרעאל duplicem admittit etymologiam, 1) faustam, *seminat Deus*, quomodo accipi Hos. I, 11. videtur 2) adversam, *festinanter invadet opprimetque Deus.*

זֶרַע num Jes. XXIII, 3. *sativus ager.*

זרע *semen* esse, quin et sementim, nemo est qui dubitet, Jesaiae tamen XXIII, 3. זרע שיחור displicet quodammodo, *semen Nili*, praeplaceret, *sativi agri Nili.* Hocne praeferendum, sitque ibi זרע idem quod sequens מזרע, lectores arbitrentur.

מִזְרָע *ager sativus.*

Ἅπαξ λεγόμενον Jes. XIX, 7. מזרע יאר, quod plerumque *sementem Nili* vertunt, figura ac dictione satis audaci. Ego malim *agros sativos Nili*, i. e. a Nilo rigatos. Sic innumeris locis, maxime apud geographos Arabum, مَزَارِيع *agri sativi.* Unum obverti mihi possit, quod lexicographi Arabum a singulari non مزرع concipiunt, sed مَزْرُوعٌ, participii passivi forma Hebraicae linguae ignota.

זְרוֹעַ *brachium, auxiliator, exercitus, alveus fluvii.*

זְרוֹעַ brachium, ut pleraque nomina membrorum geminorum, generis feminini; in plurali quoque femininae terminationis, זְרֹעוֹת.

Aliquando tamen, licet rarius, masculine construitur, ut Dan. XI, 15. 22. 31. atque ex vulgata lectione pluralem quoque masculinae terminationis זרועים admittit; 2 Reg. IX, 24. Dan. XI, 31. nec tamen sine lectionis varietate, in priore loco duobus codicibus זרועותיו habentibus, in posteriore duobus codd. זרועות habere visis, sed incertis. Genes. XLIX, 24. de quo infra, ex hoc numero demendum. Utraque anomalia ex punctatione masorethica concurrit Jes. LI, 5. וּזְרֹעַי עַמִּים יִשְׁפֹּטוּ, sed in biblioth. Orient. Suppl. Tomi XIV. p. 157. monitum, aliis vocalibus et regulariter instrui et melius posse.

Poni monent ex lexicographis meliores,

1) de *auxilio*, *opemque ferente*, Ps. LXXXIII, 9. quibus addo, sic et Arabibus عَضَدَ, verbum denominativum ab عَضُدٌ *brachium*, esse, *juvare*, inque conjugatione octava, *auxilium implorare*. Nomen quoque عَضُدٌ *adjutor*, *socius*.

2) pro *exercitu*, quod quidem Danieli quodammodo privum, Dan. XI, 15. 31. ita quidem, ut prima *brachii* significatio plane spectari desinat, construitur enim cum *standi* verbo, *exercitus non stabit*, quod quidem de brachio bene dici non potest. Videtur haec significatio Chaldaizans: Ezr. IV, 23. אדרע וחיל *brachium et exercitus*. Relege supra p. 16. de אֲגַפִּים, coaevi, Ezechielis, vocabulo scripta.

His tertiam addiderim significationem

3) *brachia* i. e. alveos fluvii, Dan. XI, 22. *brachia inundationis*, i. e. brachia Nili, late inundare totam Aegyptum solita, *inundabuntur* ab hostibus, Aegyptus a Syris inundabitur. Nec dubita, significationem lexicis commentatoribusque ignotam Hebraico tribuere vocabulo, habet enim Arabicum: Abulfeda num. 271. Cufam sitam esse scribit على ذراع من الفرات *ad brachium aliquod Euphratis*.

4)

4) At vero quid faciemus *brachiis manuum*, (זְרֹעֵי יָדָיו) Genes. XLIX, 24? monstro phrasis, cum duplici generis, et terminationis anomalia, conjuncto? Mutemus puncta legamusque,

זֵרְעֵי יָדָיו,

sparsa manuum ipsius, i. e. tela, manibus ejus sparsa. Adjectivum est poeticum, in substantivum transiens, qualia maxime Arabes multa habent. Disputatum hoc jam in biblioth. Orient. T. IX. p. 232. monitumque codices Samaritanos זרועי habere, quod optime זְרוּעֵי efferre possis: quibus jam addo, septem etiam codices Hebraicos Kennicotto consultos, זרועי exhibere.

זרר 2 Reg. IV, 31. *sternutare?* an, *labia comprimere?*

Ἅπαξ λεγόμενον, ab aliis ad radicem זור relatum, perquam incertae significationis, ac forte hanc ob caussam a LXX omissum, quod non intelligerent. Plerique recentiorum vertunt, *sternutare*, pro quo adferri Judaico-Chaldaicum זְרִיר *sternutatio* potest, minoris tamen auctoritatis, quod in sola occurrit lingua Chaldaica, forte a magistris ex hoc ipso loco factum.

Arabibus زرّ est, *mordere*, *arcte oculos comprimere*: quid si ergo potius vertas, *labia* aut *oculos compressit contorsitque*, quod non raro solet primum vitae signum in aegroto esse, quem mortuum putabamus.

זֶרֶת *spithama*.

Haec nominis, quinquies occurrentis, Exod. XXVIII, 16. XXXIX, 9. 1 Sam. XVII, 4. Jes. XL, 13. Ezech. XLIII, 13. versio, rectene an secus in lexica recepta sit, quibusque nitatur argumentis, dicendum: maxime cum Vulgata et Reuchlinus *palmum* vertentes, contradicere videri possint, Rabbinorumque auctoritas, quam maxime sequuti videntur lexicographi, non ubique sit irrefragabilis, exque locis ipsis

ipsis codicis sacri nihil de quantitate mensurae colligi posset, praeter hoc unum, diversam a *palmo* esse, ab Ezechiele eodem in versu memorato. Est autem spithama, *spatium maximum ab exporrecto pollice ad exporrectum digitum minimum*, quod in manu humana tres fere palmos aequare, inque mensurarum nominibus adcurate pro tribus palmis poni solet.

Pro spithama ergo sunt,

1) Thalmudici, eosque sequuti Judaei, quibus זרת est, *trium palmorum*, id vero, ut illi quidem putant, (sex palmorum cubitum facientes), *dimidium cubiti.* Horum quidem auctoritas mihi sola non sufficeret: sed accedunt et aliae.

2) LXX ubique σπιθάμην habent, quae quidem auctoritas eo gravior, quod libri Mosis, Samuelis, Jesaias et Ezechiel, non unius sunt interpretis, sed diversorum.

3) Josephus Ant. VI, 9, 1. σπιθάμην habet, pro זרת 1 Sam. XVII, 4.

4) Arabes ubique شبر quam spithamam esse ex Golio disces.

5) Sic quidem illi satis unanimes, at sola obstare Vulgata videtur, *palmum*, ubique habens, qui et ex ea in Reuchlini lexicon receptus. Sed videtur illa *palmi* nomine latius uti, et spithamam quoque palmum vocare: Hieronymus certe in commentario ad Jes. XL, 13. septuagintaviralem versionem latine redditurus, pro, καὶ τὸν οὐρανὸν σπιθαμῇ, habet, *et coelum palmo.* Nempe duplex est latinorum palmus, minor IV, major, spithamae aequalis, XII digitorum. Ergo et Vulgata atque Hieronymus consentit, quos tamen fateor vocabulo minus commodo usos esse, ex quo non modo ambiguitas, sed et hanc Hieronymi versionem Ezech. XLIII, 13. legenti, vix vitandus error: *ista autem mensura altaris in cubito verissimo,*

qui

qui habebat cubitum et palmum, (טפח, quatuor digitorum): *in fini ejus erat cubitus, et cubitus in latitudine, et definitio ejus usque ad labium ejus in circuitu palmus* (זרת, duodecim digitorum) *unus*. Quin et ipsum graviter hic erraſſe Hieronymum in commentario video, nimia ut puto feſtinatione, qui, textum deſcribens, primo loco παλαίστην recte addidit, *palmum ſive παλαίστην*, inque interpretatione male ſecundo loco, *palmi unius, ſive παλαιστῆς latitudine.* Menſuras et mathematica ſaepe minus quam fas erat curant interpretes.

Ergo cum omnes conſentiant, dubitandum non eſſe reor, maxime cum in vocabulo, quod omnes dialecti Aramaeae Hebraismo ſuperſtes habent, errari ab omnibus non potuerit. Habent nempe, proque Hebraico reponunt, Chaldaei זרתא, זירתא, Syrus ܙܪܬ, ܙܪܬܐ, Samaritanus זרת, quin et Thalmudicis זרתא eſt, ut Buxtorfius vult p. 694. *pugnus* (in adverſarium directus) ut ego malim, *paſſa manus* ad alapam infligendam exporrecta.

Diſpiciendum tamen, quo fiamus in re ſolis credita veteribus, certiores, et de etymologia: ſed antequam ad illam accedamus, monendum, nullibi ita conſtructum זרת, ut conſtet, maſculinumne ſit an femininum, id vero eſt, ſitne ת radicale, an ſervile? Rabbinis quidem זרת eſt, זעירת *digitus minimus*, hincne dicta ſpithama, ad ejus exporrecti extremum pertinens? Non puto, nec enim ע illarum eſt ex literarum numero, quas Hebraei abjiciunt. Praeplacet potius recentiorum derivatio, a זרה *ſpargere*, ut ſit *ſparſa*, i. e. *diſperſis digitis exporrecta manus*, cui et novae adferri ex Arabismo ſuppetiae poſſunt; ſimili enim modo Arabes *cornu extremitatemque arcus* ذرو *a* diſpergendo dicunt. — Jam et addendum de Thalmudico זרתא, quod ex Baal Aruch *pugnum* interpretari Buxtorfium diximus. Non nego, pu-

gno hoc nomen ſatis convenire, ac potuiſſe a זרר *conſtringere*, *comprimere* dici: ſed ſic alia omnino prodibit menſura, uſusque linguae Thalmudicae ſententiae Thalmudicorum de menſurae quantitate erit contrarius; pugnus enim ab extrema digitorum nodatione ad radicem usque manus, *palmum fere unum ac dimidium*, i. e. *ſex digitos* aequat, ſpithama XII digitos habente. Ergo potius putem, זרתא Thalmudicorum *paſſam eſſe manum*, qua alapa infligitur, non quidem cum ſpithama eandem, (omnibus enim diſperſis digitis alapam non infligimus), ſed tamen ei proximam.

Novam menſuram non attuli, ſed hoc in votis fuit, veterem magis confirmare, de qua ipſe, Thalmudicorum et Rabbinorum vocibus non omnia credens, aliquando dubitavi.

ח

ח litera duplicem cum ſonum habeat, quem Arabes puncti diacritici ope diſtinguunt, ح *Hha*, خ *Ch gutturale*, Hebraei ſcribendo diſtinguere nequeunt, non mirum, verba iisdem literis, quarum una ח eſt, ſcripta, pro adpellationis diverſitate diverſiſſimas aliquando ſignificationes habere, quas qui unam artificiis etymologicis facere allaborant, operam ludunt.

חבט *fuſte, baculo excuſſit.*

Non niſi quinquies occurrit verbum, ſignificatione tamen, nec ex ſolo filo orationis, ſed et ex Syriacae Arabicaeque linguae uſu, ita manifeſta, ut dubitari nequeat: *fuſte vel baculo grana frumenti, olivas de arboribus, excutere:* Arabibus خبط *fuſte injecto percuſſit arborem ad dejicienda folia, olivas* &c. Hinc fit, ut et Arabs Syrusque nonnunquam idem pro Hebraico verbum reponant. Maxime proprie LXX Jeſ. XXVII, 12. ῥαβδίζειν verterunt. Caeterum multo latius uſus verbi et ſignificatio in reliquis linguis Orientalibus patet; apud Hebraeos

non

non occurrit, nisi de pomorum, olivarumque excussione, Deut. XXIV, 20. et de excussione frumenti leguminumque, baculo facta, quae Jes. XXVIII, 27. 28. triturationi, דוש, opponitur. Vide *Paulsen vom Ackerbau der Morgenländer* §. 40–42. Nempe non pedibus boum, tribulisque triturant, sed baculis excutiunt, 1) aliqua edulium genera, quae tribulum ferre nequeunt, vide locum Jesaiae, vixdum citatum 2) alia etiam frumenta, quae metu hostis non possunt tuto in area sub dio triturari Judic. VI, 11. 3) qui minus frumenti habent, quam quod area et tribulo dignum sit. Ruth. II, 17. Huc et retulerim Jes. XXVII, 12. ubi petita imago a messe pauperis, qui cum pauca ager extulit, omnia diligenter persequitur ac colligit (לקט), nec plaustro, ut divites, subjicit, sed excutit baculo. Quamquam alii malunt locum de arborum excussione accipere.

חבל.

Quod supra universim de ח dixi, ad hanc statim radicem ejusque derivata tenendum. Arabibus quidem

1) حَبْل *funis* est, verbumque, *foedus inire*, (obligare se) *reti capere*: huc referes חֶבֶל *funem*, cum suis derivatis, nec opus habebis, haec ex verbo כבל, multo ignotiore, orta censere; ut tentavit Simonis. Ab hac significatione et altera, *dolorum* (חבלים) fluxit, quos solent Orientales a ligando dicere.

A dolore ductum et putatur חִבֵּל in Piel, *parturire*, quae tamen significatio loco citari solito primario Ps. VII, 15. vix convenit, praecedente partu, sequente graviditate, יחבל און הרה עמל. Notandum ergo, Arabibus حَبِلَ potius esse, *praegnans facta est*, *concepit* in quarta, *impraegnavit*, cum pluribus nominibus inde derivatis. Ergo in psalmo est potius *concipere: conceperunt malum*, *gravidi sunt infortunio*. De altero, Cant. VIII, 5. dubitari possit

 inter,

inter, *ibi te enixa eſt*, et, *ibi te concepit mater tua.* Vulgata quidem de conceptione, atque adeo de vi illata, *ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua*, male arrepta corrumpendi ſignificatione. De hoc ergo loco quisque ut lubuerit ſtatuat. Caeterum, *concipere*, unde dictum, non plane conſtat, a doloribus partus, conceptionem ſequuturis? an a *ligando*, id vero eſt, *retinendo* et *concipiendo* ſemine? Arabibus quidem حبل inter alia eſt, *reti cepit*, (proprie, *illaqueavit*) nec inſolitum orientalibus, eum reti captum dicere, qui mundum naſcens ingreditur. Barhebraeus, (chreſtomathiae noſtrae p. 104.) *o piſcatio mundi, anno 1537 rete tuum me cepit.* Copia ergo bonorum etymorum laboramus, optione difficili.

2) خَبَلَ *corrupit, depravavit*, خَبْلٌ *corruptio*, خَبَالٌ *corruptio, ſanies* &c. quo referes חבל *perdere*, cum derivatis.

Ad primam claſſem refero, male plerumque intellectum לְחַבֵּל Jeſ. XXXII, 7. Arabica plane ſignificatione: *ad irretiendum miſeros verbis mendacii, cum illi juſta loquuntur.* — — Notanda et phraſis חבלי מות *funes, ſeu retia mortis*, cui ſimillimam habes in chreſtom. Arabica p. 102. احتبلته الموت في حبايله *irretivit illum mors laqueis ſuis.*

Secundam notionem male aptarunt lexicographorum et interpretum non pauci Jeſaiae verbis X, 27. וְחֻבַּל עֹל מִפְּנֵי שָׁמֶן *et computreſcet jugum ob oleum.* Verba omni ſententia caſſa, quibus ut opem ferat monet Vitringa, jugum intelligi ferreum, *olei autem eam eſſe naturam, ut ferri interiora penetret atque emolliat, diſſolvat, et corrumpat.* Hoc quo unquam teſte accepit? arcet potius aeruginem. Clericus, *ipſa* volebat *pinguedine corruptum, id vero eſt laxatum iri jugum.* Horrenda imago, nec enim poteſt pinguedine corrumpi, niſi haec attritu jugi diuturno in ſaniem reſolvatur: nec *corrumpi* et *laxari* eadem.

dem. Hic vero, verbo excluso, mutatisque punctis, malim nomen, וְחֶבֶל עֹל *et funis jugi* recedet a collo ejus. Vide biblioth. Orient. T. XIV. p. 141.

חֲבַצֶּלֶת Jes. XXXV, 1. Cant. II, 1. *Colchicum.*

Egit de hoc vocabulo Celsius in hierobotanico T. I. p. 488–492. varias, etiam recentiorum explicationes memorans, *florem* (generatim), *rosam*, (ex Judaeorum auctoritate) *lilium*, *narcissum*, ipse quidem narcissum praeferens, et ob eximiam pulcritudinem, et quod harmonicum ܚܡܨܠܝܬܐ, Jes. XXXV, 1. Maronita in Polyglottis *narcissum* verterit. Quae quidem ratio non solum nulla, Gabrielis enim Sionitae in his rebus nulla auctoritas, quem in editione polyglottorum negligenter rem egisse queruntur, ac nomina botanica aliaque historiae naturalis Syriaca, ita vertere latine soliti, ut Hebraica eo tempore reddere moris erat: sed et, si adcuratius inquiras, narcisso plane contraria.

Id quidem ante omnia fateor, et constare vel solo auditu existimem, ܚܡܨܠܝܬܐ, quod Syrus Jes. 35, pro חבצלת ponit unum idemque esse, permutatis Arabum more literis M et B: at hoc ܚܡܨܠܝܬܐ in lexico suo Castellus sic interpretatur: "*narcissus*, *lilium*, *Is.* 35, 1. „*Hebr.* חבצלת *Item* ἐφήμερον, *hermodactylus Bar. Bahlul. Veneni* „*genus*, *Ferrarius*." In haec quidem verba commentemur. Prima, "*nar*„*cissus*, *lilium*," ex sola sumta vocabuli Hebraici interpretatione consveta, *lilium*, ex antiqua et vetere, *narcissus*, ex Gabrielis Sionitae versione loci Jesaiani; quin adeo addit nomen חבצלת, quod alterutrum horum significare putabat: haec ergo nullius momenti auctoritatisve, Barbahlulo maxime fides, cujus utinam ipsa verba haberemus Arabica, dubitari enim potest, ἐφήμερον et hermodactylon ut idem ponat, an ut diversa. Nempe ephemerum duplex potissimum est, κατ' ἐξοχήν

 sic

ſic dictum, *lilium convallium*, alterumque lethale, *colchicum*. Malles, credo, prius, maxime ob locum Cant. II, 1. ubi in ſequente verſus membro ipſum nomen, שׁוֹשַׁנַּת הָעֲמָקִים, *lilium convallium* legitur: ſed vereor ne Colchicum potius ſit intelligendum, atque *ephemerum* per ſequens *hermodactylus* explicetur. Nempe hermodactylus noſtrarum officinarum radix eſt plantae de qua dubitatur, quamquam plerique volunt, Colchici; at Arabibus quid ſignificet, diſces ex Golio, p. 1236. سورنجان *Perſ. Colchicum ephemerum, hermodactylus.* Ergo ܚܒܨܠܬܐ Syris, Colchicum, radice quidem venenatum, ſed flore pulcrum ac laetiſſime proveniens. Colchico ergo Saronitidis, et lilio convallium, humilibus floribus, ipſa ſe modeſte comparat Salomonis puella:

אֲנִי חֲבַצֶּלֶת הַשָּׁרוֹן
שׁוֹשַׁנַּת הָעֲמָקִים

nec miraberis, utrumque florem conjungi, cum et eodem ephemeri nomine complecti veteres, atque adeo recentiorum permulti conſueverint.

Jam et veteres audiamus, forte aliqua eorum melius intellecturi, poſtquam de planta conſtat:

1) Cantici interpres graecus, credo, quod ſignificatum vocabuli Hebraici ignorabat, latius ἄνθος, *florem*, vertit, exque eo Vulgata.

2) *Lilium* habent, in Jeſaia LXX et Vulgata, itemque Chaldaeus שׁוֹשַׁנָּה, inque Cantico Syrus ܫܘܫܢܬܐ ܣܪܘܢܐ ſeu, ut potius legendum, ܫܪܘܢܐ *lilium Saronenſe.* (Editoris, Gabrielis Sionitae errorem, qui et vertere ſuſtinuit *lilium abietum*, dudum indicarunt et emendarunt Celſius, atque ab eo citatus Bochartus). Non male hi, niſi quod ſpecificum plantae nomen non expreſſerunt, ad liliorum enim genus, a ſenis foliis Hebraeis dictorum, oculi, et botanici, colchicum referunt.

3) ὡς

3) ὡς κάλυξ Aquila in Jeſaia, ſed ex alia lectione, ὡς καλύκωσις, idemque in cantico, ὡς καλύκωσις τοῦ Σαρῶν. *Roſam* interpretari ſolent, eſtque haec ſignificatio vocabuli graecis uſitatiſſima, ita tamen, ut ſola roſa virginaliter adhuc clauſa hoc nomine vocetur. Svidas, κάλυξ, ἄνθος ῥόδου μεμυκός, *flos roſae clauſus:* vide et Bielii lexicon. Mirum, ſi colchicum ad literam interpretari ſolitus Aquila in roſam virginem converterit. Aliudne ei κάλυξ ſignificabat? forte omnem florem adhuc clauſum, virgineumque? Eſt certe non ſolius roſae nomen, *anchuſam* (ſed ea nihil ad nos) aliqui ita vocabant. (Dioſcorides l. IV. c. 23. Ἄγχουσα, ἣν ἔνιοι κάλυκα, οἱ δὲ ὀνοκλείαν καλοῦσι). Non nego, Cantici II, 1. egregie convenire roſam virginem, nec meliorem tentari conjecturam poſſe, ſed omni orientalium linguarum ſuffragio deſtituitur.

חֲבַקּוּק *Habacuc.*

Graeci nomen, ut jam notavit Hieronymus, Ἀμβακοὺμ ſcribunt, 1) μβ pro ב ponentes, hoc quidem eadem analogia qua pro מף *Memphis* habent, pro סַבְּכָא nomine ſine dubio Aſiatico, σαμβύκη, ac forte חֲבַקּוּק adpellantes, 2) pro ultimo K habent M, neſcio unde. Habent quidem Complutenſia Ἀμβακοὺκ, Arabsque, prophetas ex graeco vertens, حبقوق, ſed hoc nomen ſine dubio ex Hebraico aut Syriaco emendatum, Complutenſia, ut aliquoties factum animadverti, ab editoribus ad textum Hebraicum correcta. Hieronymus in praefatione: *ſcire nos convenit, corrupte apud graecos et latinos nomen Ambacum prophetae legi, qui apud Hebraeos dicitur Abacuc, et interpretatur AMPLEXUS* (a חבק) *ſive ut ſignificantius vertamus in graecum περίληψις id eſt*, AMPLEXATIO. Et paulo poſt: *qui vel ex eo, quod amabilis domini eſt vocatur amplexatio: vel quod in certamen et luctam, et, ut ita dicam amplexum cum deo congreditur luctantis*

ſtantis ſortitus eſt nomen. Nullus enim tam audaci voce auſus eſt. Deum ad diſceptationem juſtitiae provocare et dicere ei, cur in rebus humanis, et in mundi iſtius πολιτείᾳ tanta rerum verſatur iniquitas? &c. Crepundiae etymologicae: nomen Habacucus ſine dubio habuit, antequam propheta fieret, cumque deo diſputaret, nec conjectura perſequi licet qua cauſſa aut ſignificatione parentes indiderint; multa enim ſignificare poteſt, *dilectiſſimum filium*, ab amplexu, ſed et alia, ut Arabicum lexicon evolvens videbis.

חבר cum derivatis.

Duplex ſe et in lexicis offert et in ipſo ſacro codice indubia hujus verbi ſignificatio,

1) notiſſima *conjungendi*, unde חָבֵר *ſocius*, aliaque nomina: quam ſi lubuerit, Syriacam dixeris, quod cum Syris eam communem habent Hebraei, Arabicae enim linguae aut ignota eſt, aut non niſi aliqua arte etymologica ei commodatur.

2) *incantandi*, multo etiam pluribus, quam ubi vulgo eam admittunt lexicographi interpretesque, locis aptanda. Verum haec unde? Qui non niſi unicam verbo tribuere audent notionem primam, immemores, duo ſub חבר concurrere poſſe, *Hhabar* et *Chabar*, varia tentant, ex quibus me judice veriſimillimum, a *componendo*, *carmen* dici, a *carmine incantationem*. In has quidem et ipſe diu partes ivi, ſed melius offerre etymon lingua Arabica videtur, ſub خَبَرَ *ſcivit*, خَبِيرٌ *ſciens peritus*. Nempe incantatores, harioli, quique alios ſuperſtitioſis artibus ludunt, plus aliis ſcire putantur, indeque plerisque in linguis *ſapientes* audiunt.

Haec quidem notio ubi praeferenda ſit, non lexicographi eſt indicare, ſed interpretis.

Sed

Sed et accedit tertia, *coloris, variegati plerumque*, quam sub حبر *pulcher fuit*, reperies, ut حِبْرٌ *atramentum, color, lineamenta*, حِبَرَةٌ *vestis striata*, inprimis *cinerei coloris*, unde avis حُبَارَى nomen accepit: eadem et ab Arabibus ad eorum colonos, Habessinos, coloris notio transiit, ut Castelli quemvis vel Jobi Ludolphi lexicon docebit. Hinc jam חברברות Jerem. XIII, 23. *maculae* pardali, significatione vel ex filo orationis indubitabili.

Hae autem tres significationes quomodo, non dicam in unam, eo enim vix opus, sed tamen in duas radices, *Hhabar* et *Chabar*, coierint, expedire non meum est, nec mihi datum: id unum, verba significationem coloris saepe aliquo casu sortiuntur, quem investigare difficile. Quaestionem etymologicam indico, dubia propono, solvant alii, sed ea verecundia, qua me in proponenda uti vident, conjecturis non indulgentem, nec eas artificiose conquirentem, sed uti audentem, si quae se offerunt.

חָבוֹר et כְּבָר *Chaboras*.

Duplex nominis scriptio, per Chet חָבוֹר, 2 Reg. XVII, 6. XVIII, 11. 1 Paral. V, 26. ubi de eo fluvio, seu ut alii volunt monte, sermo, ad quem decem tribus ab Assyriis deportatae sunt, et per Caph, כְּבָר Ezech. I, 1. 3. III, 15. 23. X, 15. 22. ubi sine dubio de Chabora Mesopotamiae sermo, ad quem Ezechiel cum exsulibus Judaeis habitavit: idque discrimen et codices Kennicottiani constanter servant (*). Jam duo cum sint Chaborae nomine flumina, non male suspicari possis,

(*) Est quidem aliqua in nomine plene vel defective scripto lectionis varietas, aliaque gravior, quod 2 Reg. XVIII, 11. codex 130 ובחלור (a prima manu) et 99 ובחבול habet, sed ea nihil ad quaestionem de ח et כ, de qua jam agitur.

ſis, quod et patrem meum feciſſe in nota Simonis onomaſtico adſcripta video, orthographice ea diſtingui: nec tamen res plane certa, Arabibus enim nomen Chaborae, et vero Meſopotamiam perfluentis ad quem habitavit Ezechiel, خابور per ח [1]), Syris ܟܒܪ et ܟܒܘܪ per כ ſcribentibus [2]), poſſit altera ſcribendi in libris ſacris ratio Arabica, altera Aramaea eſſe. Nempe in exoticis nominibus aliquando כ et ח permutantur.

Eſt autem duplex Chaboras

1) Meſopotamiae, quem delineatum vide in d'Anvillii tabula Euphratis et Tigridis. Oritur ſupra Reſaenam, (ܪܝܫܥܝܢܐ, راس

([1]) Ipſa adſcribo Nubienſis verba, maxime hanc ob cauſſam, quod patrem meum, libro carentem, interrogaſſe video, quibus ab eo ſcribatur literis. Sic ille, climatis quarti parte ſexta, pagina ab initio ejus partis tertia, fere media: وقرقيسيا مدينة بالجانب الشرقي من الفرات ويصبّ اسفلها نهر الهرماس المسمى بالخابور *Circeſium urbs eſt a latere Euphratis orientali, infra quam in eum influit fluvius Hirbas* (Hirmas) *qui nomen accipit*, *Chaboras.* Sic et Abulfeda in deſcriptione Gezirae, num. 245. de Circeſio agens: والخابور الذي يخرج من راس عين ويصبّ في الفرات قريب منها *et* (ad latus) *Chaborae, qui Reſelainae* (Reſaenae) *ortus influit haud procul Circeſio in Euphratem.* Vide et Schultenſii indicem geographicum, aliis auctoribus eodem modo ſcribentem.

([2]) Aſſemani bibl. Or. T. II. p. 222. (media) *aedificavimus et aliud monaſterium* ܠܓܢܒ ܢܗܪ ܟܒܪ ܗܘ ܕܟܒܘܪ *ad latus fluvii Chaborae; quod* (ab eo) *Chabur dicitur* p. 226. ܕܟܒܘܪ ܢܗܪܐ Urbem tamen Chaborae cognominem, inſigni inconſtantia, per Chet ܡܚܒܘܪܐ p. 227. ſcribi video.

راس عين, *caput fontis*, in d'Anvilliana tabula, *Resain*, *Resaina*, *Ain verde*, *vel Theodosiopolis*, longit. 58 latit. $36\frac{1}{2}$) atque prope Circesium Euphrati illabitur. Hic quidem Chaboras circa *al Naharaim* alium fluvium recipit, paulo supra Nesibin ortum, qui graecis Mygdonius dicitur, Arabibus *Hermás*, هرماس nomine orto ex ܕܗܘܪܡܣܐ *fluvius Masiorum montium*, *Masius*. Jam intelliges quid sibi velit Nubiensis, in nota paginae praecedentis citatus, qui nomen fluvio هرباس dedit, literis B et M more Arabico permutatis. Ad Chaboram in tabula d'Anvilliana sub gradu long. $58\frac{2}{3}$ lat. $36\frac{1}{3}$ *Thallabam* invenies, ipsam Ezechielis III, 15. תל אביב, quam quaere sub ת.

2) Assyriae in Tigridem ab oriente influens, quem primus in indice geographico monstravit, deque eo haec lexici geographici excerpsit Schultensius: والخابور خابور الحسنية من اعمال الموصل في شرقيّ دجلة وهو نهر من جبال ارض الدوران عليه عمل واسع وقري في شمالي الموصل قبل مخرجه من ارمينية ويصبّ في دجلة *est et alius Chaboras*, *Chaboras Chasaniae dictus*, *ad ditionem Mosol pertinens*, *Tigri ab oriente. Hic ex montibus regionis Duran oritur*, *circaque eum magna oppidisque multis consita regio*, *ad septentrionem Mosolae. Dicunt* (alii) *oriri in Armenia*, *et in Tigridem influere.* Melius haec intelliges inspecta Tigridis et Euphratis tabula d'Anvilliana: Videbis ibi haud procul a lacu Van paulo post gradum longitudinis 61, inter 37 et 38 latitudinis, fluvium oriri, quem ubi persequeris nomina ejus invenies, *Centrites*, *Khábour*, *Nicephorius fl.* eumque paulo post gradum latitudinis 37 Tigri misceri. In hunc usque diem illum Khabour

bour vocari auctor est d'Anvillius p. 85. sed, quod aegre in tanto viro ferendum, qui si ipse non perperam credidit, nec sibi credi sine teste cupiat, non addita itinerarii aut alius testis auctoritate. Est hic, quod doleo, mos Gallorum, unde dubia saepe legenti fides. Hic quidem Chaboras Orientalis egregie aptus illis locis, ubi de exsilio decem tribuum agitur, modo ad illum alia et Gauzania reperiatur, cujus fluvius dicitur. Gauzaniam quoque orientalem habemus, sed non ad hunc orientalem Chaboram. Vide supra num. 344. sub גוזן scripta, dubita, dispice, et arbiter esto. Forte ea quae pag. 665. ex Schultensio citavi, corrigere in mentem venerit lectoribus, ac pro ألحسنية (*Chazaniae*) reponere, ألجسنية *Gazaniae*: nec contradixerim, modo id me auctore non faciat. Innumeris locis in manuscriptis Arabum codicibus ح et خ negligentia librariorum confunduntur.

Loco hujus Chaborae fluvii orientalis, ad quem decem tribus deportatae, *Chaboram montem*, ut jam supra p. 280. monui, sumebat Bochartus, l. III. geogr. c. 14. col. 194. lin. 5 – 10. Nempe Ptolemaeus, p. 146. *Mediam*, inquit, *ab Assyria disterminat*, χαβώρας τὸ ὄρος, sed qui in tabula Asiae quinta *Chaotras mons vocatur*. Conjectura perquam verisimilis, Bochartoque digna: ad hunc enim montem, ultra quem paulo Gauzania orientalis, recte deduci decem tribus a victoribus Assyriis potuerint. Unum obstare videtur, quod נהר גוזן *fluvium Gozanitidis* Chaboram vocat historicus sacer: sed quod vix ausus esset sperare Bochartus, dedit codex Kennicottianus 130, (ex initio seculi 14) 2 Reg. XVIII, 11. habens, $\overset{ב}{\text{ובחלור}}$ בהר גוזן *et ad Chaboram* (a prima manu, *Chaloram*) *montem Gauzaniae*.

Certi quid de his statuere difficile, lectione suspicionibus adflata: lexicographus significationes nominis proprii si satis prodiderit fideliter

et

et copiose, suis partibus satisfecit; interpretis erit, haec, et quae sub גוזן atque הרא scripsimus, ad tria loca transferre de exsilio decem tribuum agentia, suoque judicio uti.

מחבת *sartago, patella*, Levit. II, 5. 6.

A خبت *planus, humilis fuit*, unde خَبْتٌ *terra plana*. Patella est plana, profundiori opposita.

חָגָא *perfugium, asylum* Jes. XIX, 17.

Male his literis, intellectu facillimis modo masorethae non impedivissent interpretes, punctis חָגָא substratis, ex quibus ad radicem חגג refertur, habeturque femininum, א pro ה Chaldaeorum more posito. Veri dissimillimum in Jesaia, minime chaldaizante, ac purissimi Hebraismi servantis. Quid erat, cur non sine ulla anomalia legerent, חָגָא *asylum, perfugium*, collato Arabico خَجَأَ *confugit*, et مُتَخَجَّأٌ *asylum?* Egregia, locoque aptissima proditura erat sententia, *erit terra Judae Aegyptiis asylum*, quod sequens hemistichium sic interpretatur, *omnis qui illam nominat, ad illum* (Judam) *confugiet*. Vide infra פחד. Ex alia quidem lectione per He, quam infra sub חגג expediam, puncta חָגָה, vera ac bona. Facta est hic, ut saepe duarum lectionum confusio, punctis lectionis חָגָה literis חגא substratis. Veterum plerique, seu potius excepto Aquila omnes, *timorem* verterunt, invito orationis filo: idne ex conjectura ductum? an חגא *confugere* etiam fuit, *timere?* Conjunctae significationes.

חָגָב *locusta*.

Nomen quinquies obvium, Levit. XI, 22. Num. XIII, 34. Jes. XL, 22. Cohel. XII, 5. 2 Paral. VII, 13. quin locustam significet, nullum est dubium; proprie tamen, ut ex primo loco adparet, quartum genus locustarum, id vero est, ut mihi videtur, locustas quartae seu

 ultimae

ultimae aetatis denotat, licet et nonnunquam ponatur generalius. Nempe quinque ſunt locuſtarum aetates, quarum prima Levit. XI, 22. ubi de animalibus eſu licitis praecipitur, a legislatore praetermittenda, quod hujus aetatis locuſtae nimis parvae. Ubi naſcuntur, exque ovis erumpunt, vermes ſunt, haec prima et neglecta legislatori aetas: jam creſcunt et quater cutem exſuunt, ſed usque ad ultimas exſuvias non niſi repentes, poſt quartas exſuvias, id eſt, quinta aetate, alatae fiunt, Venerem ſentiunt, conjugiis ſobolique procreandae operam dant, et paulo poſt moriuntur. Quas ergo volare videmus locuſtas, eae, ſi feriem vocabulorum Levit. XI, 22. ſequaris, חגב. Quod ſi vermicularem aetatem connumerari ut primam cenſeas, חגב quartae aetatis locuſta erit, id eſt, adulta, ſed adhuc humi repens, ante quartas cutis exſuvias. Aliquid prorſus certi dare hic non licet, linguis reliquis orientalibus nullum locuſtae nomen ſub his literis habentibus (*): etymon ſuppeditant, ſed inter utramque aetatem dubium. حجب Arabibus eſt, *velare*, unde حَاجِب *velum*, quin et Syris, ܚܓܘܐ *fanum*, ab *inacceſſo* ita dictum, ut Arabibus حَجَابٌ *velum templi*, حَاجِب *conclavis regii praefectus*. Ab hoc quidem etymo dici potuiſſet, ſive

1) locuſta quartae aetatis ante quartas exuvias, quod adhuc velata eſt: ſive

2) locuſta ultimae aetatis poſt quartas exſuvias, quod jam volans *ſolem coelumque obvelat*, ut fit in Oriente.

Poſterius veriſimilius.

De ſolo non ſatis liquet loco Cohel. XII, 5. ubi in ſenectae, aut migrationis ex hac vita deſcriptione figurata et hoc eſt, ויסתבל החגב. Eſt

(*) Abenezra ad Levit. XI, 22. Arabicum eſſe vocabulum dicit: ſed noli illi credere, Arabicae linguae plane imperito.

Est illi egregie quidem apta locusta, antea humi repens, sed post quartas exsuvias alata, alta petens, lata etiam supervolitans maria: eadem quae apud Graecos papilionis, seu, ut illorum nomine utar, ψυχῆς. Nempe papilio illis anima, quam et Jupiter in condendo homine capiti papilionis forma imponit, et quae a morientibus avolat. Sic saepe in sculpturis sepulcrorum. De uno laborari posse video verbo יסתבל: hoc quid est? *portatur*, i. e. *ascendit in alta, elevatur?* Sed hanc quaestionem verbo סבל servo. — — Bochartus Hieroz. T. II. p. 494. *os femoris*, Arabice حجبة dictum intelligebat, quod senibus יסתבל *gravetur*, *grave fiat*. Non damno, sed aegre locum inter utramque, quae praecedit sequiturque, imaginem tuetur, non solas senectae molestias, sed et jam transitum ad aliam vitam exprimentes.

Caveant sibi qui lexica evolvunt a manifesto errore, quo nonnulli *cicadam* posuerunt, eandem cum locusta habentes. Cicada prorsus alia, atque a locusta diversa, ut mediocriter historiae naturalis periti norunt.

Norrelii somnia in dissertatione de *avibus esu licitis*, hic non excerpo: forte sub ארבה junctim de illis dicam.

חגג

Pro duplici adpellatione, a solis Arabibus puncto diacritico notata, duplicem significationem admittit,

1) *festum celebrandi*, unde חַג festum, quam Arabes sub حجّ habent, verbo de peregrinatione Meccana usitatissimo. Habent et Syri. Primam significationem, a qua festi celebratio dicta, ignoramus: suspicor equidem, radicis חגג et חוג eandem primo notionem fuisse, *circuli*, *orbis*, unde et حجّة *annus*: inde festum dictum,

dictum, sive, quod festa in orbem irent redirentque, sive a saltationibus festivis, saltationes enim saepe ab orbe, in quem fiunt, dicuntur. Sed hae conjecturae, nec quidquam praeter eas certioris usus linguarum orientalium impertitur. Ergo hanc totam quaestionem etymologicam, si placuerit lectoribus, abdicemus; certis contenti.

2) *lapsandi.* Hanc sub خجّ Arabes habent, quod est, transitive, *impulit*, intransitive, *inflexus fuit*, *terrae impegit pedem.* Huc retulerim יָחוֹגּוּ Ps. CVII, 27. secundum masorethas, literae Gimel Dagesch imprimentes, seu potius secundum lectionem sine Vau יָחגּוּ quam Kennicottus in 54 codicibus reperit. Hanc equidem verterim, *caespitabant* — — *ut ebrius*, quod in navi tempestate gravi jactata vere accidit mari non valde adsvetis. Alia explicandi ratio si יָחוֹגוּ cum Vau legas, de qua vide infra sub חוג dicenda. (Biblioth. Or. T. XIX. p. 150.)

חג *victima?*

חג *festum* pro victima quatuor locis poni volunt lexicographorum haud pauci, Exod. XXIII, 18. Jes. XXIX, 1. Malach. II, 3. atque, (graeco anonymo θυσίαν, et Chaldaeo, sed in quo parum residet auctoritatis quod perquam recens est, *agnum sacrificialem* praeeunte) Ps. CXVIII, 27. Mihi haec significatio, reliquis linguis orientalibus ignota, dubia adhuc: primus locus nihil probat, *adeps festi mei*, est quidem adeps agni paschalis festo paschatis oblatus, sed non ideo חג sacrificium: Jes. XXIX, 1. malim vertere, *festa in orbem circumeant*, quam, *hostias mactent*, (nempe describitur tempus, quo praedicta evenient, post integrum annum, omnibus festis annuis peractis): Psalm. CXVIII, 27. locus maxime dubius, ex quo significatio nova probari aegre potest, cum ne constructio quidem apta sit, *alligare victimam* USQUE AD

(עד) *angulos altaris;* quamquam hoc non urgeo VI codicibus על habentibus. N. L.

חָגָּה Jeſ. XIX, 17. *lapſus, titubatio.*

Sic per He quinque codices mſcr. Kennicotti, ac duae editiones habent, ex qua lectione vocabulum ſine dubio ad radicem חגג referendum, (quod de altera, חגא, ſupra negavi). Γύρωσιν Aquila vertit, nempe, ut ſupra monuimus, חגג ex prima ſignificatione forte idem fuerit ac חוג, *in orbem ire:* γυρώσεως nomine *vertiginem* intellexiſſe videtur. Quid ſi potius referas ad خجّ *lapſare, titubare? erit illis in lapſum, in titubationem.* Mihi tamen altera lectio חגא melior videtur.

Lexicographi *timorem* interpretantes ſequuti ſunt veterum pleroſque, ſed male: illi enim חגא ita verterunt, a ܚܓܐ *confugit*, recentiores ad radicem חגג retulerunt, alia ſignificantem omnia, א inſuper pro He poſitum commenti, anomaliarum, ubi aliquid ignorant, cum Judaeis magiſtris ultra modum prodigi.

חֲגָוִים Jerem. XLIX, 16. Obad. 3. Cant. II, 14.

Vox non niſi ter occurrens, reliquisque linguis ignorata omnibus, ut ne certam quidem derivationem ſuppeditent. Ergo nec ſignificatio ita certa et indubia, ut ſumi a lexicographis ſolet. *Fiſſuras* petrarum vertunt, praeeuntibus in Jeremia et Obadia LXX et Vulg. inque Cantico Syro et Vulgata: eſtque ea ſignificatio cantici loco egregie apta, in cavernis quippe petrarum nidulari columbae ſolent. Teſtes ſi unanimes eſſent, in vocabulo ignoto aliqua illorum fiducia: ſed et alii aliter vertunt, *ſumma petrarum* Syrus et Chaldaeus in Jeremia, *ſcopulos ſeu prominentias petrae* (שני כיפא) Chaldaeus in Obadia, ibidemque Syrus ܚܘܣܢܐ *fortalitium petrae.* Favet huic explicationi filum orationis in Jeremia et Obadia, ubi ex חגוי *dejici* dicuntur; quam-

quamquam et fateor, hoc dejiciendi verbum fiſſuras ſpecusque petrarum non excludere, quae poſſunt in alto eſſe.

Nihil opis, linguae orientales adferunt, niſi ſuſpiceris pro حجاء *confugit*, cum Aleph mobili, etiam حجا cum quieſcente pro حجو dici potuiſſe: hoc ſi ſumas, חגוי סלע eſſe *refugia petrarum* poſſint generatim, ſive ſpecus ſint, ſive ſummi et inacceſſi hoſtibus petrarum vertices. Hoc quidem mihi veriſimile.

חָרָא *confugit*. Jeſ. XXVII, 4. 5.

حَكَأ Arabibus eſt, cum *confugit ad aliquem*, tum, *in clientelam recepit*. Hinc opem ferendam puto difficillimis literis, in duas voces atque adeo verſus diſcerptis, יַחַד : אוֹ Jeſ. XXVII, 4. 5. Graeci eas junctim legentes, יחדאו ut verbum vertebant, *βοήσονται*: ego literas in bibl. Or. T. XIV. Suppl. p. 75. 76. ſic diſpeſcui: יֶחְרָא יַחֲזֵק בְּמָעֻזִּי ſi quis *confugit* (ad me) *meumque amplectitur aſylum*.

Quaerere poſſis, quid ſpectantes LXX *βοήσονται* verterint? Suſpicor eos aut *βοηθήσονται* ſcripſiſſe, aut *βοήσονται* eadem poſuiſſe ſignificatione, *auxilium feretur habitantibus in ea*, proprie, *in clientelam et tutamen divinum recipientur*.

Quae prima ſit verbi ſignificatio, unde ſecundariae *confugiendi* et in *clientelam recipiendi* fluxerint, certo dicere non poſſum, parcusque etymologiarum inquiſitor hoc totum praetermitterem, niſi vererer, ne quis חרא et חגא eadem verba exiſtimet, memor ſaepe alias duas literas communes habere ejusdem ſignificationis trilitera. Ergo modeſte de Arabico حكأ, quod et eſt, *movere*, *amovere*, *inhaerere loco*, unde et milvus حكأة atque حكى dictus (vide Forskål deſcriptionem animalium p. 1.) Suſpicer, ex prima ſignificatione eſſe *volare*, deinde maxime de eo volatu poni, quo lentae motae aves rapaces expanſis alis eodem in loco

co haerere nobis videntur, hinc milvum dictum, hinc حدأ الى *volavit ad aliquem*, esse, confugit, et, حدأ على *supervolitavit*, *tuitus est.*

חרוד Job. XLI, 22. *ferrum.*

Ἅπαξ λεγόμενον חדודי חרש quod interpretum recentiorum plerique, et lexicographi, *acumina testae* reddere a חדד solent, satis verisimiliter nisi sequens nomen, *testae*, officeret: crocodilus enim, in Nilo vivens, non testas, sed aspera saxa, ut ad catarrhacten, substrata sibi habet, dictuque exile, tantam belluam testae acumina contemnere.

LXX ὀβέλισκοι ὀξεῖς *verua acuta* habent, meliore sententia, sed quo jure חרש *acutum* verterint, non satis liquet, nisi forte خرش *scabere* in subsidium vocare lubuerit. Chaldaeus, *lapilli acuti sunt sicut testa*, exili sententia. Vulgata, *sub ipso erunt radii solis:* nempe חרש idem quod חֶרֶס *solem* putabat interpres, ejusque radios in acumen desinere, ut fere a pictoribus formantur.

Meliora his habent Symmachus et Theodotio, σιδήριον τέκτονος, *ferrum fabri*, i. e. ferrum fabrefactum vertentes, his vocalibus lecto textu, חֲדוּדֵי חָרָשׁ. Arabibus quidem ab acumine *ferrum* حديد.

Hoc quidem hucusque praeplacet, si recepta lectione utamur: at si cum codice Kennicotti 245 (Roterodam. 2. multa alia lectionis varietate notabili,) חדש cum Daleth legamus, verterim potius, *sub illo sunt acumina novi* sc. tribuli, de tribulo enim sequens membrum loquitur. Haec tamen ipsa tribuli acumina solent ferrea esse; at ex hac lectione jam materia non spectabitur, sed solum acumen.

חדה. *laetatus est*, *adhaesit.*

Gaudendi significationem lingua Hebraea cum Aramaea, id vero est, Syriaca, Chaldaica, Samaritana communem habet: Arabicae periit.

Nonnullis quoque locis ubi יַחְדָּו *unâ* puncta habent maſorethica, melius noſtrum verbum legeres יֶחֱדוּ *laetabuntur*, ut Jeſ. I, 28. Languidum quod puncta habent, *ruina praevaricatorum et peccatorum unâ*, cum plane non adpareat, quo modo praevaricatores a peccatoribus diverſi: ergo hic auſus ſum vertere, *de interitu perfidorum et peccatorum laetabuntur*. Certe ut in ſequente membro יִכְלוּ, verbum, legitur, ita et in hoc verbum potius יֶחֱדוּ exſpectaverit, quam adverbium.

Jobi III, 6. haec ſignificatio non apta, quis enim poſtquam diem natalem exſecratus eſſet, de nocte natali dixerit *inter dies anni ne laetetur*. Ergo malim حدي *adfixus eſt*, *adhaeſit*, conferre, *ne adhaereat diebus*, i. e. ne illos conſequatur, ne eorum pars ſit. Alii eandem ſententiam ſic efficiunt, ut futurum יִחַד ad radicem יחד referant, *ne uniatur diebus anni*, pro ייחד. Meum mihi paulo videtur expeditius.

Jeſ. XIV, 19. לא תחד ad חדה *laetari* retulit Syrus, ܠܐ ܬܚܕܐ ܥܡܗܘܢ ܒܩܒܘܪܐ *non laetaberis cum illis in ſepulcro*; male, ut mihi videtur, tertia enim radicalis ה poſt אל abjici ſolet, non poſt לא, nec bona ſententia, *laetari cum occiſis in ſepulcro*.

חֶדֶל Jeſ. XXXVIII, 11.

Caducam et *deſituram vitam*, vel *fragilem mortalium orbem*, *in quo habitant* interpretor. Hieronymi commentarium legenti, videbitur EDEL occidentem vertere: ſed verba transpoſita ſunt, et potius, *requies*, verſio eſt EDEL, a חדל ceſſavit. Vide locum integrum ſub חלד.

חדקל *Tigris.*

Tigridis nomen esse, qui demto Cheth Syris ܕܩܠܬ, Chaldaeis דִּיגְלַת Arabibus دجلة vocatur, nullum dubium est: ita Genes. II, 14. verterunt LXX, Vulgata, Chaldaei omnes, Syrus, Saadias, Dan. X, 4. LXX (Romae et Goettingae nuper editi) Theodot. Vulg. Arabs. Quod ibi in Syro bibliorum polyglottorum legitur, ܢܗܪܐ ܪܒܐ ܦܪܬ *fluvius magnus Euphrates*, excusationem admitteret, Euphratem et Tigrim in unum flumen coire, jam ab hoc jam ab illo nomen sortiens: verum illa opus non habemus, est enim vitium scriptionis recentius, Ephraemusque in suo commentario fluvium, ܕܩܠܬ vocat.

De etymo aliquid dicendum, de quo Graecos et Latinos plane non audiendos esse arbitror. Quod delirium, cum linguas Orientis, Chaldaeorum per quorum terram fluxit Tigris, Arabum, Syrorum, cognitas habeamus, illisque magnam vitae partem impenderimus, de etymologia ex his linguis petenda Graecos consulere, aut illis credere, qui earum ne literam quidem legere poterant. Plinione crediderim, a sagitta nomen accepisse, quae *Medis* tigris vocetur? Medine fluvio Assyriae et Mesopotamiae nomen dederint? Ortum potius Graecum Τίγρις ex *Digla* Aramaeo fluvii nomine, L in R mutato.

Ante omnia autem notandum, חד tribus fluviis Assyriae, cursu rapidissimis, commune esse, nostro חדקל, et utrique Lyco, qui ܕܐܒܐ vel ܙܒܐ dicitur, pro ܕܐܒܐ ܙܕܝܐ *lupus celer*, aut, si malis, *lupus iracundus* i. e. *rabidus*. Jam hoc nomen, *acutum*, i. e. *celerem*, significans, compositum est, sive cum alio synonymo קל *celer*, sive cum דָּקַל *ferbuit*, *iratus et fervens*. Jam de Josepho judicabis qui esse dicit, μετὰ στενότητος ὀξύ, Ant. I, 1, 3. ΟΞΥ acu-

tum, in duabus primis literis nominis חדקל sine dubio inest, sed, mirum! non hoc a Josepho, sed Chaldaicum Graecis literis expressum est, ΔΙΓΛΑΘ: *angustiam* unde exsculpserit, plane non video.

Samaritana versio, saepe quoque aliis suis uti solita privis nominibus geographicis, קפלוסה vocat: num a כפל *duplicavit*, quod duo fluvii, Tigris et Euphrates, in unum coeunt?

חַדְרָךְ *urbs olim celebris, et regio, ab oriente Damasci.*
Zachar. IX, 1.

Geographiae ignoratione etymologias in nomine proprio, nonnisi semel Zach. IX, 1. lecto, multi cum veterum tum recentiorum tentarunt, ex quibus una, ineptissima forte omnium, sed perantiqua primo loco memoranda, quod a peritiore Rabbi Jose pene exsibilata dux ad verum fuit.

Ad חד *acutus*, et רך *mollis* retulit Hieronymus, mystica in nomine proprio ludens: *assumtio*, inquit, *verbi domini*, *acuti in peccatores*, *mollis in justos: ADRACH quippe hoc resonat*, *ex duobus integris nomen compositum: AD acutum*, *RACH molle tenerumque significans*, *et non*, *ut male a quibusdam legitur*, *SEDRACH.* Hoc forte ex magistro Judaeo didicerat, videbimus enim, inter Judaeos hunc lusum invaluisse: sed jam christiane interpretatur: *quidam Adrach referunt ad populum Judaeorum*, *Damascum ad vocationem gentium. Unde pondus sive assumtio verbi domini fit in terra Adrach, super quam et austeritatem suam dominus exercuit*, *et clementiam*, *austeritatem in eos*, *qui credere noluerunt*, *clementiam in illos*, *qui cum apostolis sunt reversi.* Haec quidem descripsisse, id vero est refutasse.

Invaluerant talia apud Judaeos, Hadrach de Messia intelligentes, sed una voce Rabbi Jose labefactata ruinas dederunt. Raschi ad hunc locum: *allegorice interpretabatur R. Juda filius Elai*, (doctor Mischnicus,

nicus, qui ſub Adriano floruit, Akibaeque diſcipulus (*)) *de Meſſia, qui ſit acutus* (חד) *gentibus, et mollis* (רך) *Israeli. Sed dicebat illi Rabbi Joſe, filius Damaſcenae mulieris, in diſputatione: quousque nobis pervertis ſcripturam? Caelum et terram teſtes ſuper me invoco: natus ſum Damaſci, eſtque locus aliquis* (nempe, in vicinia Damaſci) *cujus nomen eſt Hadrach.* Similia habet Kimchi, niſi quod allegoricae interpretationis auctorem non Judam vocat, ſed Benajam (בנ״ה).

Veram dixiſſe videtur ſententiam R. Joſe, teſtis omni exceptione major, quod Damaſci natus: ejusque interpretationem, ſeu potius teſtimonium, ab aliis neglectum, in notas ſuas ad Zachariam recepit pater meus, Chriſt. Ben. Michaelis, brevitatis ſtudio non totum excerpens. Hic ergo mihi veram, ut videtur, ſententiam, nunc ornandam praeivit.

Nomen proprium agnovit Theophylactus ad hunc locum, addiditque, urbis nomen eſſe. Ἄδραχ πόλις ἐστι τῆς Ἀραβίας. Homini Syro, Cyrrhi epiſcopo, in geographia Damaſci ejusque viciniae fidei aliquid habendum. *Arabiae* urbem quod dicit, non Syriae, Rabbi Joſe non contradicit, paucis enim a Damaſco milliaribus Arabia jam incipit, ut ſi urbs fuerit orientalis Damaſco, ad Arabiam pertinere potuerit.

Sed his addo, quae anno 1768 die 17 Martii, a nobili Arabe Transjordanenſe, Joſepho Abaſſi (**), didici. Varias illi quaeſtiones de ſua patria proponebam, ſed nihil, ex quo reſponſionem arripere poſſet, ſuggerens: diffidebam enim initio, et verebar, ne quid confingeret. Interrogabam ergo et inter alia, cum eum Damaſci fuiſſe comperiſſem, noſſetne urbem aliquam حدرك, ſic enim literis Arabi-

(*) Vide Wolfii Biblioth. Rabbinicam T. I. p. 411.

(**) Vide grammaticam Arabicam p. 11. 12.

Arabicis scribebam, non ore proferens nomen, ne forte in adpellatione vocalium errans, obscurius redderem. Respondebat: *esse ejus nominis urbem, deque ea se audivisse, sed nunquam ibi fuisse. Parvam nunc esse; sed majorem olim fuisse ipsa Damasco referri.* De urbe cum interrogassem, non de terra Hadrach, ultro et hujus mentionem faciens, addebat: *ferri, metropolim fuisse magnae regionis, quae terra Hadrach vocetur. Nobiles ex hac terra Hadrach familias ortas dici, multaque de ejus regibus et principibus narrare Arabes, referri etiam, quod olim gigantes habuerit. Ferri etiam fabulam, Muhammedem ex hac regione ortum.* Ergo heroum quodammodo patria Arabibus Hadrach, et gigantum sedes, ut Mosi Batanea. Jam cum tam responderet quaesitis meis apta, instabam, ubinam sita esset? hoc negabat se adcuratius referre posse, id modo meminisse audire, a Damasco versus desertum sitam esse, forte decimo a Damasco milliari. Oblitus sum, interrogare, quae milliaria intelligeret, sed puto, milliaria majora Arabum, 19 vel 20 unius gradus: quod si est, jam ad Arabiam ejus Hadracha pertinuerit, cui illam attribuit Theophylactus.

Proxime ergo a vero, sed tamen abfuit Bochartus, in libro secundo Phaleg, c. 6. p. 79. חדרך in nominibus vallis Damascenae numerans. Non ipsa vallis Damascena, sed regio Damasco vicina, alia a metropoli dicta.

Jam nec lusibus erroribusque etymologicis aliorum opus habemus: aliquid tamen vel de his monuisse liceat.

Verisimillimus ex reliquis, qui et Ludovico de Dieu, prudenti viro placuit, Junii: חֲדָרָךְ esse *regiones vicinas Palaestinae.* Nempe ܚܕܪ Syris est, *circumdedit*, indeque ܚܕܪܝܟ vel ܚܕܪܝܟ *circa*, unde חֲדָרָךְ, aliis subjectis vocalibus, esse posset, *circa te, vicinia tua.* Acciperem sane, si opus esset, nec nomen proprium et vero celebre, licet geographis nostris ignotum, suppeteret.

At

At plane alius notae eſt, quod *Hier. van Alphen* in *diſſ. de terra Chadrach* et *Damaſco*, *Ultrajecti 1733 edita*, voluit, חדרך nomen eſſe Deae *Atergatis*, *Derce*, *Derceto*. Si quis unquam hujus Deae nomen, Syriacis literis ſcriptum legerit, ܬܪܥܬܐ, nunquam ei in mentem veniet, תרעתא et חדרך nomina eadem eſſe. His quidem literis a Syris ſcribi nomen, diſces ex Aſſemani bibliotheca Or. T. II. indicem epiſcopalium urbium monophyſiticarum ſub *Mabug*, evolvens, quod nomen תרעתא quid ſignificet, quae fabulae Deae ſubſit hiſtoria et veritas, in noſtra quidem bibliotheca Orientali T. VI. pag. 96-99. dictum. Plane nihil ergo Derceto, ne Damaſci quidem, ſed Hierapoli culta, ad חדרך. Laetemur vicem noſtram, doleamus Alphenii: ille quidem ante Aſſemani bibliothecam Orientalem, nomen *Derceto* Syriace ſcriptum legere non potuit, ſed de eo, pro audaci illius temporis more, conjecturas faciebat, quibus conjecturis novae moles inaedificabantur.

LXX quidem ex conſvetis editionibus Σεδραχ habent, antiquo jam errore, quam dudum caſtigaverat Hieronymus, cujus verba p. 676. retuli. Ille quidem in his, quae meliora habebat, exemplis graecae verſionis Ἀδραχ legit, ipſos enim LXX in commentario ſic latine vertit, *in terra Adrach*: nec aliter Theodoretus, Ἄδραχ πόλις ἐστι τῆς Ἀραβίας. Recte ergo editio Aldina Ἀδραχ habet; error turpiuſculus in pleraſque, quas bonas putamus, cum ne mediocres quidem ſint, editiones receptus eſt, Grabiana et Breitingeriana editione ne in variis quidem lectionibus locum meliori Ἄδραχ relinquente.

חדש *urbes inſtaurare* in Piel et Hiphil.

A חדש حَدَثَ *novus fuit*, Arabes centies centiesque dicunt in ſecunda conjugatione حَدَّثَ *inſtauravit urbem*, *denuo illam aedificavit*. Lexica quidem ſignificationem non habent, nec exempla collegi,

quod nimis sunt obvia et frequentia, sed mihi credi velim, innumeris me locis in Abulfeda Arabum geographo legisse. Hoc quidem sensu sine dubio ponitur Jes. LXI, 4. וְחִדְּשׁוּ עָרֵי חֹרֶב *restaurabunt urbes devastatas*, eademque significatione ex varietate lectionis Zephan. III, 17. in Hiphil occurrit יחדיש באהבתו *amore suo*, i. e. propterea quod te amat, *te restaurabit*. Sic nempe pro יחריש (absurdo verbo) per Daleth legerunt LXX, vertentes καινιεῖ σε ἐν τῇ ἀγαπήσει αὐτοῦ. Vide bibliothecam Orientalem T. XXIV.

חרשת vel חרשת Num. XXIV, 17.

קיר חרשת vel ex alia lectione קיר חרשת nomen nobilissimae urbis Moabiticae, de qua infra suo loco dicemus. Num. XXIV, 17. בני שת legens, quod difficillimae est interpretationis, manifestasque plerorumque, qui interpretari sustinuerunt, ineptias, suspicari ausus sum, בני חרשת vel בני חרשת legendum esse, (*filios Harescheth*) eandem urbem, quae plene קיר חרשת, etiam demto uno nomine חרשת dici. Occasionem conjiciendi locus Jes. XVI, 7. mihi dedit, ubi per errorem librariorum pro κατοικοῦσι Δεσεθ, *qui Deseth habitant*, scriptum est κατοικοῦσι δὲ Σέθ. Vide bibl. Or. T. XIV. adpend. p. 15. Certi nihil hac de re statuo.

חידות ex LXX expl. *narratio*, Habac. II, 6.

Pro חדש *novus*, Aramaei pro suae linguae more ܚܕܬ dicere, notissimum, ab eoque nomine verbum denominativum Arabes faciunt حدث *narrare*, a novitate narrationem dicentes. Hoc quidem spectarunt LXX, Habac. II, 6. חידות, credo חִידוֹת adpellatum, διήγησιν, *narrationem*, vertentes. Male illi quidem, me judice, est enim haec ש in ת mutatio mere Aramaea, atque ab Hebraismo aliena.

חִוִּי

Populus Cananiticus, maxime sub radicibus Libani sed et passim per maculas habitans, aliquoties a librariis ob literarum similitudinem cum חֹרִי confusus. Spicil. geogr. T. II. p. 21.

חוּג *gyrare*, *in orbem ire*, *rotundum facere*.

ܚܳܓ Syris est, *circumivit*, unde ܚܽܘܓܳܐ *circulus*, nec dubium quin Hebraeis verbum, ἅπαξ ut putant λεγόμενον, Job. XXVI, 10. sit, mare tanquam circulo ducto circumscribere, eique suos, quos supergredi non debet, fines adsignare: indeque est nomen חוּג circulum significet. His quidem addo, semel praeterea paulo mutato significatione verbum occurrere Pf. CVII, 27. ex plena lectione יחוגו (de defectiva supra p. 670. actum) quae quidem literae יָחֹגּוּ, non, ut voluit punctator, יָחוֹגּוּ efferendae erant. *In orbem ire*, est ibi ebriorum, vertigine capitis in orbem actorum, quibus procella jactati, nullibi in navigio consistere valentes, ubique vacillantes, vomentes quoque, comparantur. Alteram quidem lectionem יָחֹגּוּ ob meliorem, quam fundit, sententiam praetulerim, licet et hanc explicem.

חִידָה *dolus*, *stratagema* Dan. VIII, 23.

Nota *aenigmatis* significatio, unde et *carmina reconditae aliquid philosophiae habentia* dicuntur, Pf. XLIX, 5. De solo diffident etymo, aliis ad חדד *acutus fuit*, referentibus, tanquam *acute dictum*, male me judice, sic enim sine Jod scribendum fuisset; melius Schultensio ad (Prov. I, 6.) حيد *inflectere*, *obliquare*. Possit et tertii in mentem venire, a Syriaco ܐܚܰܕ *tenuit*, *retinuit*, *clausit*, a quo et aenigma ܐܘܚܕܬܳܐ tanquam *clausum* dicunt: quod quidem omnibus praeferrem, nisi linguae obstaret ratio, nec enim Hebraeorum est, sed peculiare linguae Syriacae ܙ in ܕ mutare.

Caeterum haec aenigmatis significatio vix apta loco Danielis VIII, 23. ubi malim *dolos*, *fraudes* intelligere, a حيد *declinavit*, *deflexit*, מלך מבין חידות *rex omnis doli peritus*.

מחוז *ora*, *littus*. Pf. CVII, 30.

Ἅπαξ λεγόμενον quod *portum* vertere solent, satis unanimiter praeeuntibus veteribus: receptum etiam hac significatione in linguam Judaico-Chaldaicam, et Rabbinicam, sed quae nihil auctoritatis adferunt, cum enim Syriaca vocabulum ignoret, non ex nativis Chaldaicis est, sed a magistris Judaeorum ex hujus ipsius loci interpretatione linguae Chaldaicae magistrali illatum. Mihi potius *littus* generatim esse videtur, ab Arabico حَوْزٌ *ora*, *margo*.

חוח *spina*, *prunus silvestris*.

Omisissem hoc vocabulum, nisi ad חח, cum quo confusum est, eo opus habiturus essem. Non spinam generatim, sed proprie *prunum silvestrem* esse, vult Celsius T. I. p. 477-480. ex quo et disces, Arabes habere خَوْخٌ scriptum, itemque Syros ܚܘܚܐ quod *prunum Perf.* vertit Castellus. Id maxime monitu opus, ad radicem mediae rad. Vau referendum esse, et Hebraica scriptione, et utriusque linguae sororiae, concinente, unde recte masorethae ei pluralem cum Vau mobili חֹוָחִים dederunt. Male lexicographorum non pauci ad חח retulerunt, atque plane utramque vocem etymologica inventuri, exque illis conjecturas facturi, confuderunt.

חוט *circumdare*, *custodire*.

In codice masorethico nuspiam occurrit, at pro אחטאנה Genef. XXXI, 39. unus Samaritanorum codicum habet, אחיטנה, quod quidem vertendum existimem, *ego servabam illud*, *a mea manu quaerebas*. Nempe حوط est, proprie, *circumdare*, *circumire*, indeque,

quae

quae notissima significatio, *custodire.* Sic et praeivit, idem, ut credo, legens, Syrus: ܐܢܐ ܢܛܪ ܗܘܝܬ ܠܗ *ego servabam illud.*

חול *in orbem ire, intremiscere, custodire.*

Verbo חול plures dant, nec inter se connexas significationes lexicographi, quas inter aliquae mihi suspectae, ex sola pendentes fide magistrorum. Nec equidem nego, in his etiam quae certa sunt, ut parturiendi notione, Hebraicam ab Arabica lingua destitui, at duae significationes non solum reliquarum linguarum concentu, sed et certis destitui ac probantibus Hebraismi exemplis videntur:

1) *manendi, perseverandi*, pro qua quae citantur loca, melius ex certa et indubia in orbem eundi explicari posse infra videbimus. Caeterum non nego, veteres jam praeivisse, ut, cui loco eximie apta significatio, modo philologice vera, Job. XX, 21. Syr. Vulg. Chald.

2) *formandi.* Fere omnia quae pro ea adferuntur exempla manifeste *parturiendi* notionem habent.

His ergo abdicatis, donec, non auctoritate Rabbinorum et credulorum illis lexicographorum, sed certis exemplis probentur, haec quidem notis addiderim.

1) Dolendi significatum verbo non nego, multis tamen locis aptior *intremiscendi*, a quo et partus non tam dolores, quam tremores, spasmique totius corporis dici potuerint. Exod. XV, 14. חיל אחז ישבי פלשת quid quaeso malis, *dolor*, an, *tremor invasit incolas Philistaeae?* maxime cum in primo membro praecesserit, ירגזון *commoti sunt*, et in versu 15 sequatur, אילי מואב יאחזמו רעד? Jes. XXIII, 5. quid malis, capta Tyro dolere, an intremiscere Aegyptum, cui jam paraverat bellum victor? Chaldaeus quidem, זָעוּ *commoti*, i. e. territi sunt. (Sic idem saepius, ut Jes. XXVI, 17. ubi de parturiente sermo) Jerem. LI, 29. ותרעש הארץ ותחל

 altero

altero verbo alterum explicante. Habac. III, 10. ראוך יחילו הרים *viderunt te, intremuerunt montes*, fere ut Virgilius,

silvarum juga coepta moveri

— Adventante dea.

Sic et Chald. ac Syrus, זָעוּ *commoti sunt.* Adde, et ipse existima Ps. XXIX, 8. XCVI, 9. ubi ipsi LXX, alias ὀδύνην habere sveti, σαλευθήτω ἀπὸ προσώπου αὐτοῦ πᾶσα ἡ γῆ, Syrus ܬܙܘܥ *commoveatur*, Chald. רתתין *contremiscunt.*

Caeterum *doloris* significatio, late vel ibi in versionibus regnans, ubi tremoris erat aptior et terroris, Graeco maxime et latino interpreti debetur, qui, cum de partus labore verbum nomenque proprie poneretur, de solo cogitarunt *dolore*, non de partus *tremore* ac *spasmis.*

Neutram earum satis clare indubitateque prae se fert lingua Arabica sub חול, vide tamen infra de חיל dicenda.

2) Arabibus حول ex propria significatione, a lexicographis praetermissa, est, *gyrare, in orbem ire, circumire,* unde et حَوْلَ *circum, circa.* Brevi esse licebit, sententiam enim qui primus dixit, idem et peroravit, Schultensius, in notis ad Hamasa, subjunctis grammaticae Erpenianae, p. 361. 366. 367. 368. Unum tamen ex illo excerpo, alibi p. 328. notatum versum Arabicum, qui omnium instar est, nec tricis etymologicis opus habet, *Lichjanitae axis sunt suae genti,*

تدور رحاهم حولهم وتحاول

circa quos rota eorum circumit et volvitur.

Ex hac significatione non pauca sacri codicis loca, obscura, adque alias commentitias redacta significationes, ita lucebunt, ut eam inficiari vix detur. Jerem. XXIII, 19. סַעַר מִתְחוֹלֵל עַל ראשׁ רשׁעים

רשעים יחול turbo in gyrum actus, supra caput malorum volvetur. (LXX ibi, ὀργὴ ἐκπορεύεται εἰς συσσεισμὸν, συστρεφομένη ἐπὶ τοὺς ἀσεβεῖς ἥξει. סער cur iram vertant, suo vide loco, id manifestum, de turbine eos gyrato et in se convoluto cogitasse) XXX, 23. eadem phrasi procella על ראש רשעים יחול. Hos. XI, 6. וְחָלָה חרב בעריו *circumibit gladius per urbes ejus.* Forte et hinc explicandus locus obscurior ac dubius Mich. I, 12. חָלָה לטוב *circumit ad bona* quaerenda, quod et in versione germanica sequutus sum, sed certi nihil habeo.

3) خول Arabibus est, *conservare*, *custodire*, *bene administrare.* Hoc mihi optime locum tueri videtur Job. XX, 21. על כן לא יחיל טובו *propterea* (nempe quod heredem non habet) *non servat curatque opes suas.* Illustrior etiam sententia, si legas אין שריד לאהלו על בן לא יחיל טובו, *nullus est evadens in tentorio ejus, filio non custodit opes.*

חול Genes. X, 23. forte *Coelesyria.*

Vide Spicilegium T. II. p. 135–138. ubi adlatis aliorum explicationibus, verisimile mihi videri professus sum, חול idem esse cum חיל *Coelesyria*, et vero proprie sic dicta, quam a Damascene distinguit Plinius, complectique ait *Apamiam*, *Bambycen*, *alio nomine Hierapolim vocatam*, *Syris vero Mabog et Chalcidenem.* Vide infra חיל *vallis.* — — De varia lectione textus Samaritani vide sequens חוילה.

חוילה *Chavila.*

Triplex in sacris literis occurrit Chavila

1) et 2) duplex Arabiae, Genes. X, 7. a Chamitis, et v. 29. a Semitis habitata, de qua quid conjecerint aut luserint potius Arabicae geographiae imperiti, omitto. Duplex quidem Arabiae cum Chaulan sit (خَوْلَان) quarum in d'Anvillianis tabulis alteram reperies

peries sub gradu long. 60. latit. 19. alteram sub long. 64. lat. $16\frac{1}{2}$ prope certum habeo, Chavilam eandem esse, quae Chaulan. Vide Spicileg. T. I. p. 189-191. T. II. p. 202. 203. Ad Chaulanitidem usque habitasse, aut cum gregibus errasse dicuntur Ismaelitae Genes. XXV, 18. et Amalecitae 1 Sam. XV, 7. De Ismaelitis res indubia, nec de Amalecitis dubitandum reor, cum eos late per Arabiam, ipsam adeo felicem, historia monstret.

3) Ab his sine dubio sejungenda Chavila ad Phischonem Genes. II, 11. nullum omnino fluvium majorem, nedum qui Euphrati misceatur potueritque paradisi esse, Arabia habente. Ea autem pars Arabiae, quae Euphratem attingit, nunquam auri dives habita fuit, a cujus copia et praestantia Chavilam paradisi laudat Moses. Mirum, id non vidisse interpretes, doctissimos etiam, Huetium, Clericum, qui de Chavila 1 Sam. XV, 7. cogitantes, eique sine teste situm quem volunt adsignantes, Phisonis nomini nescio quas confinxerunt interpretationes Euphratem, Chrysorrhoam, ac nescio quid, facientes.

Lakemacherus, Phisonem audacissima conjectura etymologica in Jordanem mutans, alia non minus audaci חוילה terram Hevaeorum חִוִּי interpretatur, invita grammatica, quae literae ל nomini insertae rationem expedire nequit.

Relando, verisimilius reliquis פִּישׁוֹן *Phasin* facienti (*), Chavila *Colchis* est, quo in nomine reliquias sibi Hebraici חוילה invenisse visus est: auribus quisque judicet!

Phison si Araxes est, (cujus aut sententiae aut conjecturae infra rationem reddemus) Cyro mixtus in Caspium mare influens, habebimus quidem in ejus vicinia aliquam gentem ac regionem nomini חוילה quodammodo consonam. Ipsum mare Caspium Russis *Chwa-*

lins-

(*) in *dissertatione de situ paradisi*.

linskoje More (Chvalinscium mare) dicitur, a populo aliquo antiquo, nec ſatis noto, *Chvaliscorum*, de quo *Gerhardus Fridericus Müller* in commentatione de populis olim Ruſſiam incolentibus (*), p. 305. haec retulit: *de Chwaliſſis, populo a plerisque ad Slavorum proſapiam relato, nihil exteri nos ſcriptores docent, ſed ſoli Ruſſici, ipſi quoque raro illorum mentionem facientes. Ad Wolgam proxime a Caspio mari feruntur habitaſſe. Nomen eorum derivatur a* CHWALA, *ejusdem cum SLAWA ſignificationis, cui forte etymologiae debetur, quod Slavicae eos originis perhibent. Caspium ab illis mare Gualinskoe et Chwalinskoe More dictum.*

Sed et haec concidunt, ſi Phiſon Nymphaeus eſt, urbem cognominem Faiſun habens, quam in d'Anvillii tabula Euphratis et Tigridis invenies ſub long. 58. lat. 38 $\frac{1}{6}$. Sitne ad illum aliqua Chavila ignoramus, eſt enim haec tota circa fontes Euphratis Tigridisque regio nobis prope incognita, quod itineratorum eam nullus adiit.

Pro חול Geneſ. X, 23. textus Samaritanus חויל habet: haecne eadem quae Chavila ad Phiſonem? Egregie ſane filum nos orationis ad eam quam vix dum aut indicavi aut potius ſuſpicatus ſum deduceret, וחויל וגתר ומש: ſume tabulas Aſiae et quaere Nymphaeum fluvium, ad quem paradiſi Chavila, ab eo perge verſus Auſtrum et Orientem, ad Centritem; ab hoc ad Máſios montes; uno omnia ordine ac ſerie habebis.

חוף *littus*, Geneſ. XLIX, 13. Deut. I, 7. Joſ. IX, 1. Jud. V, 17. Jerem. XLVII, 7. Ezech. XXV, 16.

In vulgatis editionibus ubique plene חוף legitur, ad med. rad. Vau quieſc. referendum, in Deuteronomio tamen ſine Vau חף undecim,

(*) Typis deſcripta eſt in *Büſchingii Magazin für die neue Hiſtorie und Geographie* T. XVI. p. 287–348.

cim, in Josua septem codices habent, quod possit et radicis חפף esse. חרף, quod unus in Jeremia codex habet, synonymum, vide suo loco. Magno consensu, male a recentioribus destituti, veteres omnes, *litus*, intellexerunt,

LXX Genes. 49. παράλιος κατοικήσει, in Deut. Jos. Jud. Ez. παραλία *maritima regio*; inque Jerem. παραθαλάσσια.

Syrus et Chaldaeus ubique, ܣܦܪ et סְפַר.

Omnes pentateuchi interpretes Arabici, ساحل vel سواحل *litus*, sic et in Jos. Jerem. Ezechiele: alio synonymo usus libri Judicum interpres, ساطي البحر.

Vulg. ubique jam *maritima*, jam *litus*.

In tanto consensu veterum mirari subit, recentiorum plerosque *portum* vertisse: in quo sequuti Judaeos sunt, *litus* et *portum* confundentes. Nempe Raschi ad Genes. 49. *Chaldaeus* ספר (litus) *vertit, Gallice, marge*, (hactenus recte et egregie, sed pergit) *semper inveniebatur Zebulon in loco portus, ad quem merces deportabantur*. Hoc quidem fraudi fuit non recte intelligentibus, ratis, eum חוף portum interpretari: quin et etymon commento addiderunt Abenezra ad Genes. 49. Kimchiusque in lexico, a חפף texit, quod portus naves obtegat; invita sane grammatica, cum plerisque locis nulla varietate lectionis cum Vau חוף scribatur, sed auctoritas Rabbinorum eo valuit, ut et a christianis in lexica falsum reciperetur etymon, ipsumque nomen non ut fas erat sub חוף sed חפף locum sortiretur. *Portus* quidem notio non solum nullo omnino nititur argumento, aut veterum auctoritate, sed et quibusdam locis plane est inepta: Deut. I, 7. Jos. IX, 1. ubi regio aliqua Palaestinae חוף הים dicitur, recte si *litoralia*, male si *portum* interpreteris.

Sed quod plus est, usum addo linguae Arabicae, id unum praemittens, nomen Arabibus et حافة et حفّة scribi, ut חוף et חף Hebrae-

Hebraeis. In Abulfedae Syria p. 77. Gaza sita dicitur علي ساحل البحر ad litus maris, pro quo codex Parisiensis habet, علي حافة البحر: quodque p. 81 de Caesarea in impresso legis علي ضفة البحر in eodem codice Parisiensi est; علي حفة البحر. Habent et lexica حافة *oram*, *marginem*, *ripam*.

Addendum de etymo. Schultensius ad حفّ *fricare* referebat, quod litus mari fluctibusque fricetur, praeieratque quodammodo Abenezra, monens, Thalmudicis esse, fricare, radere, ut לא יחוף ראשו באדמה (*) *Naziraeus non fricabit caput suum pulvere*, et אשה חופפת *femina pectens se*, quod nempe in litore radant vel stringant naves (**). Non repudio, maxime cum et Arabice litoris nomen aliquando حفّة scribi videam: at ex consveta omnium, et unica plerorumque exemplorum lectione חוף plene scriptum, ad radicem חוף referendum erit, duplex etymon offerentem, sive

1) a ܫܦ *lavit*, quod litus mari lavatur.

2) sive a حَافَة *margo*, *ripa*, ut supra monuisse Raschium diximus, Gallice esse, *marge*.

Ambigo utrum praeferam.

Caeterum ut ساحل Arabibus ex litoris nomine adpellativo, proprium fit *Phoenices*, (Abulfedae Syr. p. 13. &c. &c.) sic et Hebraei

(*) Tr. Beza. c. 5. in initio.

(**) Integra verba subjicio, quod utrumque Judaicum etymon conjungunt: ענין כסוי כמו חופה והוא הנמל ונקרא כן לפי שנסתרים בו הספינות מפני הרוחות מלשון חופף עליו כל היום (Deut. XXXIII, 12.) או יהיה ענינו שפת ימים ונקרא כן לפי שגוררין שם הספינות מדברי רזל שאמרו לא יחוף ראשו באדמה אשה חופפת

braei חוף aliquando ut proprium regionis Palaeſtinae litoralis ponunt, Deut. I, 7. Joſ. IX, 1.

חוצות, חוץ *paſcua Nomadum.*

חוצות Pſ. CXLIV, 13. non plateas eſſe poſſe, ſed *paſcua* intelligi *quae greges pererrant*, ex ipſa orationis ſerie manifeſtum, cum de ovibus in millia ac myriadas multiplicatis ſermo ſit. Nec caret ſignificatio veterum auctoritate, quos ſi alicubi hanc ſignificationem perperam loco alieno obtruſiſſe fatear, id tamen certum, eam illis ex uſu linguae aut diſciplina majorum cognitam fuiſſe: Num. XXII, 39. קרית חצות LXX vertunt, πόλεις ἐπαύλεων, *urbes caularum*, pro בחוץ Hoſ. VII, 1. Chaldaeus במדברא habet, *in deſerto*, nempe in quo Nomadum greges errare ſolebant, plane ut Marcus, c. I, 45. componit, ἔξω ἐν ἐϱήμοις τόποις: denique LXX Prov. VII, 24. Syrusque et Arabs Job. XVIII, 15. *deſertum* interpretantur. Una ſupereſt quaeſtio de etymo, gravior hic ac plus momenti faciens, quam plerumque, qui fieri potuerit, ut חוץ hanc paſcuorum in deſerto ſignificationem acceperit. Nec quidem inopia laboramus, ſed copia, duplici ſe etymo offerente:

1) חוץ, *quod foris eſt*, aliquando de iis ponitur, quae extra terram cultam ſunt, i. e. deſertis. Sic manifeſte, Prov. VII, 26. *antequam feciſſet* ארץ וחוצות *terram et quae extra ſunt*, i. e. terram cultam et deſerta, Job. V, 10. *qui dat pluviam ſuper terram, effunditque aquas* על פני חוצות *ſuper deſerta.*

2) חוצות poſſint eſſe *viae gregum publicae*, per quas libere ducuntur. Res apud nos nomine caret, ſed eſt in Aſia, inque ipſa hunc usque in diem Hiſpania. Nempe greges Nomadum ſtabula nunquam ſubeuntes, ſemperque vagi, aeſtatem in montibus degere inter frigora ſolent, hiemem in vallibus, (Hiſpanae exempli cauſſa

aeſta-

aeſtatem Navarram inter et Caſtiliam, hiemem in Andaluſia) quovis grege ſuum iter non habente ſolum, ſed et ita noſcente, ut nonnunquam oves paſtorem incautum deſerant, integrique diei iter praecurrant, cultas autem terras ubi tranſire eas neceſſe eſt, via illis latiſſima inter agros conſitos relicta, quam acrius actae feſtinantius abſolvunt. Vide literas ad Collinſonum datas, in *Gentlemans-Magazine* menſibus Maji ac Junii 1764 (*), aut ſi malis, a me ex illis excerpta, in, *Abhandlung von der Schaafzucht der Morgenländer*, T. I. ſcriptorum miſcellaneorum (vermiſchte Schriften) n. 6. Confer et Geneſ. XIII, 3. Jeſ. XLIX, 9.

Quam ex his praeferam derivationem, aegre dixerim: forte utraque conjungenda, accidit enim nonnunquam, ut ipſi, quibus lingua vernacula eſt, duplex etymon cogitatione conjungant ac complectantur.

Ex hac ſignificatione illuſtrandus mihi videtur locus vexatiſſimus 2 Reg. XX, 34. hac ſententia, *ut ſub patre tuo Syris victoribus licuit, deſerta Israeliticae ditionis cum gregibus pererrare, ita nunc viciſſim permitto, ut paſcualibus deſertis Syriae Israelitae fruantur.* Reliquae certe interpretationes a commentatoribus adlatae, veri perquam diſſimiles. Hucne et referendum Jeſ. XV, 3. בחוצותיו חגרו שק quod certe verti nequit, *in plateis ejus accingunt ſaccum*, quia ſuffixum generis maſculini non ad urbem, ſed ad Moabum referendum: *plateas vero Moabi* quis dixerit? Suntne ergo *paſcua, viae gregum Moabitarum*, an vici? Non liquet!

חור.

(*) Germanice vertit literisque Clarkii de Hiſpania ſubjecit, *Jo. Tobias Köhler*: invenies ergo et in *Edward Clarke Briefe von Spanien, überſetzt von Jo. Tob. Köhler*, pag. 733-766.

חוּר *albus fuit, expalluit* (pudore, conſcientia male facti) Jeſ. XXIX, 23.

De verbi licet ἅπαξ λεγομένου ſignificatione dubitari nequit, cum Arabibus Syrisque *album colorem* denotet. Figurate in Jeſaia ponitur pro, *expalluit*, quo verbo egregie uſus eſt Coccejus, plane ut apud Horatium,

Nil conſcire ſibi, nulla pallescere culpa.

Sola hic vulgata, felicitate latinae linguae non uſa, *erubeſcet*, ſententiae quidem aliqua ſumma ſervata, ſed multo minus eſt, erubeſcere, quam, palleſcere. LXX μεταβαλεῖ quod hic vertendum, *colorem mutabit:* magisque paraphraſtice Syrus, ܢܒܗܬܘܢ *pudeſient*, Theodot. ἐντραπήσονται.

Caeterum verbum, albedinis ſignificatione acceptum, cum ſuis derivatis per ح (*Hha*) adpellandum, ut ex Arabico حار pro حور *candida fuit*, (veſtis) حَوَّرَ *candidum nitidumque effecit*, اِحْوَرَّ *albicavit*, حَوَرٌ *populus alba*, حُوَّارَى *panis albus*, liquet.

חוֹר *foramen, ſpelunca ſubterranea.*

Literis eadem praecedenti, ſed earum adpellatione (per خ Cha) plane diverſa radix, alia omnia ſignificans, ſub Arabico خار pro خور quaerenda, ſub quo reperies خَوْر *depreſſa planiorque terra inter duos montes, ſinus maris, oſtium fluminis* (a flexu et concavitate) forte et, ſpecus ſubterranea, unde verbum in decima اِسْتَخَار *in antro obſedit hyaenam, antrum ei obſtruxit*, خَوْرَان *podex*, quaſi diceres, *foramen.* Hebraeis quidem ſatis frequens, maxime de ſpecubus ſubterraneis uſitatum, in quibus troglodytae, profugi, latrones habitabant, unde חֹרִי *troglodytes.* Male video nonnullos, (ut Stockium) ad radicem חרר retuliſſe.

Prae-

Praeter ea loca, ex quibus citari in concordantiis solet, occurrere mihi videtur, sed aliis animandum vocalibus, Jes. XLII, 22. הָפֵּחַ בַּחוּרִים *illaqueatus est in foveis*, talibus nempe, in quibus lupi, leones, aliaeque bestiae rapaces capi solent. Biblioth. Or. T. XIV. adpend. p. 139.

חֹרִי *Horita, Troglodytes.*

Nomen proprium populi, qui ante Edomitas in Seiritide habitavit, in specubus ille quidem subterraneis. Genes. XXXVI, 20–30. Deuteron. II, 12. 22. Copiosius de illo egi in *commentatione de troglodytis Seiritis*, quae in *syntagmate commentationum* T. I. p. 193–209. typis descripta est. Dictorum summa, populum esse Cananiticum, ut ex comparatione eorum quae de uxoribus Esavi Genes. XXVI, 34. et XXXVI. narrantur, liquet; duae enim erant Cananiticae, una Ismaelitica; esse et, ubi errore librariorum חוי cum חרי permutetur, Genes. XXXVI, 2. XXXIV, 2. Sed haec jam non excerpere lubet, ab his, qui volunt, illa in commentatione notisque ad biblia germanice versa legenda.

חַוְרָן *Auranitis*, Ezech. XLVII, 16. 18.

Regionem esse ad Austrum Damasci, Arabibus حَوْرَان dictam, ex Golio notum, sumtumque a Relando p. 107. Palaestinae, atque Joanne Simonis p. 326. onomastici, quos vide. Unum, quo postea utar, ex Relando excerpo, Auranitidis eundem situm videri, qui Ituraeae. Αὐρανῖτις et Ὠρανῖτις a LXX vocatur. Jam ad ea venio quae his addenda.

Habet et regionis nomen Abulfeda, in Syria, (sed in codice Parisiensi per O scriptum حُوران ut et a Graecis Ὠρανῖτις scribi monui) cui urbes accenset *Bosram* (بصري) p. 50 et 99 editionis Köh-

leria-

lerianae, *Zoro* (زرع) p. 106: praetereaque ex codice Pariſienſi, urbem *Edrei*, primariam Baſanitidis, de qua pag. 28–30. egimus, his verbis مـن حـوران, *Auranitidis*, ſed quae in Köhleriana editione p. 50. non leguntur, itemque Sarchod (صرخد) ubi poſt ea, quae Köhleriana editio p. 54. habet, *ex praefectura Emeſſae*, addit, مـن حـوران مـن اعـمـال دمـشـق *Auranitidis*, *ex praefectura Damaſci.* Joſephus Abaſſi a me die 18 Martii 1768 interrogatus, noſſetne حـوران (his ei literis nomen ſcribebam, non adpellabam, nec quidquam de ſitu ſuppeditabam) deſertum dicebat eſſe haud procul Damaſco, (un deſert près de Damasc). Et hoc Ituraeae Trachonitidique, ut eam poſtea ex Joſepho deſcribam, egregie aptum. In d'Anvillii Aſia, ſive adeo, Euphrate et Tigride, ſatis recte poſitam Auranitidem invenies ſub longit. 54–55. latit. 33.

De etymo non bene conjeciſſe videtur Simonis, ab *albedine* dictam ob *albas nives* putans. Libanus nivalis omnino, ubi Jordanem fundit, indeque *mons nivis* dictus: Baſan multo humilior. Mihi veriſimilius a חור ſpecubus ſubterraneis nomen ductum, vertendumque, *Troglodytica*, talis enim Ituraea. Strabo libr. XVI. p. 1096. 1097. (al. 756.) Ἔπειτα πρὸς τὰ Ἀράβων μέρη καὶ Ἰτουραίων ἀναμὶξ, ὄρη δύσβατα, ἐν οἷς καὶ σπήλαια βαθύστομα, ὧν ἓν καὶ τετρακισχιλίους ἀνθρώπους δέξασθαι δυνάμενον ἐν καταδρομαῖς, αἳ τοῖς Δαμασκηνοῖς γίνονται πολλαχόθεν. *Poſt* (Trachonas) *ubi Arabes et Ituraei habitant*, *montes ſunt difficiles*, *patentiſſimas ſpeluncas habentes*, *quarum una quatuor millia hominum capere poteſt*, *cum incurſiones in Damaſcenos fiunt.* Easdem ſpecus copioſius etiam deſcripſit, citatus jam ad hunc locum a Caſaubono, Joſephus Ant. XV, 10, 1. ipſum Auranitidis nomen ponens (Βατανααία σὺν Τραχωνίτιδι, καὶ Αὐρανῖτις) ac de latronibus has regiones infeſtantibus loquens. Οὔτε γὰρ

γὰρ πόλις αὐτοῖς, οὔτε κτῆσις ἀγρῶν ὑπῆρχε, ὑποφυγαὶ δὲ κατὰ τῆς γῆς καὶ σπήλαια, καὶ κοινὴ μετὰ τῶν βοσκημάτων δίαιτα. — — Αἱ γε μην εἴσοδοι στεναὶ, καὶ καθ᾽ ἕνα παρερχομένων, τὰ δὲ ἔνδον ἀπίστως μεγάλα, καὶ πρὸς εὐρυχωρίαν ἐξειργασμένα. — — Πέτρα τὸ σύμπαν σκληρὰ, καὶ δύσοδος, εἰ μὴ τρίβῳ χρῷτό τις ἐξ ὁδηγίας, οὐδὲ γὰρ αὗται κατ᾽ ὀρθὸν, ἀλλὰ πολλὰς ἕλικας ἐξελίττονται. Nec enim urbs erat illis, nec agri possessio, sed receptacula subterranea et speluncae, et victus cum pecoribus communis. — — Aditus angusti, ut non plures quam singuli transire possint, at quae intus, incredibili magnitudine, arte etiam naturam adjuvante in majus excavata. — Haec omnia rupes dura, itaque difficilis, nisi ductor viam monstret, nec enim rectae sunt sed perquam flexuosae semitae.

Aliter plane Golius in notis ad Alferganum p. 133. *eam provinciam, in qua sita Tiberia,* حوران *Arabibus vocari*, tradens, *hancque esse Ezechielis et Josephi* Αὐρανῖτιν, et Guilielmo Tyrio *Auranitin*. Displicuit haec Auranitis Relando, licet fateatur, eam a Guilielmo Tyrio hoc nomine vocari, ac certe per situm locorum placere nemini potest Ezechielem legenti, aut Josephum Ant. XVII, 11, 4. de Bello Jud. I, 20, 4. II, 17, 4. semper Auranitidem, Batanaeae et Trachonitidi jungentem: ut mirum sit, talia effundi a magno Golio potuisse. At vero quae de Arabico regionis nomine حوران Golius habet, plane sine teste scripsit, suo ipse lexico Arabico p. 664. contrarius. Guilielmus quidem Tyrius *Auranitidem* vocat, sed inde non consequitur, ut nomen Arabice حوران scribendum sit, quid enim si potius غوران? Certe غَوْر adpellative *vallis*, nomen est *vallis Jordanensis, quae a mari mortuo ad lacum Tiberiae extenditur.* Vide 2 Reg. XXV, 5. ubi pro ערבות ירדן ponitur, itemque Ezech. XLVII, 18. 19. ubi Φοινίκων, *palmetum Hierichuntinum* ab Arabe الغور redditur.

חֻוּרָן cognomen Eleazari 1 Mac. II, 5.

Eleazarum, ex Matthathiae filiis quartum, cognomen a factis Αὔαραν, vel ut Josephus scribit Αὐρὰν, accepisse, 1 Macc. II, 5. et in Josephi Ant. XII, 6, 1. legimus. Mirum, quas etymologias confinxerint eruditi, de uno, quod ante omnia quaerendum erat, non quaerentes, quibus literis nomen Hebraicum scriptum fuerit. Facile quidem hoc et certum inventu, cum versionem habeamus Syriacam ex ipso textu Hebraico hujus libri factam, quae ܚܘܪܢ scribit, seu potius describit: sed de ea non cogitaverant. Horum ergo lusus, ne relatu quidem dignos, missos faciamus, ac de nomine, ut Hebraice scriptum erat, חֻוּרָן quaeramus.

Meminerimus ex pag. 692. خُوْرَان *foramen*, Arabibus *podicem* dici, maxime *brutorum*: hinc verbum denominativum خَوَرَ, Golio interprete, *in podice, vel circa eum, confodit feram aut jumentum*. Nomen ergo accepit Eleazarus a facto nobilissimo et ultimo, 1 Macc. VI, 43-46. relato: quod elephantem, cui regem putabat insidere, subiit, per media ruens armatorum agmina, eumque, in ventre vulnerabilem, confodit, corruentis belluae onere oppressus ac mortuus.

Docta, artificiosa, sed falsa si cupis, inspice Bielii lexicon pag. 1 sub Αβαρά.

חֹרִי (סַל) *canistrum foraminosi operis* Genes. XL, 16.

חֹרִי ex ea certe, qua Genes. XL, 16. ponitur, significatione, *ἅπαξ λεγόμενον*, in impressis nostris Hebraicis, itemque in textu Samaritano sine Vau scribi solet, plene tamen חורי undecim habent codices Kennicottiani, in quorum uno corrector Vau delevit. Interpretationis magna divergia, et valde ancipitia, his ad ipsa canistra eorumque formam referentibus, illis ad opificia pistoria, quae canistris continebantur.

1) Ad

1) Ad canistrorum contentum, opus pistorium si referas, mihi quidem verisimillimum videtur, *panes esse calidos*, in fovea coctos, sive, ad חור *foramen, foveam*, referas, sive ad חרר *ussit.* Vide Buxtorfii lexicon Thalmudicum p. 835. 836. חֲרָר *placenta, torta super prunas. Baal Aruch scribit, faciunt foramen vel cavitatem in terra, et calefaciunt eam igne, coquuntque in ea panem, qui vocatur* חררא, *a* חור *seu cavitate in qua coctus est.* Certum, Arabes ita panem coquere, significationisque vocabuli apud Rabbinos exempla indubia subjunxit Buxtorfius. Anceps tamen et fluctuans etymon. A חור, *foramine*, si derives, obstare videtur, primo, quod ejusmodi panes Hebraeis עגות dicuntur, ut vix opus futurum fuisset Mosi, novo illos et ἅπαξ λεγομένῳ nomine vocare, deinde, quod haec in deserto quidem pani subcinericio coquendo effodiuntur foramina, non vero a coquo magni regis in regia. Ergo si Thalmudicum חררא nostro חרי conferendum, malim ad חרר *ussit* referre, et *panes calidos* interpretari, ut coqui Gallorum in plateis exclamant, *petits pâtés pour brûler les dents.* Sic Thargum Hierosolymitanum ריפתא קקבטון. Vide Buxtorfii lex. p. 2107.

Jam repudians alios indico, qui de coctili accipientes canistrique contento, minus bene rem egisse videntur.

1) canistra *farinae* habet Vulgata. Alii meliorem et candidissimam farinam nominant, ut LXX. χονδριτῶν, quo de vocabulo vide Bielii lexicon, Aquila γύρεως i. e. *tritici purissimi.*

2) Proximi ab his, qui de *albis ex candidissima farina panibus* cogitarunt, Maurus بيوض *candidorum*, Jonathan, פִּתָּא נְקִיָא *panis puri*, harmonicoque usi vocabulo, Syrus ܚܘܪܐ, Saadias, حوارى.

Sed hoc totum genus explicationis, nec ea quam reliquis praetuleram ſententia excepta, abdicandum reor, quod, cum tria caniſtra capiti impoſita geſtaret piſtor, in ſummo modo omne opus piſtoris, cibus Pharaonis, fuiſſe dicitur: ergo tria caniſtra ab eduliis, quae continebant, non potuerunt סלי חרי dici.

II) Ergo jam magis ad aliud deduci me aut excludi video explicationis genus, חרי ad ipſa caniſtra referens, *caniſtra foraminoſi operis*, Germanice diceres, *Körbe von durchbrochener Arbeit.* Quod ſi vel nemo praeiviſſet, certum haberem: praeiviſſe tamen videntur,

1) Onkelos, דְחִירוּ *foraminum:* quamquam hunc video ab aliis aliter intelligi, jam *panes albos*, jam *perforatos* ex חירן efficientibus.

2) Symmachus, τρία κανᾶ βαΐνα *tria caniſtra ex frondibus*, a βάϊον *ramus*. Sic et interpres Perſicus.

3) Raſchi ad hunc locum: *caniſtra virgultorum, quae plena ſunt foraminibus, cujusmodi multa ſunt apud nos, eſt enim mos eorum qui vendunt placentas, eas in caniſtris iſtiusmodi exponere.* Vide Breithauptii adnotationes ad Raſchium latine verſum.

Hoc, ut dixi, praefero, nec vero contendere velim, ex virgultis facta caniſtra, ſed praetulerim, ex argilla artificioſe elaborata, foraminibus per artem et ad decus quoque inſtructa. Imago erant, ſpei, ſi ita liceat dicere, foraminoſae, id vero eſt fallacis, eximie petita a caniſtris piſtorum.

חֹרָי Jeſ. XIX, 9. *tenuis et pellucida textura.*

Cur punctatores alias huic, quam praecedenti vocabulo vocales ſubjecerint, cauſſam nullam video. Mihi quidem a חור *foraminatum opus* ſignificare videtur, ſed texturae artificium, quales ſunt pellucidae veſtes, ſubtilibus filis ita nexis, ut aliqua foramina relinquantur. Multae

tae earum species, quarum aliquam hic definire audax. In rei summa consentiunt, Vulg. *subtilia*, recentiorum plerique, *reticula*, quod, docte disputans, de *Conopeis* accepit Clericus, hic relegendus. — — Alii, sed id minus placet, ad *candorem* retulerunt, candidiorem byssum intelligentes, praeiveruntque LXX βύσσον. Non equidem nego, byssinum opus fuisse, sed ut a reliquis eadem orationis serie distingui possit, malim a foraminoso et reticulato opere, quam a candore dici.

Male Simonis holosericum intellexit, collato Arabico حَرِير, sed quod sine dubio recentius: nec enim antiqua Arabia, nec Aegyptus Jesaiae tempore holoserica habuit. Justiniano imperante nondum in toto quam late patet orbe Romano, ergo nec in Aegypto, holoserica, sed ex Persia advehebantur. Vide omnino Svidam sub Σηρικὸν, aut, quem excerpsit, Procopium. Caeterum cum seriore aetate Arabibus holosericum innotescerent, حَرِير i. e. *nobile* vocarunt, sed id nihil ad Jesaiam, qui nec rem nec vocabulum rei noverat.

חוש et חיש, *festinare*, *fugere*, *timere*, *pudefieri*.

Conjungo haec verba, quod alicubi, ut in Hiphil, aegre distingui possunt: lingua Syriaca non habet, at Arabia decem minimum radicibus utitur, حوس, حوش, حيس, حيش, خوس, خوّس, خيس, خيش, حوت, خوت, quas Hebraeus scribendo distinguere non potest, variae partim, partim et cognatae significationis. Non mirum nec omnia Hebraici codicis loca in quibus חוש et חיש occurrit, ad unam eandemque redigi notionem posse.

1) *Festinandi* significatio, quam lexica habent, dubio caret. Ad eam nos plerisque in locis filum deducit orationis, praeiveruntque veteres. Superesse videtur in Arabico verbo plus quam uno, حاش pro حوش *concitavit*, *in retia egit praedam*, *propulit camelos*, quod

eſt, tranſitive, feſtinare fecit, خَبُّش العمل *qui cito conficit opus*, ad literam, *feſtinus operis*.

2) Haec quidem *feſtinandi* ſignificatio, niſi aliquid addideris, non ſatisfacere videtur loco Jeſaiae XXVIII, 16. המאמין לא יחיש licet ita Aqu. Symmachus, Theodotion, exque illis Vulgata expreſſerint, ὁ πιστεύων οὐ σπεύσει, *qui crediderit non feſtinet:* quod enim in commentario, optimus ſuae verſionis interpres, habet Hieronymus, *non feſtinet, ne videlicet tardus ei Chriſti videatur adventus, ſi enim tardaverit, juxta Abacuc, nemo deſperet*, cui probabitur, literalem ſenſum non θεολογούμενα quaerenti? At vero poſſit *feſtinare* poni, ſive de *fuga*, etiam citata illa, qua, pericula dum fugimus, in pericula incidimus, ut Arabibus حاش pro حوس eſt, *fugare*, (tranſitive) et, quod jam ante attulimus, حاش pro حوش *concitare feras et in retia agere:* ſive generatim de *timore*, ut حاش pro حيش *expavit, territus fuit, trepidavit eundo*, حَيْشان *trepidus eundo.* Sic quidem Jeſaiae verba intellexerim: *credens non timebit!* praeeuntibus, Syro, ܠܐ ܢܕܚܠ *non timebit*, et Chaldaeo לא יזדעזעון *non commovebuntur terrore.*

3) At eodem loco LXX, οὐ μὴ καταισχυνθῇ *pudore non ſuffundetur.* Suſpicabatur olim Cappellus, eos יבוש legiſſe, ſed reſpondit Pocokius, in notis miſcellaneis ad portam Moſis c. I. p. 11. Arabibus radices حوش et حيش tres habere ſignificationes, *feſtinare, timere*, et استحيا *pudore ſuffundi.* Id quidem ſimpliciter creditum Pocokio a recentioribus, licet in Goliano lexico deſideretur: nec tamen ideo ſignificatio repudianda, quam et Caſtellus col. 1176 ſub حوش ex Giggeo habet, حيشة *erubeſcentia verecundia.* Utinam quibus ad lexica manuſcripta Arabum acceſſus, ipſa nobis eorum verba dent,

ex-

ex quibus Giggeus ſua hauſit. Poſſit ſane pudor ſive a timore dici, ſive a foetore, de quo ſtatim videbimus.

4) Difficilior reliquis omnibus, et forte in mendo cubans, locus Jobi XX, 2. ובעבור חושי בי, quid enim hoc, illo orationis filo, *et propter feſtinare me?* Schmidius *impulſum urgentiſſimum* intelligebat *ſpiritus ſancti*, Sopharum non jam modo injuſtum faciens, ſed et fanaticum ac falſum prophetam, ſpiritus impulſum mentientem, cum ira in vecordiam ageretur: Schultenſius, *et propterea quod promtitudo mea in me eſt*, quae interpretatio ipſa opus interpretatione habet. Quid ſi hic خاس Arabicum pro خوس et خبس *foetuit*, in ſubſidium voces, unde خَبْس *delictum*, dicunt, tanquam foetorem? Sic cum ſequente verſu conſtructum habebis: *num, quia in me ipſo delictum eſt, verba exprobrantis audio.* Tentavi comma difficilius utcunque potui, moleſte tamen aliquid in his redundat, *delictum* MEUM *in* ME *eſt.* Aliam optarem lectionem, ſed fruſtra quaeſivi. Veteres nihil habent, quod ſatisfaciat, LXX οὐχὶ συνίετε μᾶλλον ἢ καὶ ἐγώ, quod unde? Vulg. *mens in diverſa rapitur*, a feſtinatione, ſed neglecto ובעבור.

חות Hab. II, 17.

Ad hanc radicem, non ad חתת referendum יְחִיתַן Hab. II, 17. ſi vera ſcriptio per Jod. Habent verbum حوت Arabes, *circumvolitare capiti*, *imminere*, *inſidiari*, ponuntque de avibus rapacibus: Syris quoque ܚܳܬ *ex alto deſcendit.* Significatio loco ſatis apta, aptior ſane, quam terrendi contra praecepta grammatica huc translata: *vis Libano illata obruet te*, *et vaſtatio jumentorum tuo capiti imminebit.* Sed dubia lectio ac ſuſpecta, de qua vide ſcripta T. XXIII. bibl. Or. p. 178. 179.

חָזֶה et חָזוּת Jeſ. XXVIII, 14. 18. *pactum.*

Sub radice חזה de hoc nomine ago, non quaſi cenſeam, ad eam referendum eſſe, ſed quod hic quaeri ſolet. Suſpicor et puncta in חֹזֶה male poſita, cum enim ex tota orationis ſerie manifeſtum, plane ſynonyma eſſe, quid erat, cur prius maſculine et participialiter (*videntem*) efferrent, qui puncta adjecerunt? quidni potius ſequenti חָזוּת analoge, חָזֶה? Neque illis accedere ullo modo poſſum, qui חֹזֶה videntem, *prophetam* interpretantur, et חזות *viſionem*: nec enim ſolum parallelismus alio nos deducit praecedentis membri, ſed et dura phraſis, *facere prophetam*, quaſi facere eum poſſe vel ſuperſtitioſi ſibi ac creduli videantur, duriorque adhuc, facere prophetam CUM (עם) *inferno*. Quod hic forte aliqui reſpondebunt, *cum* eſſe *contra*, difficultatem non expedit: עם *contra* eſt, ubi eum cum verbo contrarietatis conſtruitur, plane ut latini dicunt *CUM aliquo bellum gerere*, neutiquam, alias atque univerſim.

Parallelismus, quem dixi, praecedentis membri, eo nos deducit, ut חזה idem fere ſit quod ברית, foedus, *pactum*, aut *amicitia*, nec quod contra dici poſſit, reperio. Sic quidem, incertum utrum duce filo orationis, an ſcientia aliqua philologiae Orientalis nobis negata? verterunt LXX. *ἐποιήσαμεν διαθήκην μετὰ τοῦ ᾅδου, καὶ μετὰ τοῦ θανάτου συνθήκας*, (*pactum*) Chald. עֲבַדְנָא שְׁלָמָא *fecimus pacem*, Vulg. *fecimus pactum.* Solus Syrus harmonico uſus eſt vocabulo, ܚܙܘܐ, quod forte omnia expedire poſſet, ſi de ejus ſignificatione liqueret: at ex alio nullo loco praeter noſtrum (*) citatur a Caſtello, colloquiumque vertitur, ſola Gabrielis Sionitae, quae nulla omnino eſt, auctoritate. Fateor, poſſe colloquium ſignificare, a ܚܙܐ videre, i. e. *viſita-*

(*) Occurrit quidem et aliis locis a Caſtello praetermiſſis, ut 1 Reg. VII, 29. Job. XXXVIII, 25. ſed alia, quae nihil ad nos, notione.

visitare adire aliquem honoris caussa, ܡܣܥܪܢܐ *qui alterum invisit*, ܡܣܥܪܢܘܬܐ *actus invisendi amicos*, sed praeter hoc solum, *potuisse significare*, nihil habemus, non usum linguae Syriacae.

Rem plane dubiam dices, in nullam partem examine vergente, nisi PACTI aliquod etymon adferre veri non dissimile detur. Id vero, nisi fallor, lingua offert Arabica, sive sub خون sive sub أخذ. خون quidem, in conjugatione sexta اخاون est, *fidejussit*, *pactum foedusque iniit*, forte, ut suspicari se Golio adscripsit pater meus, ab أخذ *prehendit*, est enim أخذ ميثاق *fecit*, *accepit pactum*, quod prehensa fieri manu solebat.

Haec quidem, si non certa, tamen verisimilia. In Hexaplis Origenis quod legitur anonymi, καταφυγή perfugium, manifeste ex confusione diversorum verborum חזה *vidit*, et חסה *confugit*, natum, nec constructioni aptum, *perfugium* enim a *Tartaris* recte dixeris, non, *cum Tartaris*.

חָזוּת Dan. VIII, 5. 8.

Nec hoc nomen puto ad radicem חזה referendum, licet sub ea quaesitum iri praevideam. קֶרֶן חָזוּת reddunt fere *cornu spectabile*, voluntque, חָזוּת v. 8. idem significare, subintellecto קַרְנֵי, duriuscula quidem constructione, sed quid non in ellipsibus fingendis audent interpretes? LXX quidem v. 5. θεωρητὸς habent, sed addito signo ※ quod indicat, ex alia versione translatum, aut ab Origene ex Hebraico ita versum esse. Theodotion in v. 5. omittit, habet tamen Arabs, ex eo vertere Danielem solitus, قرن يُرَى *cornu quod videtur*; in versu octavo, simpliciter, κέρατα: sic et Vulgata v. 5. *cornu insigne*, v. 8. *cornua*. Syrus utrobique ܩܪܢܐ ܡܬܚܙܝܢܐ, *cornu quod videbatur*, i. e. *spectabile*.

Mihi quidem vel in tanto consensu suspecta phrasis, suspectiorque versus 8. constructio, ותעלינה חזות ארבע *succreverunt spectabilis quatuor*. Quid si potius ad radicem חזז referens, Ar. خَزَّ *transfixit*, et חָזוּת, inque v. 8. חָזוֹת scriptum, vertas, v. 5. *cornu acutum*, et v. 8. *quatuor acumina*, i. e. *quatuor cornua perquam acuta, et omnia transfigentia?*

חִזָּיוֹן Jes. XXII, 1. *Moria*, *sed per opprobrium*.

גיא חִזָּיוֹן *vallem Chizzajon*, valles esse Hierosolymae subjectas, omnes fere consentiunt, unde autem nomen acceperint, et quid illud significet, inter eos non constat. Nomen ipsum non nisi semel, sed aliis vocalibus scriptum, חִזָּיוֹן occurrit, 2 Sam. VII, 17. quarum mihi quidem nulla videtur ratio habenda, cum non pareat, quam ob caussam aliae hic Masorethis aliae illic placuerint. חזיון cum visio sit, alii *vallem vaticiniorum* intellexerunt, *vallem in qua castra Assyriorum spectabantur* Waehnerus in *diss. de valle spectaculorum*, aliorum quoque enarrans sententias. In his quidem omnibus parum liquidi, nec satis adparet, cur tam insolito nomine atque aenigmatico usus sit Jesaias.

Mihi, si modeste conjecturam promere liceat, veri non dissimilem, חזיון *visio*, versio videtur nominis proprii מריה monti Moriae subjectisque vallibus ideo inditi, quod ibi Deus olim Abrahamo et Davidi adparuit. Lege Genes. XXII, 1. 14. et 2 Paral. III, 1. ubi אשר נראה לדויד אביהו *quo in loco adparuit Davidi patri ejus*, illustrando nomini addi videtur. Certe Samaritani terram Moria-Genes. XXII, 1. ארעה הזיתה vocant, nostro loco convenientissime, ut recte dixeris, vallem Moriae monti subjectam non Judaico Jesaiam, sed Samaritano nomine vocare. Samaritanum si est, aliquid opprobrii habere videbitur, ut plura alia, מכתש pro מקדש, &c. atque et a propheta in ignominiam poni. Nempe חזיון ambiguum: *visionem* Dei significare potest, a חזה vidit, sed et *pudorem*, i. e. idola turpia illa in valle, huma-

humanis adeo sacrificiis, culta, a خزي *pudore, ignominia adfecit, dedecoravit.*

חזיז *telum, fulmen* Job. XXVIII, 26. XXXVIII, 25. Zach. X, 1.

Miror in vocabulo, licet non nisi ter obvio errari a veteribus tantum non omnibus potuisse, ac plane adsentior recentiorum plerisque, *fulmen* intelligentibus, licet de etymo dissentiam. Plerique olim, a Judaeis magistris linguae Arabicae ignaris, Kimchio, aliisque ad radicem חזה referre adsveti, fulmina a *videndo* dici volebant, nomenque esse formae הגיג a הגה: quae quidem ipsa forma commentitia, הגיג enim est a radice הגג. Melius ergo Joh. Henr. Michaelis in notis uberioribus حزّ *secuit*, conferebat, quem et sequutus in lexico Simonis, sed, pro more suo alliterationes et aliena admiscens. Mihi tamen multo adhuc videtur expeditior derivatio a خزّ *transfodit, confixit*, ut proprie sit, *telum*, deinde, *telum fulminis.*

Quanti faciam veteres, discendi ab illis cupidus, lectorum nemini obscurum esse reor: hic tamen aliquando in exemplo ponendum, ne nimis eorum fidamus auctoritati, esse vocabula de quibus, et nil habuerint praeter conjecturam, et conjectura usi sint infeliciter. Mire inter se discordes, atque adeo idem Jobi interpres, quo in libro bis occurrit vocabulum, ne sibi quidem constans. *Fulmen*, fulmen illud tonans (חזיז קול) et pluvias in Zacharia praecedens, mirum dictu, nullus eorum vidit. Chaldaeum omitto, qui Job. XXVIII. חזיזי retinuit, quid enim eo nomine intellexerit, obscurum: Syrus Job. 28, ܚܙܘܐ ܕܩܠܐ ex eoque Arabs, مناظر الصوت *spectacula fragoris*, idemque c. 39. ܘܗܘܐ ܚܙܘܐ ܘܩܠܐ *et fit spectaculum ac sonus*, pro quo Arabs multo habet lucidius ويكون مطرا وصوتا *fitque pluvia et fragor*, sed vereor, ne felix sit error librarii pro منظر *spe-*

ſtaculum et fragor. Id video, Syrum ad radicem חזה male et contra grammaticam retuliſſe, quid autem *ſpectaculi* nomine intellexerit, non liquet: ſi *fulmen*, melior ille reliquis, et Kimchio, quem infra laudabo, comparandus. Eodem fere redeunt, Oedipoque opus habent, LXX. in Zacharia, *φαντασίας* (ab eodem חזה) vertentes. Hieronymus in commentario: *neſcio quid volentes LXX phantaſias, interpretati ſunt*, (theologicam tamen explicationem ſubjungens) cujus vocis Reuchlino in lexico poenas dedit, qui quidem et Hebraicum et graecum *apparentiam macularum* interpretatur *in varietate nubium tempore pluviae*, Kimchium etiam citans, male! Kimchius enim de fulminibus eminus viſis accipiebat.

Jam ad eos venio interpretes, de quorum ſententia magis liquet:

1) *τίναγμα*, *excuſſionem*, (fragorem credo) LXX habent, Job. 28. ibidemque et c. 38. Aquila ac Symmachus, *κτύπον*, et *ψόφον βροντῆς*, (fragorem) Vulgata Job. 38. *ſonans tonitru.* Merae conjecturae, omnibus orientalium linguarum ſuppetiis deſtitutae.

2) Audacter, atque immemor alia ſibi in Jobi libro placuiſſe, Hieronymus in Zacharia, *nives* vertit, inque commentario adſcripſit: *ut Chriſtus veniat et tribuat nobis rores et nives, pro quibus ſcriptum eſt in Hebraeo AZIZIM.*

3) *procellas* Vulgata Job. 28. habet, Hieronymusque *tempeſtates.*

4) מטרא *pluviam* Chald. Job. 38.

5) ܪܣܤܤܐ *guttas*, Syr. Zach. 10.

6) *ventos* Chald. Zach. 10.

7) Denique Thalmudici, docente in lexico ſuo Kimchio, *nubes.* Receptam nunc fulminis ſignificationem Davidi debemus Kimchio, male, ut ſupra dixi, a Reuchlino intellecto: videtur tamen de ſolo eminus viſo fulmine, cujus tonitru non audimus, ob Zachariae locum cogitaſſe.

gitaſſe. Sic ille in lexico: יש לומר שהם משרש חזה בשקל הגיגי מן הגה ויתכן לפרש שהם אלו שרואה אותם אדם מבהיקין קודם שיבוא הרעם מעט והם שקורין אוילרצרש בלעז *dici poteſt, eſſe a radice* חזה, *formae* הגיג *a* הגה. *Vera ſententia, ita dici* (fulmina) *quae videmus reſplendeſcentia* (in nubibus, quarum peripheriam illuſtrare pulcherrime ſolent) *antequam veniat tonitru, paulo ante, ſuntque, quae Gallice vocantur* – – (hanc vocem Gallicam non intelligo).

מחזנה 2 Paral. XXII, 1.

In maſorethico codice nuſpiam occurrit, at pro למחנה 2 Paral. XXII, 1. LXX Ἀλιμαζονεῖς habent, nomen ignoti populi, ut videantur למחזנה (aut, ſi malis, אלמחזנה ſervato articulo Arabico,) legiſſe, quod cum non intelligerent, nomen ex eo proprium fecerunt. Monuit jam ad h. l. Matthias Frid. Beckius (in notis ad Thargum chronicorum) *ſecundum lexicon Budaeo-Tuſſano-Conſtantinianum graecolatinum* Ἀλιμαζονεῖς *eſſe gentem Arabiae proximam, quam vero alibi non invenerit.* Mihi quidem, modo lectio vera eſſet, adpellative explicari poſſe videtur, et מחזנה idem eſſe quod Arabum مَخْزَن *horreum*, a خَزَن *recondidit*, unde Hiſpani *magazen*, Germani fecerunt *magazin:* bona ſententia, *qui venerunt ad horreum*, nempe, illud diripturi. Nullus tamen codex Kennicottianus adſtipulatur.

Idem nomen Graecum et 2 Paral. XIV, 15. occurrit, ubi nihil in Hebraico legitur וגם אהלי מקנה · · · הכו, *καὶ τὰς σκηνὰς κτήσεων καὶ τοὺς* Ἀλιμαζονεῖς (*) *ἐξέκοψαν:* videntur ergo et hic וגם אהלי מקנה ולמחזנה הכו, legiſſe, *atque etiam tentoria paſtoritia, et horrea*, ſeu forte, *reconditos ſub terra* more Arabum *alimentorum the-*

(*) Alii codices Ἀμαζονεῖς habent, omiſſa a librariis una nominis ignoti et barbari ſyllaba.

thesauros percusserunt. Aliter conjiciebat Beckius, sic exprimi Hebr. אהלי הצאן, primo Ἀλὶ Ἀζόν, ex quo Ἀλιμαζονεῖς ortum sit: quod mihi quidem haud verisimile. Itane fuerit stupidus interpres Graecus, ut notissima vocabula אהלי הצאן non intelligeret? Adde, nec אהלי הצאן in Hebraicis exstare, ne ex varia quidem lectione, nec scribi potuisse, cum jam praecedat idem significans, אהלי מקנה, nec צאן quemquam, ζόν, sed ζῶν, scripturum fuisse. At מחונה linguae Arabicae imperitus pro nomine proprio habere potuit.

חוק, *ligavit*, *accinxit*, &c.

Notissima ac certissima *roboris et fortitudinis* notio, in omnis lexicis regnans, jure illa suo, nisi quod plerique eam primam crediderunt: qui quidem in quaestione etymologica error ferri posset, nisi tenebras nonnullis locis offunderet, in quibus verbum ex prima ligandi significatione ponitur.

Nempe Arabibus, (ut recte jam monuit Simonis) حزق est, *ligavit*, *fune constrinxit*, Syris ܚܙܩ magis etiam determinate, *accinxit se*, unde et ܚܘܙܩܐ *cingulum* vocant, quamquam et latius poni potest, ut ܗܘ ܚܙܩ ܢܦܫܗ *constrinxit se* de suspendio, Matth. XXVII, 4. (ἀπήγξατο). Transferunt deinde Syri ad profectionem, ܚܙܩ *profectus est*, proprie, *accinxit se*.

Prima hac et propria significatione sine dubio occurrit Jes. XXII, 21. *cingulo tuo* אחזקנו *cingam illum*, plane pro more Syrorum: ubi male Vulgata, *cingulo* tuo *confirmabo illum.* Eodem et refero Jes. XXVIII, 22. פן יחזקו מוסריכם ubi Vulgata, *ne constringantur vincula vestra*, i. e. ne arctius etiam compedibus ac vinculis constringamini. (Quo quidem in loco si מוסריכם malis cum aliis poenas interpretari, a יסר, vel sic tamen adstringendi notio locum tuebitur, pro, *ne magis fiant dolorificae*, solent enim, ut jam supra sub חבל monitum,

tum, dolores a funibus dici, quibus adstringuntur equuleo impositi).

Ab hac prima notione vulgatissima roboris fluxit, quod ipsum solent Orientales a ligando dicere, etymo illis gentibus manifesto, quae brachia nuda exserunt: nervos funiculorum similes in brachio robusti vides, ex quibus primo statim adspectu vim brachii intelligis. Sic et Genes. XXX, 41. מְקֻשָּׁרוֹת *ligatae* oves debilioribus opponuntur, ubi, quin robustae sint nemo dubitat.

Ex prima ligandi notione illustranda et constructio notissima, החזיק בו *adprehendit illum*, in qua rationem ב praefixi reddituri lexicographi adhaeserunt. Plena constructio, cujus exemplum videbis Genes. XXI, 18. est, החזיק ידו בו *circumligavit manum suam illi:* quam ellipsin ab earum nimio nonnunquam conquisitore, Walthero, editoribusque libri ejus de ellipsibus, omissam esse, cum exemplo indubio nitatur, mirum.

Notanda et phrasis commentatoribus obscura ac male intellecta, *prehendere asylum*, pro, *confugere ad asylum*, Jes. XXVII, 5. *si quis* יחזק במעזי, vel, ut XXVII codices Kennicottiani habent במעוזי, *prehendat asylum meum.* Eadem Syri phrasi dicunt, ܡܚܝܕ ܒܡܥܘܫܐ *prehensio asyli*, pro, *perfugium.* Quo quidem in loco interpretibus, de *fortalitio* cogitantibus, ut et puncta per Dagesch בְּמָעֻזִּי habent, asylique significationem ignorantibus, quae sint obortae tenebrae, eos evolvens videbis.

Deut. XII, 23. רק חֲזַק לבלתי אכל הדם malim vertere, *prae omnibus obstringe te ad non comedendum sanguinem*, quam, ut plerique, *fortis esto ad non comedendum sanguinem*, qua in abstinentia vix video, qui locus esse fortitudini possit. At verba *ligandi* proprie de abstinentia poni solent, ut אָסַר אִסָּר, *obstrinxit se voto abstinendi ab aliqua re*, vino &c.

חָזְקַת יָד Jeſ. VIII, 12. *exſtaſis.*

Conſtructio non niſi ſemel obvia, cujus de ſententia conjecturam potius tentamus, quam aliquid certi ſtatuimus. Ne lectio quidem certa, pro בחזקת יד enim XI codices Kennicottiani, et editio Stephani in fol. כחזקת יד offerunt. Ut eos omittam, qui nihil frugi habent, Vulg. *ſicut in manu valida erudivit me*, LXX τῇ ἰσχυρᾷ χειρὶ ἀπειθοῦσι, hae ſunt, quas inter ambigi poſſit ſententiae:

1) quam caeteris praetulerim, Chaldaei, *in exſtaſi* (במתקף נבואתא *in impetu prophetico*). Nempe manus Jehovae eſſe dicitur ſuper prophetam in exſtaſin raptum, Ezech. I, 3. III, 14.

2) Syrus, ܐܝܟ ܕܐܚܕ ܐܝܕܝ *ac ſi prehenderet manum meam*, et, qui Syrum nunquam legerat, Lutherus, *als faſſete er mich bey der Hand*, ut ſit tanquam manuductio dei, et admonitio.

Ex his quidem in verſione germanica prius praetuli, ſed et

3) tertii venit in mentem, mutatis punctis, בְּחִזְקַת יָד *confirmatione manus*, i. e. animum mihi addens, jubensque non de re publica deſperare.

Nondum liquet, tertium tamen ob ſeriem orationis paulo incipit praeplacere.

חַח, חוֹח, חָח, *aliquid per nares vel maxillas transmiſſum, quo jumenta, leones, crocodili, domantur. Ornamentum hominum, (annulus forte ex naribus pendens).*

Difficillimum vocabulum, atque a lexicographis male tractatum, pro diverſitate ſcriptionis, ſexies, ſepties, octies obvium. Definitionem ejus aliquam, in quam omnes locis inſpectis conſentient, ſupra poſui, ſed antequam ad rem adgredi liceat, de ſcriptione agendum.

1) חח per Patach ſexies occurrit, 2 Reg. XIX, 28. Jeſ. XXXVII, 29. חַחִי Ezech. XIX, 4. 9. בַּחַחִים XXIX, 4. חַחִים (ſed cum aliqua

in

in Kennicottianis codicibus varietate lectionis, חים, et החיים). XXXVIII, 4. חַחִים. Manifeſtum, eos, qui puncta ſubjecerunt, non ad חוֹחַ *ſpinam* retuliſſe (p. 682.) ut recentiorum haud paucis placuit, ſed ad radicem, qua reliquae linguae Orientales, plane ut hoc ab illa derivato nomine, carent, obſoletam חחח.

2) חוֹחַ tamen, cum חח Ezechielis XXIX, 4. ſignificatione idem, utrumque enim crocodili capiendi aut regendi inſtrumentum, Job. XL, 26. (al. 21.) plene per Vau ſcribitur in impreſſis: ſed novem codices Kennicottiani חח ſine Vau habent.

3) חח *ornamentum hominum ex auro* Exod. XXXV, 22. maſorethae per Kamets extulerunt, חָח, male, ut puto, a חַח diſtinguentes, literis eodem.

Diſpertiamur totam quaeſtionem ſecundum triplicem literarum punctorumque orthographiam, non quod ea valde delecter, ſed ne ſumere gratis videar, eam falſam eſſe, et quod qui ante me interpretati ſunt, tribus vocibus tres, aut certe duas ſignificationes dederunt. Id tamen unum praefari liceat, non eos mihi probari, recentiorum fere pleroſque, qui cum חוֹחַ, خَوْخ, (p. 682.) *ſpina*, *pruno ſilveſtri*, collatum, *ſpinam* interpretati ſunt, *ferream* quidem, per nares transactam. Nec illis oppoſuerim maſoretharum auctoritatem pleriſque in locis per Patach ſcribentium, nec, quod unico loco excepto, ipſo tamen variam lectionem habente, ſemper ſine Vau ſcribitur: ſed

1) quod ſpinae prunae ſilveſtris non ſunt ita terribiles, aut magnae, ut comparari illis recte poſſit cuſpis ferrea, per os crocodili trajicienda. Ridiculum prope ſpinarum nomen, ubi de domandis leonibus crocodiliſque ſermo.

2) quod jumenta, cameli, bubali, nunquam cuſpide ſpinae ſimili per nares adacta reguntur, aut regi poſſunt, ſed annulo.

Quod et lexicographi *uncum* vel *hamum* habent, meae ſententiae quidem proximum, non tamen probo: eſt mere conjecturale, nec certe illis locis aptum, ubi jumento regendo, atque adeo leoni, חח injicitur. Bubalos, camelos, quis hamo regat? leonem hamo capiat? Ergo,

I) חַח 2 Reg. XIX, 28. Jeſ. XXXVII, 29. Ezech. XIX, 4. 9. XXIX, 4. XXXVIII, 4.

Inditur in nares jumenti, quod circumagere, quocunque lubuerit, volumus, 2 Reg. 19. Jeſ. 37. itemque, niſi quod ibi maxillae nominantur Ezech. 38. – – leoni Ezech. 19. – – crocodilo Ezech. 29. Deſtituentibus nos reliquis linguis Orientalibus, rei ipſa natura, ſeu potius Aſia, ejusque conſvetudo interroganda, quale hoc domationis inſtrumentum eſſe videatur, veterumque interpretum, ſed eheu diſcordium, auctoritate ſtandum.

Bubalos quidem et camelos annulo per nares perforatas transmiſſo et domare ſolent et regere Arabes aliique vicini populi, cujus eo major in compeſcendo camelo vis eſt, quod in unum alterumque latus loro, qui ex eo pendet, tracto, indocili ac refractario jumento ſpiritus praecluditur, ad quod alludens poeta Arabum Taabbataſcharran (pag. 52. chreſtomathiae noſtrae Arabicae) virum invictum ita deſcribit: *cujus, cum praecluditur naris una, altera ſpirat.* Vide ibi ſcholiaſten Tabrizium. Actus hic, adſtricto annuli loro ſpiritum praecludendi Arabibus كرب dicitur, de quo vide infra ſub כרוב. Bubalum Europaei eodem modo regunt, ut ex imagine didici bubali feri, Norimbergae oſtentati.

De hoc ergo annulo aut ubique, aut certe illis locis cogitaverim, ubi a jumento ferociente, quo nolebat, ducto ac reducto, imago deſumta. Praeivit ex veteribus Symmachus in Jeſaia κρίκον, ibidemque, et in libro regum Hieronymus, *circulum in naribus*, vertens: itemque

rei

rei sine dubio peritissimus Syrus utrobique, ܩܕܫܐ, quod Castello interprete est, *inauris*, *annulus*, *circulus narium*. Sed et alios audiamus, aut prima specie, aut re ipsa diversos.

Re quidem satis concinere videntur, qui *capistrum* vertunt, quo nomine capistrum orientale, intelligendum, maxime ubi de leone aut crocodilo ponitur, quibus nostra capistra nemo aptare ausit. Huc referendi

LXX qui in Jesaia φιμὸν, exque illis Arabs خَزَام, reddiderunt. Est hoc a خَزَمَ *perforavit narium isthmum, et annulum trajecit, eoque obsequentem reddidit camelum.* Nomen ipsum خزام Golius explicat: *annulus ex pilis confectus, (tale capistrum) qui per narium interfinium trajicitur, ut alligetur cameli habena, qua regi possit.*

Iidem Ezech. 19. habent, ἐν κημῷ, exque illis Arabs مِحْكَمَة, quod vocabulum Golius interpretatur: *annulus ferreus, qui ori equino injectus mentum subcingit, capistrum.* Hic quidem capistrum nostrum Europaeum, sed tamen annuli forma.

Syrus Ezech. 29 et 38 ܩܕܫܐ, ibidemque Aquila, χαλινὸς, Vulg. *fraenum.*

Proximi ab his, qui *catenas* vertunt. Sic manifeste Vulgata et Chaldaeus, (שׁרשׁלין) Ezech. 19. (catenas, credo intelligens, quibus leones vinciuntur). Sed et eodem referendum puto שׁירין, quo vocabulo in reliquis locis omnibus usus est Chaldaeus. Dubio caret, שׁירין *catenas* esse, quod ipse fatetur et exemplis comprobat Buxtorfius in lexico Chaldaico p. 2383. monens adeo, catenae junctum quoque orbiculum fuisse, quo jumenta ducebantur: sic jam haec Chaldaei versio tota a meis partibus erit. Et tamen hic ipse, quem cito, Buxtorfius neutiquam mearum est partium, post

ea enim omnia, quae de שׁיר *catena* dixit, loca sejungit Ezechielis Chaldaici, in quibus vox pro חח ponitur, uncumque ibi vertit. Nempe eo usque valebat praejudicata opinio, ut, si quam significationem Hebraico vocabulo dari a magistris didicisses, eandem et vocabulis dares, quae pro eo veteres reddiderant interpretes, quasi vero illi idem sensissent, quod tu, tuique linguae Hebraicae magistri. Soli plane dissentiunt a me LXX libri regum interpretes, qui ἄγκιστρον, *hamum*, verterunt, idque nescio quo fato in lexica nostra fere omnia immigravit. Nihil hujus *hami* reliqui habent interpretes, nihil rei natura, nec enim hamo jumenta reguntur, aut leones sive capiuntur, sive domantur, nihil linguae Orientales suppeditant, ipsi, ut vidimus, LXX reliquis locis omnibus aliter verterunt: ergo tandem aliquando hic ex lexicis versionibusque pereat male admissus hamus. In solo ille, si philologice verus, crocodilo tueri locum potuisset, (de quo deinceps) non in jumentis, non in leonibus.

Ergo illis in locis, ubi a jumento ferociore ducta imago, quod a sessore regitur ac circumagitur, vicerit sane *annulus per nares transmissus*, funi vel catenae alligatus. At quid dicemus de Ezech. 19. ubi leones adducuntur in חחים? Ut ingenue fatear, non prorsus liquet. Ignoro, potuerintne etiam leones hoc modo fraenari ac domari: quod si secus est, alia illi soli capiti significatio invenienda. Duplex quidem ultro se conjectura offert,

1) *circulus seu annulus ferreus ori leonis circumdatus*, quo et a mordendo cohibetur, et duci seu alligari potest.

2) *cavea, qua includi leones solent, exigua fenestra patente*, a خَوْخَة *exigua in medio januae fenestella.*

Prius praetulerim, quod est reliquorum locorum explicationi aptius, in circuli notione manens.

De

De חח crocodilorum quae aut dubito, aut sentio, malim sequenti חֹוחַ servare.

II) חֹוחַ Job. XL, 26. (al. 21.)

Inter plura nominatur instrumenta, quibus, num possit crocodilum capere aut domare, Jobus interrogatur. Novem codices Kennicottiani sine Vau scriptum, חח, exhibent. Meminerimus autem ante omnia, plura hic componi, quibus capere aut domare crocodilum audeatne Jobus, interrogatur: 1) חכה *hamum*, 2) חבל *funem* 3) אגמון *arundinem*, ferream, credo, quae naso inditur 4) חֹוחַ, *qua maxilla perforatur*. Jam

1) crocodilus capi ingenti *hamo ferreo* solet, quem cani mortuo alligant, ut hunc devorans et hamum deglutiat monstrum. Hamum catena ferrea tenent, atque sic crocodilum ex aqua repugnantem non sine periculo extrahunt. Vide Joannis Christophori Wolfii iter Zeilanense p. 124. aut si malis, quae ex eo excerpsi in T. XX. bibliothecae Orientalis p. 140. 141. Hic quidem hamus, haec catena, nihil ad nos, sed ad חכה et חבל pertinent.

2) Ex ejusdem Wolfii itinerario T. II. p. 17. disco, inque bibliothecae Or. T. XXIII. p. 70. excerpsi posse ejusmodi hamum non quidem per nasum et maxillas, sed per molliorem aliquam partem circa finem genarum adigi. Hoc ergo loco, sed quem non satis adcurate atque scientifice Wolfius descripsit, possit et aliud adigi ferrum, אגמון ab arundinis similitudine Jobo dictum. — Vera si sunt quae de Tentyritis tradit Plinius, hist. nat. l. VIII. §. 38. *quin et flumini innatant, crocodilorumque dorso equitantium modo impositi, addita in os clava dextra ac laeva tenentes extrema ejus utrimque, ut fraenis in terram agunt captivos*, vix alia intelligi posse videtur, quam clava ferrea utrimque praeacuta, qua maxillae proxima per-

forata ſunt. Sed nolim Plinii defenſionem ſuſcipere, qui rem forte in majus narrando auctam, ut audierat retulit.

Excluſis ergo, hamo, catena vel laqueo, ac cuſpide ferri, vix aliud quarto nomini חוח relinquitur, praeter eundem, quem ſupra habuimus, annulum ferreum, ſive ori crocodili circumdatum, eumque a morſu compeſcentem, ſive per eam ipſam partem circa maxillas transmiſſum, quam ferro tranſigi poſſe monuit Wolfius. Poſterius ſine dubio praeferendum ob verbum תִּקֹּב *perforas, circulone perforas maxillas ejus?* i. e. *circulumne per maxillas perforatas transmittis.* Nil equidem de ejusmodi circulo domitorio memoratum invenio: at ubi cuſpis ferrea transmitti poteſt, ibi et circulus. Tentyritarum artes ſi non mera ſunt eorum, quibus Plinius credidit, mendacia, annulo ferreo melius etiam quam clava monſtrum rexerint.

Quidquid ſit, annulum nobis et hic praeiverunt ex veteribus, LXX, ψελλίῳ (*circulo*) τρυπήσεις τὸ χεῖλος αὐτοῦ, Hieronymus, cum in ſua verſione tum in vulgata, *armilla perforabis maxillam ejus.* (Meminerius, *armillam* inter alia et annulum ferreum ſignificare). Reliqui minus expreſſe, ſed tamen nemo ex illis uncum habet in lexica noſtra et commentarios receptum. Theodotion, χαλινὸν, fraenum vertit, Syrus ܦܣܪܘܗ exque illo Arabs مسيرة, quod quid ſignificet, ex lexicis diſci nequit; equidem putem, *catenam*, ut Chaldaicum שׁיר.

III) חָח Exod. XXXV, 22.

Semel ut ornamenti humani nomen, et vero aurei legitur. Recentiorum plerique ex ſolo, quod ipſis placuit, ſpinae etymo *fibulam* interpretati ſunt, ſecuti Kimchium, qui, *inſtrumentum*, inquit, *inſtar acus, qua perforant et jungunt duas oras induſii ſub gutture.* Vide Bocharti hieroz. T. I. l. III. c. 4. p. 764. et Caſtelli lexicon. Proximus his pater meus, niſi quod acum crinalem intellexit.

Mihi

Mihi quidem, poſtquam חָח certum habeo annulum eſſe per nares jumentorum transmiſſum, et hic חַח nulla ratione habita diſcriminis vocalium, annulus eſſe videtur, quem ornatus cauſſa Arabes aliique Aſiatici, feminae maxime, ex naribus perforatis pendentem geſtant. Vide plura de hoc more infra ſub נזם. Aliquid certe a *rotunditate* et *orbe* dictum intelligendum eſſe, in quo et veterum plerique mihi conſentiunt, ipſa indicio eſſe videtur varia lectio textus Samaritani עגיל, ſynonymo ſubſtituto.

Sed et veteres audiamus. *Armillas* habent, Vulg. Syr. Chaldaeus, circulum illi quoque, ex auro, argentove, ſed brachiis circumdatum. Samaritanus, ריעש, quod quid ſignificet, non liquet; veriſimiliter idem, quod Arabicum رَعَثَةٌ *inauris:* ergó et hic annulum intellexerit, ſed ex aure pendentem. Arabs Polyglottus دستنبيق, quod quid ſignificet, plane obſcurum: Maurus, كُرْسَة, quod Golius *fibulam* reddit, nempe pro Arabico conſvetam ſui temporis verſionem Hebraici חח ſubſtituens. Solitus, nec minus manifeſtus lexicographorum error. Mihi quidem de كرسة non liquet, ſuſpicer tamen, idem eſſe cum كِرْس quod ipſi Golio eſt, *linea ſeriesque margaritarum aliarumque ſphaerularum in torque*, unde أُكْرِسَ *torque ornatum fuit jumentum.* — Nihil ex his certi, nullam conſtantem ſententiam elici poſſe, paret; in una rotunditatis notione quodammodo conveniunt, qui intelligi poſſunt.

חָטָא *erravit.*

Propriam verbi vim in *errando*, *aberrando* eſſe, recte monitum a lexicographis, loco etiam claſſico adlato, Jud. XX, 16. Addere liceat aliqua Coroni loca, in quibus خَطِئَ eadem ſignificatione occurrere videtur. Sur. XXVIII, 7. de Pharaone, fatorum ignaro, Moſen-

ſenque puerum non occidente, ſed alendum uxori ſuae concedente ponitur, أنّ فرعون وهمان وجنودهم كانوا خاطئين *certe Pharao, Haman, et exercitus eorum errabant*, nempe ſperantes, ſaluti puerum aliquando Aegypto fore, cujus loco in ſequente verſu legitur, وهم لا يشعرون *illi non noverant.* XXXIII, ٥. ubi errores ex mera ignorantia peccatis proaereticis opponuntur, ليس عليكم جناح فيما اخطأتم به ولكن ما تعمّدت قلوبكم *non in eo crimen eſt, in quo erratis, ſed in eo, quod firmiter ſtatuerunt corda veſtra.*

In loco quidem primario Jud. XX, 16. omnes veteres de *aberrando* acceperunt: Jobi V, 24. Symmachus, οὐ δυσπραγήσῃ, *non infeliciter rem geres.*

Notanda et prima aberrandi ſignificatio locis, ubi חטא cum Mem conſtruitur, ut Levit, IV, 2. *cum aberraverit ab ullo praecepto.*

חַטָּאת *ſacrificium pro peccato commiſſionis*, אָשָׁם *pro peccato omiſſionis.*

Utrumque חַטָּאת et אשם *ſacrificium eſſe pro peccato* manifeſtum, certum et, אשם et חטאת non idem eſſe, ſed differre, qua autem re differant, non aeque exploratum. Mihi quidem lectis quarto et quinto Levitici capitibus, veriſimillimum,

1) חטאת offerri pro *peccato commiſſionis*, ubi vetita facimus. Nempe c. IV, 1. 13. 22. 27. identidem haec conditio ponitur, *ſi quis peccaverit contra ullum praeceptorum* אשר לא תֵעָשֶׂינָה *quae fieri non debent*, i. e. *de facto quod committi non debet.* Jam hinc conſequitur, ut

2) אשם ſacrificium ſit *pro peccato omiſſionis oblatum*, videndumque, ſitne id exemplis peccatorum a Moſe Levit. V, 1–4. 21. 22. al. VI, 2. 3. poſitorum, conſentaneum. Prima quidem fronte, et ex noſtris moribus aeſtimata, aliqua refragantur, peccata potius commiſſionis:

nis: verum Hebraeis aliter ex suis moribus videri potuit. אָשָׁם offertur,

1) *si testis audierat verba adjurationis, idque de quo interrogatur, viderat aut noverat, nec tamen indicasset.* Hoc quidem perjurium ex moribus Hebraeorum crimen omissionis erat, non ipse suis verbis jurabat, sed adjurationem audiebat, in eo peccans, quod non indicabat quae noverat. Alia plane perjurii ratio, falsum si dixisset, crimenque testatus esset ab accusato non commissum: quod quidem sacrificio redimi non poterat, ex talionis jure graviter puniendum. Vide jus Mosaicum §. 244. 256.

2) *si quis ullo modo impuritatem Leviticam contraxerat ignarus, ac deinde rescierat.* Nempe non ipsa impuritate contracta peccaverat, non cadaver attingendo, quod auferri adeoque et tangi lex jubebat, (vide jus Mosaicum §. 207.) sed omissa purificatione, quod ignoraret ea se opus habere. Hoc ergo manifeste peccatum omissionis.

3) *si quis temere ignarus juraverat.* Hic quidem non pro ipso temerario, id vero est minus necessario jure jurando piaculum offerendum erat, alioqui jurando adsvetiorem, qualis ipse David, quotidie piacula pendere oportuisset, hecatombas forte, sed quod vel temerario imprudenter effuso jure jurando non steterat, non fecerat jurata. Et hoc in juris jurandi honorem, arte aliqua legislatoria nimiam juramentorum frequentiam compescens, mulctas non soluti juris jurandi poscente deo.

4) *si quis depositum non reddidisset, stipulationem non implevisset, rem alienam inventam sibi servasset, negasset domino, furatus esset, aut ullo modo opes injuste partes possedisset.* Hic quidem in non reddito deposito, aut eo quod inveneras, itemque stipulatione non

 imple-

impleta, manifestum omissionis peccatum: de solo fortasse dubitaveris furto. Verum cogitaverimus, quod et philosophus dicere verissime possit, furtum non esse, rem alienam manu prehendere, auferre etiam, sed id facere cum animo non reddendi, in retentione rei alienae. Rem alienam si alicubi obviam inveneris, officiosum aliquando est eam manu prehendere et absportare, ne domino pereat, sed eam capere, nec reddere, id jam furtum, furtumque cum re amissa quam inveneras nec reddideras, ut simile componit Moses. Prudenter ille quidem, ut mihi videtur, ac callide: ad omissionis enim peccata si a teneris unguiculis, ipsisque sacrorum ritibus, furtum referre didicero, id disco, id animo alte impressum habeo, non me furem esse, dum manu capio, sed quotidie ac quavis hora, dum non reddo, qui acerrimus est religionis ac philosophiae stimulus, quo quis urgeri ad restituenda furta et injuste parta possit. Digna Mose, seu potius Deo legislatore philosophia.

Vide de his plura, cum in notis ad haec loca, tum in jure Mosaico.

Unicus meo invento maxime obstare, ejusque jugulum petere videtur versus 17 capitis quinti, ubi eadem verba, *si quis aberraverit, feceritque* unum de *praeceptis Jehovae*, אשר לא תעשינה *quae fieri NON debent*, i. e. interdictis de אשם offerendo ponuntur. Sana si lectio, omnia corruunt, quae scripsi. Verum sana esse nequit, nisi Mosen sibi ipsi velis contradicere: hic enim si quis privatus peccatum commiserit contra praecepta אשר לא תעשינה, offerri jubet, *arietem integrum;* at c. IV, 28. 32. *capellam, aut ovem femellam*, sicque et Num. XV, 27. *capellam annum natam.* Ergo si vel omnes errore codices infecti essent, corrigendus tamen ex ipso Mose locus, ac לא delendum esset, hac jam sententia proditura: *si aberraverit ab uno praeceptorum, quae fieri debent*, id vero est, si non faciendo id, quod face-

re

re debebat, peccaverit. Nec tamen opus conjectura, duo enim codices Kennicottiani, 562 (Venetianus anno 1298 scriptus) et 606 (Dessaviensis, quem seculo XIII attribuunt,) לא omittunt: *tertius* 488, Romanus, ejusdem fere seculi לו habet, hac eximia sententia, *si in quoquam eorum peccaverit, quae* EI (id est, Deo, in honorem Dei, et ob ejus praeceptum) *fieri debent.*

Caeterum non nego, constatque inter omnes, vocabula אשם et חטאת non ubique distingui, sed et aliquando *latius* ut synonyma poni. Distinguenda, ubi sibi invicem opponuntur, ut Levit. IV. V. atque in plerisque Mosis legibus, adcuratius de sacrificiis praecipientibus, et vocabulis juris Κυρίως utentibus.

חטב Ps. CXLIV, 12. Prov. VII, 16.

Verbum, ut alia multa radicalem literam Chet habentia, plures complecti diversissimos significatus potest, ac, nisi fallor, complectitur. Nempe

1) خطب est *lignari*, proprie a secando ligno, ut ex احطب *putare vitem*, et مِحْطَب *falx lignatoria* vel *putatoria*, liquet. Hinc حَطَبٌ *caesum lignum, materia*, atque inde denominativum, *lignari*. Huc quidem referendum, quod plerisque locis חטב est, *ligna caedere*, de qua, notissima omnibus significatione, nil addo.

2) خطب est, *loqui, dicere pro concione, alloqui*, inprimis, ut jam supra p. 597. monuimus, *alloqui de matrimonio*, i. e. *expetere virginem in conjugium, despondere, seu, ut despondeatur obtinerere.* Hanc significationem ad Ps. CXLIV, 12. transtulisse, et מְחֻטָּבוֹת *sponsas* vertisse Syrum, dixi: pulcra sane sententia, sed cui obstat ex syntaxi Hebraica series verborum, *sponsae* enim *ornatae* dicendae fuissent מחטבות זויות substantivo praecedente.

 3) Idem

3) Idem خطب et verbum *coloris variegati* eſt, ſed hac ſignificatione, ut ſaepe in verbis colorum accidit, nulla manifeſta cum reliquis ſignificationibus cognatione. خُطْبَةٌ *color variegatus*, unde خُطْبَان *flava cum viridibus ſtriis colocynthis*, أَخْطَب *pica viridis*, *aut alia avis variegata ex albo nigroque*, Syris ܟܘܬܝܢܐ *tunica phrygionata*, *ocellata*, *teſſellata*. Chaldaeis, חַפֵּב *figuris exornavit*, *ut fimbriae veſtimentorum filis fericis*, *variis figuris et coloribus exornari ſolent*.

Hinc mihi explicandum videtur Prov. VII, 16. ubi lectus dicitur inſtratus חֲטֻבוֹת *verſicoloribus*, vel, *acupictis*, et lino Aegypti. Ἀμφιτάπους verterunt LXX i. e. *tapetas*, non illos credo, quibus lectus circumdatur, ſed in quibus cubatur, praeceſſerat enim κειρίαις τέτακα, de quo vide dicenda ſub רבד. Eodem et retulerim Pſ. CXLIV, 12. intellexerimque *formas elegantes ſculptas*, ſculptura dicta a variegatione.

חטם *capiſtrare*, *cohibere adfectus*.

Ἅπαξ λεγόμενον Jeſ. XLVIII, 9. de quo ſi quid veri habent lexicographi et interpretes, Hieronymo acceptum referendum, qui, obſcura quidem ſententia ac male conſtruens, *laude mea infraenabo te*, fraenandi tamen ſignificationem, magiſtro ſuo creditam, primus expreſſit: et Raſchio, monenti, eſſe *obturare naſum*, a חוטם *naſus*, et interpretanti, *laus mea eſt*, *quod iram refraeno erga te*. His quidem lexicographi alii bene, alii male uſi ſunt, Coccejus certe depravavit. Reliqui autem antiqui interpretes nihil plane veri viderunt, ſola uſi conjectura, ipſi adeo, quibus ſua lingua dux ad verum inveniendum eſſe potuiſſet, Chaldaeus et Syrus, תושבחתי אקים לך, *gloriam meam ſtabiliam tibi*, ܠܬܫܒܘܚܬܝ ܐܛܪ ܠܟ *gloriam meam ſervabo tibi*, et LXX τὰ ἔνδοξά μου ἐπάξω ἐπὶ σε.

Nem-

Nempe primo חוטם non Chaldaeis folum et Thalmudicis, ex quorum lingua fumfit Rafchius, *nafus* eft, (vide Buxtorfium) fed et Arabibus خَطْم *anterior prominentiorque pars nafi et oris, quadrupedum maxime,* مِخْطَم *nafus.* Hinc verbum denominativum خَطَم *capiftravit*, et nomen خِطَام *capiftrum*, cum noftrum, tum orientale, feu, ut Golii potius verbis ex Geuhar decerptis, dicam, *capiftrum, five os nafumque cingas*, fc. περιστόμιον, *uti in equo, five annulus, aut fimile quid per nafum jumenti trajiciatur, ut alligetur ei habena, quod in camelo fit.* (Vide fupra fub חח fcripta). Transfertur inde verbum ad alia, quae in poteftate habemus, unde Syris ܡܚܛܘܡܐ *fervus*, (q. d. *capiftratus*) ܡܚܛܘܡܬܐ *ancilla.* Hoc jam verbum a Jefaia morali fenfu ponitur: *et ob laudem meam fraeno tibi*, fc. iram meam, aut fi malis mutatis punctis אֶחֱטָם לָךְ *refraenor tibi*, i. e. cohibeo iram meam.

Caeterum plane aliud verbum حطم *confringere.*

חֹטֶר *ramus, furculus, hafta.*

Bis occurrit Jef. XI, 1. Proverb. XIV, 3. Nemo, quod fciam, lexicographorum a vero philologico aberravit, licet plerique non eam ex pluribus fignificationibus per linguas Orientis difperfas elegerint, quae his duobus locis aptiffima. Solus Simonis, ubi minime opus alliteratione ufus, cum Arabico خضرة contulit, quod, cum *viride* fignificet, nullo tefte vertere aufus eft, *baculus viridis*, (quafi vero talis detur, baculumque vocemus, ramum qui adhuc viret) *lignum viride, virga, furculus.*

מטה *baculum* vertit in libro radicum Kimchius, adferens ex Chaldaismo argumentum, pro מטה Thargum חוטרא ponere: nec dubitare datur, cum et Syris ܚܘܛܪܐ *virgam, baculum, fceptrum* fignifi-

cet,

cet, in versione N. T. pro ῥάβδος poni solitum, quod ipsum ῥάβδος et in Jesaia pro חטר dederunt LXX, ῥαβδίον Aquila. Alio usi nomine in Proverbiis LXX βακτηρίαν verterunt.

Hoc tamen ad Jes. XI, 1. transferens, statim intelliges, non de eo, quem nos dicimus, baculo, ibi sermonem esse posse, sed de *ramo*, *surculo*, nomenque et hunc complecti. Nempe Arabibus خُطْر et *ramus* est.

Baculus superbiae in ore stulti Prov. XIV, 3. plane displicet, imago, Salomonis ingenio indigna. Arabibus quidem baculis et hastis frequenter idem nomen est, quod et hic accidit, خَطْر enim *hasta*, خَطَّال *hasta tremula.* Jam verba Salomonis בפי אויל חטר גאוה verterim, *in ore stulti sagitta est*, *mordens* i. e. praeacuta, vulnerans, haerens vulneri, (vide p. 241.) *maledictis alios vulnerat.* Telis acutis comparari maledicta solent: Ps. CXX, 4.

Sic ergo dispescuerim significationes, 1) *virga*, sive 2) virens, *ramus*, *surculus*, sive 3) arida, *baculus*, 4) *hasta*. Nomen autem unde ductum sit, a خَطَّ *tremuit*, an aliunde, non expedio.

חיה *vixit*, *rubuit*, in Piel *instauravit*, חַי *rubens*.

Quae prima sit significatio, a qua notior *vivendi*, *valendi*, *convalescendi* fluxit, non pro certo dixerim: Arabibus tamen cum حَيّ utrumque significet, *pudore adfectus fuit*, – – et, *vixit*, *bene valuit*, suspicor et vitae et pudori a *rubore* nomen ductum fuisse, et חיה ex etymo esse, *rubuit*.

Eadem significatio pellucere videtur in Syriaco ܚܡܪܐ *merum*, proprie, *rubens* vinum, cujus exemplum vide Ps. XXIII, 5. Hebraica אך טוב cum praecedente versu construens, efferensque אַךְ טוֹב, plane ut LXX ποτήριόν σου μεθύσκον ὡς κράτιστον, Syrus vertit ܟܣܐ

ܟܣܝ ܡܪܘܐ ܐܝܟ (*) ܚܡܪܐ *poculum meum inebriat ut rubens* (merum) quod Arabs viciſſim Antiochenus, Syriaca interpretatus, reddit per صِرْف, utrumque, *colorem rubrum*, et, *merum* ſignificans. Sic et p. 76. chreſtomathiae Syriacae, haeretici, vino euchariſtico adfundentes aquam, vitiare dicuntur calicem ܕܡܐ ܚܡܪܐ *ſanguinis rubentis vel meri Chriſti.*

Inſignis eſt locus, in quo nomen, חַי et מִחְיַת hiſtoria morbi, de quo Moſes loquitur, duce, *rubens* eſſe videtur, Levit. XIII, 9–17. Leprae aliqua ſpecies deſcribitur, in cujus tumore adpareat, מִחְיַת בָּשָׂר חַי; v. 10. eamque puram ac ſanatam judicari Moſes jubet, ubi lepra totum corpus obtexerit, atque quidquid videt ſacerdos, *albo ſit colore* (qui alias in reliquis leprae generibus ſuſpectus) v. 12. 13. quod ſi autem revertatur בָּשָׂר חַי, iterum pro impuro haberi hominem, v. 14. 15. Jam confer quae de leprae ſpecie, *the Yaws* dicta, *Hillary* in libro de morbis inſulae Barbados (*on the diſeaſes of Barbados*) p. 342. refert, *rubram carnem fungoſam per cutem erumpere, mori fere ſimilitudine* (**), *ſanari morbum candicantibus ſquamis ex cute per 10 aut 12 dies decidentibus, ſed ultimum aliquando ſymptoma ſupereſſe, aut redire, fungum carnis rubentis, haud raro ſub pede, quem ultimum fun-*

(*) Correxit Dathius in ܚܝܐ *poculum meum eſt ut vita*, plane contra Hebraica, atque ut ipſe fatetur, loco inepte, *ineptum* enim *additamentum* eſſe cenſet. Ex ſola ille conjectura, quod ܚܡܪܐ quomodo meri nomen eſſe poſſet non adſequeretur.

(**) *under that a read fungous Fleſh thruſts itſelf out of the Skin, which gradually increaſes to different magnitudes, ſome not ſo large as the ſmalleſt Wood-Strawberry, ſome larger, others exceeding the Size of the largeſt Mulberry, which laſt the very much reſemble, being red and compoſed of little round Knobs.*

fungum the Master-Yaws *vocent*. Hanc quidem morbi descriptionem sequutus in versione germanica, בשר חי *carnem rubentem* reddidi.

Notanda et phrasis חִיָּה vivificavit sensu architectonico, pro *instauravit*, 1 Paral. XI, 8. יואב יְחַיֶּה את שאר העיר *Joabus reliquam urbem instaurabat*. Sic et Syri dicunt, ܐܚܝ ܣܘܪܚܢܐ vivificavit i. e. *instauravit ruinas*, chrestom. Syr. p. 117. latinique, *saxa rediviva*. Syro quidem interpreti hic usus verbi ita notus, ut vel alieno loco Jes. V, 17. חרבות מחים verteret, ܚܘܪܒܐ ܕܐܬܚܝܝ *ruinae quae reaedificatae sunt*, מחים pro participio passivo verbi חִיָּה habens.

חַיָּה *obstetrix*, *redivivus annus*.

Etiam de חַיָּה nonnulla notanda lexicis ignorata.

1) חַיָּה puto *obstetricem* esse, Exod. I, 19. et חַיּוֹת pro חיות punctandum, ut habet codex tertius Erfurtensis, forte et plures, si de punctis consulantur. חַיָּא Chaldaeis *obstetrix* (vide Buxtorfii lex. p. 741.) itemque Syri ܚܝܬܐ et חיה Samaritanis, a חִיָּה *vivificavit*, quod vivum partum procurat. Praeiverunt mihi ex veteribus, Syrus, ipsissimum ponens ܚܝܬܐ, Chaldaeus, חַכִּימָן (*sapientes*, ut Galli dicunt, *sage femme*) Symmachus, μαῖαι, Vulg. *obstetrices*. Puto eodem referendum esse utrumque Arabum, Polygl. بصيرات et Erpenian. عارفات, *gnarae*.

2) כָּעֵת חַיָּה Genes. XVIII, 10. 14. 2 Reg. IV, 16. 17. esse, *hoc ipso sequentis anni tempore*, recte a lexicographis monitum. Ipsum tempus, ver, aestas, mori videtur, et reviviscere anno sequente. Addo confirmandae explicationis caussa, consensum linguae Syriacae, cui ܠܫܢܬܐ ܚܝܬܐ Luc. XIII, 9. est, *sequente anno*, Graece, εἰς τὸ μέλλον, sc. ἔτος, et quorundam ex veteribus LXX in Genesi εἰς ὥρας, i. e. *praecise*, *hoc tempore*, inque libro regum, ὡς

ἡ ὥρα, *cum tempus fuerit;* quin et iidem 1 Sam. XXV, 6. לְחָי (*hoc tibi ad vitam cedat*) εἰς ὥρας verterunt, forte id volentes, *sequente adhuc anno aeque bene vale* (εἰς ὥρας καὶ σὺ ὑγιαίνων, καὶ ὁ οἶκος σου). Hos secuta Vulgata in regibus; sed nimis stricte, *tempore illo, et in eadem hora*: in Genesi ambo Arabes, مثل هذا الوقت من قابل vel, ut Maurus habet, المقبلة *hoc tempore anni futuri.* Monendum hoc duxi, quod aliis minus recte intellecta phrasis, ipsi adeo Syro, qui in Genesi, ܟܕ ܗܝ ܚܝܐ *cum illa vivit*, quod de Sara intelligere solent, inque regibus ܟܕ ܐܢܬ ܚܝܐ *cum tu vives*. Exilis et dubia promissio, *filium amplecteris, si vixeris.* Chaldaeus utrobique, *tempore quo vos vivetis:* Lutherus, *si vixero*, (*so ich lebe*) vox ore dei indigna.

Forte et huc referre possis, in quo multum interpretes laborarunt, כמו חי Ps. LVIII, 10. *sequente anno cum aestus fuerit accendet rhamnum*: sed hanc inter explicationem, aliamque p. 731. dandam, ambigo.

חַיָּה *animal, fera, maxime ubi construitur cum* שׂדה *et* יער.

Locus Jes. LVI, 9. quem exponere solent, *venite omnes bestiae agri ad devorandum, cum omnibus bestiis silvae*, vel, *omnes bestias silvae*, necessitatem mihi imposuit, adcuratius inquirendi, sitne apud Hebraeos aliqua utriusque phrasis diversitas, possintne bestiae agri oppositae bestiis silvae, mansveta esse animalia? an vera sit et exceptionis expers Stockii sententia, dicta in lexico, *feram denotat, quoties construitur cum voce* שׂדה, *vel etiam cum voce* יער. Quod dubitanti, et omnia exempla vocabuli ope concordantiarum Buxtorfianarum expendenti, plura etiam neglecta passim lexicographis, forte per commentarios sparsa, notatu visa sunt digna.

1) חיה nullo alio adjecto nomine, et חית הארץ, latius et adstrictius poni posse, satis notum: a) adstrictius, de *feris*, ubi jumentis בהמות opponitur, atque ab illis distinguitur, ut Genes. I, 24. ubi נפש חיה *animal vivum* distinguitur in 1) בהמה 2) רמש 3) חיתו ארץ multisque aliis locis: b) latius, ut et jumenta cicuresque bestias complectatur. Sic quidem ejusdem in capitis versu 30 ipse sine dubio Moses ponit. Vide et Levit. XI, 2. 47. Jes. XL, 16. (ex ferarum enim genere nulla sacrificia). – – Jes. XLVI, 1. strictiore sensu accipio, hanc ipsam ob caussam, quod חיה et בהמה junguntur, alterum ab altero distinguendum. Curribus deorum non jumenta solum, sed et ferae junctae, leones, tigres. Vide Virgil. Aen. III, 113. 114. VI, 805. 806.

2) Monitum jam ab aliis, etiam maritima complecti animalia, Ps. CIV, 25. cui addiderim, *et serpentes*, Levit. III, 1. sed quia additum, השדה, malim quarto numero servare.

3) חית יער *bestiam silvae*, nuspiam nisi de feris occurrere memini. Manifesta significatio Ps. CIV, 20. ubi *noctu* prodire dicuntur, nempe ad praedam capiendam.

4) חית השדה sine dubio de feris ponitur, Levit. XXVI, 22. Deuteron. VII, 22. Latius tamen pro animalibus feris et cicuribus ponitur, nisi forte בהמה exciderit, quod tamen nullus testis servavit, Genes. II, 19. Hoc tamen ipsum NISI ad animum revocandum, quod statim in sequente versu 20, חית השדה a בהמה distinguitur. Non magis certus locus Job. XL, 20. (al. 15.) כל חית השדה ישחק שם *omne animal agri ludit ibi*, nec enim solae cicures animantes, sed et ferae, circa elephantem ludunt incolumes. Ergo certam a regula exceptionem non reperi.

Id tamen omnino monendum, *bestiis agri* חיות השדה Genes. III, 1. adnumerari serpentem: nec id mirum. Graece mediocriter doctus

doctus recordabitur, *θηρίον* serpentis nomen *κατ' ἐξοχὴν* esse, unde et *θηριακά*, *remedia contra morsus serpentum*, dicuntur. Sed idem et in linguis valet Orientalibus: حَيٌّ et حَيَّةٌ Arabibus, ܚܘܝܐ Syris, חִוְיָן Chaldaeis, *serpentes*.

Caeterum cum nuspiam videam *bestiam agri* a *bestia silvae*, ut cicurem a fera distingui, suspecta etiam consveta explicatio loci Jes. LVI, 9. malimque, כל חיתו שדי ad praecedentem versum referre: *congregabo adhuc praeter congregatos ejus, omnes bestias agri: venite ad comedendum omnes bestiae silvae*. Sic חיות שדי et חיות יער unum idemque sunt, ferae: ac sententia prophetae, *praeter greges Israelitarum etiam feras congregabo, ut cum illis pascantur*. Loquitur de conversione gentium.

5) At quid faciendum compositioni insolentiori Zephan. II, 14. כל חיתו גוי *omnis bestia gentis*, ubi sine dubio de proprie sic dictis feris sermo? *πάντα τὰ θηρία τῆς γῆς* (חיתו ארץ) habent LXX, Chaldaeusque כל חיות ברא *omnes bestias agri*, (חית שדה): sed nulla in codicibus varietas lectionis, nec ejus testes haberi possunt LXX et Chaldaeus, alter alteri contradicentes. – – Equidem puto, *bestiam gentis* dici, bestias in gentis modum numerosas.

חַיָּה et חַוָּה *familia, vicus tuguriorum* &c. Num. XXXII, 41. 2 Sam. XXIII, 11? Ps. LVIII, 10?

Haec quidem, de quibus seorsim ago, non ad radicem חַי vel חָיָה *vixit*, referenda, sed ad חוה Arabice حوي *collegit*, *congregavit*, unde تحوّى in quinta, *rotundus fuit*, proprie, in se collectus: inde حِوَا tugurium, Beduinorum, أحوية, ut Golius vertit, *complures domus tales inter se propinquae*, id vero est, *Nomadum Arabum vicus*, a rotunditate dictus, in orbem enim poni tuguria solent,

حَوِيَّةٌ *rotunditas*, إِحْتِوَا graecum περιβολή Obad. 1. ipsumque, quod male ad verbum حَيٌّ retulit Golius, حَيٌّ *familia, pars magnae tribus*.

Ex his jam intelligitur, qui sint Num. XXXII, 41. aliisque locis, חַוֺּת יָאִיר non villae, ut in quibusdam lexicis ex Vulgata vertitur, nec pagi quales nostri, sed *pagi Nomadum ambulatorii ex tentoriis in orbem plerumque positis*, (Tatarico nomine, in nostras linguas recepto *Horde* diceres) sed deinde in nomen proprium transiit regionis, quam Nomades Jairo orti pererrabant. Terra Nomadica erat Gileaditis, ideo a tribubus Nomadum vita delectatis Num. 32. expetebatur.

Idem significare חַיָּה 2 Sam. XXIII, 13. atque חַיַּת פְּלִשְׁתִּים esse *castra Philistaeorum (eine Horde der Philister)* dubio caret, ob locum parallelum 1 Paral. XI, 15. ubi est, מחנה פלשתים: praeiveruntque Chald. מַשְׁרִית et Vulg. *castra*. Minus distincte LXX τάγμα τῶν ἀλλοφύλων. Male, etymo certe alieno addito, Raschi *turmam* (גדוד) interpretatur, dictam a חית שדה bestia agri. Syrus ܢܘܫܐ repofuit, quo quid ipse nomine intellexerit, non liquet, Arabs ex eo libros Samuelis vertens, *equos* (turmas) *Philistaeorum*, خيل اهل فلسطين. — — Transtulerunt et ex recentioribus non pauci significationem, (*turmae* illi quidem plerumque, aut agminis praedas agentis) ad ejusdem capitis versum undecimum, praeeuntibus punctorum auctoribus, *congregati sunt Philistaei* לַחַיָּה *in turmam, in agmen* (mallem equidem, *in congregationem*, i. e. *in unum*) ibidem aliis de חַיָּה bestia cogitantibus, ut LXX obscure, εἰς θηρία, et Syr. ܠܡܚܛܦ ܢܘܫܐ *ad diripiendum bestias* i. e. armenta et greges. Hic tamen cum Josepho facere malim, plane חַיָּה non inveniente, sed aliis vocalibus לְחָיָה adpellante, *Philistaei Lichjam* (nomen proprium loci) *conve-*

conveniebant: ſic ille Ant. VII, 12, 3. εἰς τόπον Σιαγόνα λεγόμενον αὐτῶν παρατασσομένων, *Philiſtaeis caſtra in loco* MAXILLA (לחי) *dicto habentibus.* (Vide infra ſub לחי).

Proximus hic pleriſque recentiorum, in eo ſolo diſſentio, quod non villas ſtabiles, non turmas, non caſtra militaria intelligo, ſed, ex Arabici nominis ſignificatione, *caſtra Nomadica*, *(Horde)* filo orationis aptiſſima.

Dubius tertium adjicio Pſ. LVIII, 10. כמו חי, cujus aliam ſupra p. 727. dedi interpretationem. Sed poſſit et, migratis ſolum accentibus, huc referri. حَيّ *tribus*, *familia*, Arabibus etiam de *denſis ſpinetis*, ac tanquam familiis et gentibus ſpinarum ponitur. Amralkeis v. 4. Muallakae (Lettianae editionis p. 50.) سَمُرَاتُ الْحَيِّ *ſpinae familiae*, i. e. *ſpinae denſae.* Vertere ergo, בטרם יבינו סירותיכם אטד כמו חי poſſis, *antequam quis ad ſpinas veſtras attendat*, *rhamnus factae ſunt ſilvae ſimilis*, aut ſi lubeat כמו חי ad ſequentia referre, *ubi ſilva fuerit ſpinarum, incendiumque ortum, abſumet illam.* Hic me inter et memet ipſum ſuſpenſum dubiumque, utriusque novae interpretationis, quantum memini, auctorem, arbitri ſint lectores.

חיל generatim.

Sub literis חיל diverſiſſimae concurrunt ſignificationes, nec id ſolum inde, quod dupliciter *Hhajal* حَيَل et *Chhajal* خَيَل adpellari poteſt, ſed et quod vivente jam lingua cum aliis cognatis חול et חלל forte confuderunt. Notiſſimam *roboris*, *virtutis*, *fortitudinis* notionem, Syri et Aethiopes ſolam, Arabes ſub حَيْل habent, ita tamen ut hi aliam doli et machinationis, حِيلَة a حول ductam, admiſceant. Ergo quae ſub חול habuimus, hic nonnunquam in memoriam revocanda.

חִיל: *tremuit: distortus fuit?*

Verbum ipsum חיל fortitudinis significatione nuspiam occurrit, sed saepius ut synonymum חול *tremuit*, quod et *partus labores*, proprie tremores complecti diximus pag. 683. ubi quae scripsimus huc quoque mente et cogitatione transferenda. Omiserunt plerumque lexicographi, quod יָחִילוּ ,יָחִיל et similia, pro futuris Hiphil habita, plane ad radicem חול referrent. Sed ut taceam, intransitivam *tremendi* et *timendi* notionem vix satis bene conjugationi Hiphil tribui, mediae radicalis Jod quiescentis in Kal sunt,

1) חִילוּ מִפָּנָיו Pf. XCVI, 9. 1 Paral. XVI, 30. *intremiscite coram eo*, quod enim comminiscuntur grammatici, Hiphil esse pro החילו, He characteristico abjecto, aphhaerisis est, reliquis linguis Orientalibus plane ignota, nec vel unico certo Hebraismi exemplo stabilita, jure damnata ab Alberto Schultensio in institutionibus linguae Hebraicae.

Cum supra disputaverim, non tam doloris, qui nostro loco plane non aptus, (quis enim sanae mentis in hymno laudatorio haec canat, *prosternite vos Jehovae in ornatu sancto*, *DOLETE coram illo tota terra?*) sed *tremoris*, verbo חול et חיל inesse, liceat et hic veteres excerpere interpretes: in psalmo LXX σαλευθήτω et sic Vulg. *commoveatur*, Syrus ܬܬܙܝܥ *commoveatur*, Chald. *intremiscite*, — — in Paralip. φοβηθήτω, *commoveantur*, ܙܘܥܘ, et Chald. אזדעזעו *intremiscite*. At Aquila et Symmachus in psalmo ὠδινήσατε, hoc credo spectantes, quod חול et חיל de parturientibus ponitur.

2) nomen חִיל tremor: sed de eo jam supra sub חול obiter dictum.

Nihil hujus significationis Arabiae sub חול superesse, supra monui, at sub خبل aliquid ejus habet, verbo ac derivatis, de *terrore*, *terricu-*

lamen-

lamentis, *vana imaginatione*, *tonitru* etiam ac *fulmine* poni solitis. Ergo forte חיל ex hac significatione vera radix, et חול synonymum ex eo ortum.

Ad hanc et radicem, sed alia significatione, modo vera lectio, referendum, יָחִילוּ דרכיו Ps. X, 5. quod equidem interpreter, *omni tempore curvae* i. e. *dolosae sunt viae ejus.* Primus id me docuit *Jo. Wilhelmus Schroeder* in *commentario in psalmum X.* philologico, Arabicum مُسْتَحَال *distortus* conferens. Equidem sententiam jam ut meam, paululum mutatis quibusdam dicam. حول est, ut ipse jam recte monuit, *in orbem ire*, inde sine dubio *distortum* dictum, quin et *curvum* recto oppositum, morali etiam sensu. احْتَال in octava, *callidus fuit*, *technas struxit*, (fere ut et latini dicunt, *aliquem circumvenire*), حُوَّل *versutus*, mutatoque secundum canones Arabicos Vau in Jod, حيلة itemque مَحَالَة *astutia*, *dolus*, مُحِيل *decipiens*, مُحْتَال *insidias struens*, أَحْيَل *versutus.* Sententia, *curvae semper sunt viae eorum*, *dolis malis alios circumveniunt*, argumento psalmi eximie apta, dolosos et insidiosos hostes describentis, ex latebris suis erumpentes. — — Caeterum ad radicem חיל refero, non ad חול, quod intransitiva significatio, *curvae*, *dolosae sunt*, conjugationem potius Kal, quam Hiphil poscere videtur: putoque חיל hic significatum verbi حول accepisse.

Haec quidem de lectione consveta: at LXX βεβηλοῦνται, *profanae sunt viae ejus*, et Syrus, ܦܫܝܢ *solutae*, i. e. *profanae* (*), sine Jod legerunt, יחלו, a r. חלל: quam quidem lectionem non ausim temere damnare, cum vel in hunc usque diem in editionibus adeo super-

(*) e. g. 1 Sam. XXI, 5. ܠܚܡܐ ܦܫܝܐ *panis profanus.*

perſit. Inveni in Stephanica rariſſima, magnam eximiarum lectionem copiam habente, quam T. XIV. num. 232. bibliothecae orientalis deſcripſi: Kennicottus in 283 et 291. i. e. bibliis Münſteri 1536, et pſalmis 1566 Wittenbergae aere expreſſis. Mirum ex codicibus manuſcriptis non citari: ſed diligenterne ſatis ſunt excuſſi?

חַיִל *virtus ſenſu latiſſimo, integritas animi, omnis honeſti ſtudium.*

חַיִל *robur*, pro *fortitudine*, quam latini proprie *virtutem* vocant, poni notiſſimum: monuerunt etiam lexicographi, ſed minus quam fas erat, diſtincte, pro omni genere virtutis et officii, philoſophico et theologico ſenſu uſurpari, nec ſolum, ubi fortitudo ad officium faciendum requiritur, ut Exod. XVIII, 21. de judicibus integris atque incorruptis, et 2 Paral. XXVI, 17. ſed et de feminis honeſti ac virtutum ſtudioſis, Ruth. III, 11. Prov. XXXI, 10. 29. (*multae filiae*, עשׂו חיל *ſtudioſae virtutis fuerunt, ſed tu eas omnes ſuperaſti*) quin adeo de Adonia, quem minime vellet Salomon fortitudinis dare ſpecimina, ſed fidem datam ſervare, promiſſis ſtare, a re publica abſtinere, 1 Reg. I, 52. *ſi fuerit* בן חיל (ſi novas res non molitus fuerit) *non cadet pilus de capite ejus.* Qua quidem de phraſi, latius etiam patente, dicendum.

Omne omnium virtutum ſtudium fortitudine animi opus habet, ut boni eſſe audeamus, etiam ubi aliis ingratum eſt, nos recta facere. Boni et integri plerumque fortes, doloſi et male callidi, timidi. His adde, quod naſcentium linguarum tempore humanum genus in ſtatu, quem dicunt, naturae fuit, ſine re publica, ſine legibus judiciisque, vitae ac bonorum tutamine: quod ubi eſt, fortitudo neceſſaria omnibus et primaria virtus, quae nomen ſuum et reliquis dare virtutibus potuit. Hinc latini *virtutis* nomen, quod ex etymo virilis fortitudinis eſt, graeci ἀρετῆς, toti virtutum omnium generi fecerunt commune.

Germa-

Germanis *fromm*, quod jam de pietate et integritate vitae ponitur, olim *fortis* erat: quin et nostrum, *brav*, *fortis*, pro omnis recti et boni insignioris studio ponimus. Idem quod his, etiam Hebraeis visum, quo et retulerim phrasin, גבר תמים Ps. XVIII, 26.

Ex hac notione et aliqua expedienda loca existimem, in quibus חיל de virtutis studio accipere non aeque solitum, ut Ruth. II, 1. forte et 1 Sam. X, 26. Vide versionem germanicam. Est tamen in his dubia optio.

חִיל, חֵל, *vallis*, *fossa*.

1) Chaldaeis חֵילְתָא *vallem* esse, monuit jam ad Jes. XXVI, 1. Kimchius, atque ab interprete pro Hebraico גיא poni, ut Deut. XIV, 16. Jos. VIII, 11. Jes. XXVIII, 1. Ezech. VI, 3. XXXV, 7. (quae exempla a Buxtorfio p. 747. mutua sumsi). Ortum nomen, Syris Arabibusque ignotum, a *circumeundi* et *curvitatis* notione, quam in verbo חול inesse supra diximus: vallis circumdata a montibus aut adclivibus. Sed de etymo utcunque sit, significatio certa.

2) Hanc quidem transferendam censeo ad Hebraicum חיל, sed aliis animandum vocalibus Ps. LXXXIV, 8. Descripserat poeta agmina piorum, Hierosolymam festo (tabernaculorum, ut puto) adeuntia, haec versu 7. jam in valle Baca erant, sita ab occidente Hierosolymae, illo in loco, ubi olim Davides Philistaeos fuderat, (2 Sam. V, 23.) progressa inde, ילכו מחיל אל חיל *eunt ex valle in vallem*, solemni pompa Hierosolymam circumeunt, valles ad Austrum et Occidentem perambulant, et tandem, *comparent coram Deo in Sione.* Neminem laudare possum praeeuntem, sed ipse nos hic situs locorum ad vallis significationem deducere videtur.

1 Maccab. III, 12. pro Graecis ὁ ἄρχων τῆς δυνάμεως Συρίας, in Hebraico libri textu vix aliter legi potuit, quam, שר חיל ארם.

Haec verba Josephus, secus ac sine dubio male interpretatus est, ὁ Κοιλῆς Συρίας στρατηγὸς, *Coelesyriae praefectus.* Antiqu. XII, 7, 1. Ex quo certum, significationem *vallis* Josepho notam fuisse ejusque tempore receptam: verisimile, Coelesyriae, i. e. vallium Syriae, nomen חיל ארם fuisse. Vide notam ad versionem germ. libri Maccabaeorum.

3) Eandem et ad 1 Reg. XXI, 23. in lexico transtulerat Castellus, ubi canes voraturi dicuntur cadaver Isabellae בחל יזרעאל, (seu, ut plene in XIV codicibus scriptum, בְּחֵיל) pro quo in loco parallelo 2 Reg. IX, 36. est בחלק *in agro Jezreelae:* verti ergo jubet, *in valle Jezreelis.* Perquam ille verisimiliter: sed copia laboramus interpretationum, quae se ultro offerunt non quaerenti, aeque bonarum, aut meliorum: possit enim esse, sive

1) *in ipsa fossa Jezreelae,* in quam prospectantem ex palatio Isabellam, perque fenestram projectam, cadere necesse erat, si Jezreela fossam habuit.

2) *in suburbanum,* proprie et ad verbum, *in circa Jezreelam,* Arabibus enim حَوْل est, *circa,* a حَوَل *circumivit.*

Caeterum lectio loci incerta, Syro, Chaldaeo, Vulgata, et sex codicibus Kennicottianis בחלק habentibus, quod si verum, interpretatione vocabuli חל non jam opus.

4) חֵל vel חֵיל ut pars munimenti urbium, a muris distincta, occurrit, 2 Sam. XX, 15. (חל, sed 4 codices plene חיל) Jes. XXVI, 1. (חל sed 24 codices חיל) Nahum III, 8. (חיל plene.) Ps. XLVIII, 14. (חיל plene, sed tres codices Jod omittunt) CXXII, 7. (בחילך, sed quatuor cod. בחליך) Thren. II, 8. (חל, sed triginta et octo codices חיל) forte et 1 Reg. XXI, 23. quo de loco vixdum dubitavimus, copia bonarum explicationum obscuro.

Περί-

Περίτειχος egregie, ut mihi videtur, vertunt LXX Jeſ. XXVI, 1. σωτήριον ἡμῖν θήσει τεῖχος καὶ περίτειχος (*victoriam nobis ponet murum, et quod circa murum eſt*), ex quibus Arabs, ne inſpectis quidem Hebraicis harmonico vocabulo reddens, حَوْل السور *circa murum*, indicio nobis eſt, quo jure ita interpretati ſint: nempe حَوْل eſt, *circa*. *Antemurale* ex LXX Vulgata vertit et Hieronymus, obſcuriore quam apud Graecos ſententia. His in rei ſumma convenit, quod Kimchius ad Jeſ. 26. ex Thalmudicis adfert, interroganti, quid ſit חומה וחל? reſponſum, שורא ובר שורא, *murus et extra murum;* quibus concinens jam Syrus in Jeſaia ܫܘܪܐ ܘܐܢܬܘܪ habet. Chaldaeus quoque Thren. II. מַפְּקְבָא *ambitus*, ex eodem etymo.

At vero quid περίτειχος? De muro plerique exteriore cogitarunt, nec recentiores modo, Kimchius ad Jeſaiam, (חומה קטנה שלפני החומה הגדולה *murus minor, ante majorem*) ſed et ex veteribus περιτείχισμα vertentes, LXX 2 Sam. XX, 15. 1 Reg. XXI, 23. Thren. II, 8. anonymus graecus Pſ. 122. Eodem et Symmachum retulerim, qui in utroque pſalmorum loco περίβολον vertit. Hieronymus quoque ad Jeſ. 26. myſtice interpretans: *hic murus, hoc antemurale, de vivis lapidibus extruuntur:* ergo et ipſe de antemurali ſaxeo cogitavit. Obſtare tamen explicationi videtur, quod cum exterior murus et humilior, altiori obductus, neutiquam neceſſaria pars ſit munitionis, חומה et חיל ita aliquoties conjungantur, ac ſi bene munitam urbem utroque inſtructam eſſe oporteat. Loco quidem 1 Reg. XXI, 23. ea ſignificatio plane inepta, quod per feneſtram palatii projecta Iſabella in murum exteriorem cadere, ibique a canibus vorari non potuit: ſed eum non oppono, multiplicis et lectionis et interpretationis.

Primus foſſam interpretari auſus eſt, ſed dubitans, Coccejus, Chaldaicum חילא *vallis*, conferens: cui in rei ſumma magnopere adſentior,

ſentior, in ſolo etymo inter חילא vallem, et حول *quod circa murum eſt*, foſſam, quae murum ambit, diviſus. Pro foſſa quidem facit.

1) quod ea pars eſt neceſſaria perfectae munitionis, muro adjicienda, quale חיל deſcribitur.

2) inſignis locus Nahum III, 8. de Dioſpoli Aegypti: *quae habitat in Nilo*, (eo nempe exundante, et omnem viciniam ſubmergente) *circa quam undique aqua*, אשר חל ים *cujus foſſa eſt mare* (Nilus mare vocari ſolitus Aegyptiis) *et ex mari murus ejus exſurgit.*

3) 1 Reg. XXI, 23. ſi modo ibi חיל nomen munimenti: ſed hunc locum in dubiis relinquo.

Poſſis forte utramque inter explicationem concordiam tentare, atque non foſſam ſolam, ſed omnes extra murum munitiones (*Auſſenwerke, les dehors*) intelligere: ſic fere ad Jeſ. 26. Symmachum explicaturus Hieronymus: *pro eo; quod nos vertimus antemurale, Symmachus firmamentum* (*) *interpretatus eſt, ut ipſi muri munitionibus cincti ſint, et vallis foſſaque et aliis muris, quos in aedificatione caſtrorum ſolent loriculas dicere.* ſed vix ſuſpicor, illa in infantia artis muniendi et oppugnandi, vel munitiſſimas urbes quidquam praeter murum et foſſam habuiſſe: id unum dederim aliquando et foſſae circumdari murum potuiſſe, ſed raro id factum arbitror. Duplicem quidem murum alio et peculiari vocabulo חומותים Hebraei dicunt, ſed nec hoc occurrit, niſi ultimis Hieroſolymae, tunc eximie munitae, contraque Nabochodonoſarem defenſionem parantis, temporibus. Primus quidem, qui muro circumduxit exteriorem murum, Hiskias eſt, metu Aſſyriorum, 2 Paral. XXXII, 5. ante illum ergo tale munimentum Hieroſolyma certe non habuit.

חילם

(*) nempe ad חַיִל *robur* referens.

חֵילָם vel חֵלְאָם, nomen proprium 2 Sam. X, 16. 17.

Nomen proprium loci, aut ad Euphratem, aut non procul ab Euphrate, in quo ingenti praelio victor Davides res Hadadezeri prostravit, 2 Sam. X, 16. 17. quod aliqui adpellative, *exercitus illorum*, interpretati sunt, Josephus pro nomine regis alicujus trans Euphratem habuit, Ant. VII, 6, 3. (*πέμψαντες πρὸς χαλαμὰν τὸν τῶν πέραν Εὐφράτου Σύρων βασιλέα, μισθοῦνται τοῦτον ἐπὶ συμμαχίαν*). Meum quidem non est, ex geographia aliquid de hoc nomine certi prodere aut verisimilis, sed ingenue fateri ignorantiam: nec tamen ideo praetermittendum nomen obscurum censui, namque et ignorantiae professio fenestram forte aliis aliquam ad verum inveniendum aperit, et de varia dicendum lectione, quae ipsa verum investigaturo scitu necessaria. In versu ergo 16. חֵילָם impressi habent, vitiose ut reor, unus codex Kennicotti חילאם, in versu 17 sed cum He locali scripto nomine, impressi habent חֵלְאמָה, tres חילאמה, unus חיל־אמה (*). LXX v. 16. חֵיל עֵמֶק legisse videntur, quasi diceres, *Chel vallis*, *συνήγαγε τὴν Συρίαν τὴν ἐκ τοῦ πέραν τοῦ ποταμοῦ* ΧΑΛΑΜΑΚ, *καὶ παρεγένοντο εἰς* ΑΙΛΑΜ.

Mihi quidem nomen ex חֵיל vallis et אם compositum videtur, quae autem haec sit vallis seu planities AM, ignorare me, ut fassus sum, fateor.

Scriptionem sine Jod חֵלְאָם praeferenti possit forte in mentem venire *Hellae* (حِلَّة) urbis ad Euphratem paulo infra Babylonem, quam Abulfeda num. 268. descripsit, et copiosius Niebuhr T. II. itinerarii p. 287. seqq. ponens sub gradu lat. 32°. 28′. 30″. Sed forte Hella

(*) Omitto, qui impedimento potius sunt, codices paucos et hic א omittentes, et unum (375) חלמאה habentem.

Hella Davidis tempore nondum fuit, eo ipso in loco ex quorundam sententia sita, ubi olim Babylon, aut si fuit, ita erat Babyloni propinqua, ut praelium ibi commissum a Babylone potius urbe nobilissima, quam Hella, nomen accepturum fuisse videatur.

חין Job. XLI, 4. *technae:* Jes. XXVI, 10? ex LXX.

Incredibile quam infeliciter veteres, turpiter recentiores lexicographi, quippe qui ad lexicon scribendum sine mediocri linguarum orientalium peritia accedere non debuissent, rem gesserint in ἅπαξ λεγομένῳ וחין ערכו Job. XLI, 4. Plene scriptam cum Jod editiones habebant, et codices pene omnes, nec enim nisi duo Kennicottiani, 168 et 259, Jod omittunt, et tamen incredibili errandi obstinatione, ignorantes radicem חון et חין linguam habere Arabicam, ad radicem חנן retulerunt. Hinc LXX seu potius, ex quo interpolati sunt, Theodotion, ἐλεήσει τὸν ἴσον αὐτῷ *miseretur sui similis*, Vulgata, *deprecari* (*verbis ad deprecandum compositis*) Chaldaeus, בעותה *supplicationes:* quibus, ne quid intentatum ineptiarum, recentiores magno satis consensu, alter exscribentes alterum, addiderunt, *gratiam* i. e. *venustatem formae.* De crocodilo sermonem esse memineris, venusto, si lubuerit, monstro!

Facilia ex Arabismo omnia, cui خون est, *decepit:* hinc חין ערכו erunt, *fraudes quas struit* crocodilus, artes, quibus homines capit. — — Miror, Schultensium de hoc non cogitasse: reliquis quidem melior multo, Arabicum حين *tempus exstitit*, *tempestivum fuit*, conferens, vertit, *opportunitatem instructae armaturae ejus.*

יוחן רשע Jes. XXVI, 10. male quidem, ut opinor, sed tamen verterunt LXX πέπαυται ὁ ἀσεβὴς, *cessat*, *desinit*, *malus:* nescio, quid spectantes. Succurrit tamen de eo anquirenti Arabicum حَيْن *exitium*, أَحَان *perdidit*, quae si illis significatio, non ex Arabismo quidem, cujus

erant

erant ignarissimi, sed ex aliis linguae Hebraicae reliquiis, ex traditione, nota fuit, potuerunt יוחן ad radicem חין relatum de interitu et exitio accipere.

חַכָּה *hamus*, plur. חַכִּים *murices* Hos. VI, 9.

חַכָּה, vocabulum non nisi ter obvium, Jes. XIX, 8. Habac. I, 15. Job. XL, 25. *hamum* satis unanimiter antiqui (excepto forte Job. 40 Syro) et recentiores vertunt: nec quidquam de significatione dubii. Etymologiam si quaeras, hamus dici videtur a חֵךְ *palato*, cui infixus haeret; ac si ultra etiam quaeras, חֵךְ palatum est pro חנך, ut ex Arabico حنك ejusque derivatis constat, recte monente *Dantzio in literatore* §. 56. p. 483. Sic et Thalmudici חנך scribunt. Debebat ergo non hic, sed sub חנך comparere: nemo tamen lexicographorum cum recta monenti Dantzio hucusque aurem praebuerit, lectoresque sub חך non sub חן quaesituri nomen, ut adsveverant a pueris, videantur, malui vel errori obsequiosus hic de illo agere.

Ad hoc חַכָּה audeo etiam referre, in quo alii male laborarunt, Hos. VI, 9. וּכְחַכֵּי אִישׁ גְּדוּדִים. Verbum quidem, ut plerique accipiunt, חַכֵּי esse non potest, a חכה enim in infinitivo חכות dicendum fuisset, nec ulla similis nostrae forma infinitivi verbi tertiae radicalis ה in toto reperitur codice sacro. Ex mea ergo sententia a חַכָּה formatur pluralis masculina, ut persaepe, terminatione, חכים, *hamis* hic pro *muricibus* positis, hac sententia: *ut murices viri turmarum* (i. e. *piratae*) *fraudes sunt sacerdotum*: germanice, *wie der Fussangel, den der Räuber legt, so ist die Zauberey der Priester.*

חכלילי et חכלילות, *vitium oculorum ex ebrietate.*

Non nisi bis occurrit, adjecto utrobique oculorum nomine, Genes. XLIX, 12. ut adjectivum חכלילי עינים, vel ex Samaritana lectione חכלילו ut verbum, Proverb. XXIII, 29. ut substantivum חכלילות עינים.

עֵינַיִם. Desitui hic a linguis orientalibus, atque ad solam excludi auctoritatem veterum, inter se discordium, filumque orationis, videmur. Ex hoc quidem certum, neutiquam pulcritudinem oculorum esse, inque laude poni, sed vitium ebrietati deditorum, Proverb. XXIII, 29. Ergo abdicandi videntur, qui *pulcher* verterunt, ut in Genesi LXX, Vulgata, Hieronymus, Arabes quatuor, Polyglottorum, Erpenii, ac Samaritanorum, Jonathan, Thargum Hierosolymitanum, anonymus in Hexaplis Graecus, (καθαροί); inque Proverbiis Aquila et Symmachus. Abdicandi et recentiorum illi, qui Mose Nachmanide Gerononensi praeeunte, ignoto forte plerisque eorum auctore (*), literis transpositis cum كُحْل *stibio oculis immisso* conferentes, pulcros oculos nitentesque intellexerunt. Nec ex Genes. XLIX, 12. ut visum non paucis, consequitur, in laude poni: laudatur ibi non vultus elegantia, sed regio vini optimi feracissima ac ditissima, quae et a vitio oculorum, rubedine aut livore, nimio abundantis vini haustu contracto, describi potest.

Vitium autem aut malum duplex oculorum oriri ex nimio vini haustu, atque ebrietate solet, quod inter ita veteres divisi interpretes, ut nec hic, illis quidem auctoribus, certi quid habeamus. Possunt enim fieri, sive

1) *lividi, obscuri, tristes*, quales in crapula, quin et *lividi ex lapsu et plagis, livore suffusi.* Sic quidem in Proverbiis LXX πελιδνοί, et Arabs مُكْمَدَّة *tristes, obscuro colore.*

2) *ru-*

(*) Primus qui lexicis hanc significationem intulit, ipse linguae Arabicae expers, Nachmanidem citavit Reuchlinus: *Moses Nehemanides Gerundensis, clarissimus Hebraeorum auctor, in pentateucho suo de hac dictione, quod per metathesin primarum literarum, et geminato L a verbo* כחל *oriatur.*

2) *rubentes*, i. e. ſanguine ſuffuſi, in albo enim oculorum ex nimio potu ſtriae oriri ſanguineae ſolent. Huc forte retuleris, *ſuffuſionem oculorum*, quam in Proverbiis Hieronymus habet, exque eo Vulgata, Syriacum ܣܘܡܩܐ *valde rubentes*, et Chald. סמקין eodem in loco, itemque quod Onkelos Geneſ. 49 habet, *montes ejus rubebunt vino*, niſi quod non oculos, ſed montes, rubere, nec vino, ſed uvis maturis, voluit. Raſchi quoque ad hunc locum, לשון אדם כתרגומו, *ſignificat ruborem*, *ſecundum Chaldaeum*.

Alii neutrarum partium generatim *vinoſos* oculos verterunt, ut Samaritanus in Geneſi, עמרין, ex עמר *vinum*, pro חמר, more gentis. Syriacum ܙܝܓܝܢ quid ſignificet, non liquet, quae enim de hoc verbo Syriaco Caſtellus habet in lexico, incerta, *rutilavit oculus caeſius*, *cui ſubviridis ſimul et igneus fulgor ineſt*. Ergo his lectorem non onero.

Hic vero feliciter ex tenebris dare lucem, atque linguae Arabicae ope certi tandem aliquid adferre, videri poſſit, viſusque eſt aliis, Albertus Schultenſius ad Proverb. 23. cujus ipſa verba adſcribo, quod in ea commentari, ac de novo invento dubitare neceſſe eſt, antequam certi quid ſtatuamus. *En, quod dubitationem queat decernere, et geminam potentiam cum figuris, quas in medium attuli, conſtabilire. Verbum* حكل, חכל, *lexicographi Arabum declararunt per* شكل. *Hoc inter alia ſignat oculi affectionem, et quidem eam ipſam, quam veſtigamus, quaque indigemus. Gjeuhar:* (verba Arabica omitto, ſolam verſionem ponens) "*forma* شكلة *ſignificat qualitatem rubedinis* „*ſuffuſam albedini oculi, indeque* شكلاء *oculus rubicundus iſta rubedi-* „*ne ſuffuſus itemque vir rubicundus oculum,* (أشكل العين) *quin* „*et ſanguis* أشكل *vocatur cum in eo albedo et rubedo conſpiciuntur.* „*Abſolute etiam auctore Ibn Doreid ſic appellatus ſanguis ob rubedinem* „*et albedinem in eo confuſam.*" — — Jam pergit Schultenſius: *eadem*

omnia valent ad חכלה, *nam, ut dixi,* حكل *et* شكل *communem tenent ditionem.* Hoc utinam certum esset! egregie enim apta locis Hebraicis significatio, ea ipsa, quam pagina praecedente num. 2. posui: sed Schultensio sine teste dicenti credere non ausim. Lexicographos Arabum dicit, per شكل explicare: evolve Golium, qui ipse sua ex Geuhar sumsit, invenies p. 638. حكل *IV et VIII. idem quod* اشكل, *obscura et dubia fuit res:* hanc ergo unam verbi شكل significationem habere verbum حكل dicebat lexicographus, non reliquas omnes. Quod si plus hic Golio habebat Geuharius, si verbum حكل omnia significare tradebat, quae شكل, (quod quidem in duobus verbis a stirpe non cognatis vix verisimile) cur non integra Geuharii verba nobis dedit Schultensius? Quid erat, cur eorum loco ea, quae de شكل habet Geuharius Arabicis literis describeret, quorum ei gratiam facturi erant lectores, quippe ipso Golio de شكل non haec solum, sed et majore copia alia plura dante? Ergo, donec aliis testibus, aut certis exemplis, probetur حكل ea significare omnia, quae شكل, quantumvis grata sit significatio et apta, dubitemus.

Quod si vero ut certum sumere liceat, حكل et شكل plane esse in omnibus significationibus synonyma, incertiores prope facti sumus: omnes enim, quas ex veteribus attuli significationes, ex eodem verbo confirmari possint. *Livorem* vis? شكل est, *nigrescere coepit et maturescere uva: — — pulcritudinem?* شكلت, *fastosa gratia fuit mulier.*

Ignoscant lectores, quod incertiores forte eos, quam venerant, dimitto. Dubitatio via ad verum inveniendum. Valde cupio Schultensiano invento, sed nihil cupide statuere ausim, nec verisimile שכל et חכל per omnes significationes synonyma esse.

חכם *sapiens fuit*, cum derivatis, *magus*, et חָכְמָה *judicium.*

Receptam in lexica, atque in vulgus notam *sapientiae* significationem, verbo ejusque derivatis nemo negaverit: unde ea orta, quod primum sit vocis etymon, equidem non inquisiverim, nihil enim certi paret. Albertus quidem Schultensius volebat, primam vim verbi in *soliditate* esse, (neutiquam, ut male eum intellexit Simonis, in fraenando et capistrando, quod enim חכמה Prov. X, 13. *fraenationem* vertebat, ipsi secundarium erat, non primarium) nempe, quod حكم inter alia sit, *firmiter solideque fecit aliquid.* Pro arbitrio ille quidem, *firmum* enim *solidumque facere* potuit et ipsum a sapientia dici. Hanc ergo quaestionem mittamus, obscuram et inutilem. At haec notanda arbitror, lexicographis praetermissa.

1) *sapiens* de *mago* quoque et *incantatore* poni solet, qui plus sapere reliquis mortalibus videtur: Chaldaeis חַכִּים *magus*, vide Buxtorfium. Sic ergo et participium מְחֻכָּם acceperim Ps. LVIII, 6. de incantatore *artis suae peritissimo*: חובר חברים מחכם *peritus magiae, vel componens carmina magica, peritissimus.* Syrus ibi ipsissimum nomen, quod Chaldaeis magum significat, posuit, ܩܠܐ ܕܡܚܪܫܢܐ ܘܕܡܫܒܥܢܐ ܘܕܚܟܝܡܐ *vocem incancatoris et exorcistae, et magi*, ex quo Arabs Antiochenus, (sed aliis punctis literarum diacriticis instruendus, quam quae Gabriel Sionita illis addidit) *non audit vocem* الراقي (*) يسحر سحرا افضل من الحكيم *incantatoris qui praestigias facit, praestantissimi ex sapientibus.*

2) A sapientia Arabibus حكم et est, *judicare*, حُكْم *judicium*, حَكَم *judex:* hinc חָכְמוֹת, seu, ut malim punctari, חָכְמוֹת, *judi-*

(*) نسحر ediderat Gabriel Sionita, ad serpentem referens, qui incantatorem decipiat, Hebraicis Syriacisque contrarie.

judicium, Prov. XXIV, 7. *gluten* (*) *eſt ſtulto* (i. e. malo) *judicium*, (os illi occludit, ut eloqui non audeat, malefactorum confuſus conſcientia) cui explicationi concinit, quod ſtatim ſequitur, *in porta* (qui locus eſt judicii) *non aperit os ſuum*. Vide verſ. germ. Eodem et refero, Job. IV, 21. ימותו ולא בחכמה, *moriuntur, ſed non judicio*, i. e. moriuntur forte fortuna, nullo delectu, nullo judicio divino.

3) a ſapientia حكم Arabibus eſt et, *regere*, deinde ſpeciatim *regere equum*, unde capiſtrum حَكَمَة vocant: quod ad Prov. X, 13. transtuliſſe ſupra dixi Schultenſium, ac vertiſſe, *in labiis prudentis eſt fraenatio*: hic vero *ſapientiae* vulgatam notionem multo mihi videri concinniorem profiteor, diſplicere *fraenum*. Sed id quisque ſuo pulcri guſtu aeſtimet: id certum, ſapientiam ita aptam, ut rariore et inſolentiore ſignificatione non opus videatur eſſe.

חֶלְאָה *rubigo* cupri Ez. XXIV, 6. 11. 12.

In rariſſimo vocabulo, linguisque orientalibus reliquis ignoto, dubitare adhuc video lexicographos, atque plura congerere, quod non facturi erant, ſi rei metallicae peritum interrogaſſent. Is quidem ex illo eos orationis docuiſſet, quam ex Vulgata lexico ſuo intulit Reuchlinus, *rubiginis*, notionem, a LXX primo proditam (ἰὸς) unice veram eſſe: haec enim ita depelli ſolet ut cuprum candefactum aqua mergatur, quod ubi factum, ſquamarum inſtar a cupro decidit, (*cinerem cupri* has ſquamas vocant:) ſolo ſi igne utaris, candefaciasque cuprum, non ſquamae quidem formam accipit, ſed tamen deteri poteſt. Jam et manifeſta derivatio a خَلَأَ *deterere*.

Chaldaeus, rei credo metallicae ignoratione, latiore uſus vocabulo *impuritatem* (וְזוֹהֲמַתְּפָא) vertit, idque in ſuum lexicon recepit Kimchius,

(*) vide lex. ſub ראם.

chius, in plura inde manaturum. ܠܘܚܐ Syrus reddidit, obscuro hucusque vocabulo.

Caeterum cave cum ea confundas cupri aerugine, quam nos *Grünspan*, vocamus, *vers de gris*, Galli: haec enim candefaciendo plane depelli non potest, sed liquefaciendo, difficiliusque adeo cupro liquescit. *Aerugo*, *Grünspan*, ex acido vegetabili oritur, *rubigo* cupri proprie sic dicta, ex aëre humido, cui cuprum diu expositum. Proprie sic dicta cupri rubigo (Kupfer-rost) et vomitus ciet, aeque ut aerugo, (*Grünspan*) et cuprum sensim exedit, fossulis dehiscentibus.

Vide et notas ad versionem germanicam, ubi haec linguae germanicae ope distinctius dici potuerunt, quam latine fieri potest.

חֵלֶב *donum? ungues?*

חֵלֶב *pinguedinem*, *adipem* esse, dubio caret. At, *adeps vini*, displicens auribus nostris phrasis: quaeri ergo possit, aeque ut Chaldaicum Syriacumque דִּשְׁנָא (*pingue*) *muneris* quoque et *doni* significationem obtinuerit? Eximie illa apta locis Num. XVIII, 12. כל חלב יצהר וכל חלב תירוש *omne donum olei, et omne donum vini, quod Israelitae offerent Jehovae, tuum erit:* et v. 29. ubi מכל חלבו idem est in membro posteriore, quod in priore מכל מתנותיכם. Nihil adfirmo, sed ex analogia linguae Aramaeae conjecturam faciens, interrogo.

خُلْب *ungues sunt ferae rapacis, aquilae,* &c. Possitne, (et haec interrogans scribo, non adfirmans) ad locum obscurum Ps. XVII, 10. transferri, mutatis paulisper vocalibus, חֻלְבָמוֹ סָגְרוּ פִּימוֹ *unguibus suis pugnant, invalescunt.*

חלבון Ezech. XXVII, 18. *Chalybon. Aleppo?* Graecis *Beroea?*

Damasco Tyrum deferri dicitur יין חלבון, *vinum Chelbon*, quod, recte ut opinor pro nomine proprio habuerunt urbis vel regionis vini generosi feracis, LXX. οἶνος ἐκ χελβῶν (*), Aquila, Theodotion, atque ex varia editione Symmachus (**) (χαλβάνη). Haec quidem quae חלבון sit, egregie docuit Bochartus hieroz. T. I. p. 485. 486. Chalybonem Syriae Seleucidis, cujus vinum olim Persiae regibus allatum sit. Strabonem testem citat, qui libr. XV. p. 1068. (al. 735.) de Persarum regibus, *per opulentiam in luxum prolapsi sunt*, ὥστε πυρὸν μὲν ἐξ Ἄσσου τῆς Αἰολίδος μετήεσαν, οἶνον δὲ ἐκ Συρίας τὸν Χαλυβώνιον, *ut triticum advehi sibi juberent Asso Aeolidis, vinum ex Syria Chalybonium.* Nempe Χαλυβὼν urbs erat, a qua tota circumjecta regio Χαλυβωνῖτις dicta: vide Ptolemaeum p. 139.

Est vero hic de quaestione dicendum geographica, quam vel summi viri attigerunt, dubitans, ut solet, Cellarius, nihilque dubitans d'An-

(*) Quod loco ejus habet codex Alexandrinus, χεβρῶν, *vinum Hebronis*, manifestus error librarii Aegyptii, Chalybonem urbem ignorantis, deque Hebrona cogitantis, Aegypto vicina, ex qua nunc quidem mel uvarum, olim et vinum generosius magna copia Aegyptiis advehebatur. Error inquam manifestus; Hebronense enim vinum non Damasceni, sed Judaei Tyriis vendituri erant. - - Male et Arabs, geographiae ignorantia, χ Graeco ut ش adpellato, شلبون dedit.

(**) Hieronymus ad h. l. Symmachum tradit, *vinum pingue*, interpretatum esse: contra Polychronius et Theodoretus, eum χαλβάνην dedisse: verisimillime suspicante Montfauconium, alterum ex his correctionem ipsius esse Symmachi, quae scripserat alicubi mutare et emendare soliti.

d'Anvillius, ſibi invicem contrarii: quos inter forte media errat veritas, dubitationi Cellarianae propior.

Aleppo, *Haleb*, nobiliſſima noſtro tempore Syriae civitas, in d'Anvillii tabulis Euphratis et Tigridis ſub gradu latitudinis 35′ 45″, ſecundum Abulfedam (p. 61. Syriae) 35′ 50′ cum nomen habeat, dempta terminatione iisdem literis ſcriptum, ܚܠܒ Syris (*), حلب Arabibus (**), veriſimillimum aliis, aliis plane certum viſum eſt, Chalibonem hanc ipſam Aleppam eſſe, idque d'Anvillius, magnum geographis nomen, ita habuit certum, ut in Tigridis et Euphratis tabula, ſub eo quem memoravi gradu, poneret, *Haleb*, *Chalybon.*

At dubium hoc viſum Cellario, T. II. geographiae antiquae, p. 433. *Chalybonitidis*, inquit, *caput*, *Chalybon*, *ita locavit Ptolemaeus ut latitudinem habeat XXXV graduum* (***); -- *quae ſi recte poſita, multo auſtralior urbs Chalybon fuit, quam hodie eſt emporium Aleppo, ac medio aevo*, χάλεπ, *quod tamen nomen ex Chalybon deductum pravatione eſſe, atque ſic eandem urbem Chalybonem et Aleppo*, *ſunt*, *qui perſuaſi nominis propinquitate non dubitant.* De nominis depravatione, noſtro quidem ſi tempore viveret, compertumque haberet, nomen Arabice حلب eſſe, ea ſcripturus non erat, quae ſcripſit: bene gnarus ח et ح ab exteris, hanc literam gutturalem non habentibus, Graecis maxime et Gallis, jam *Cha* ſcribi, jam *Ha*, atque etiam plane omiſſa litera, A. P pro B in fine poſitum, ubi utriusque literae prope

(*) Vide indicem geographicum eccleſiarum monophyſiticarum in Aſſemani T. II. bibliothecae Orientalis, ſub: *Alepus.*

(**) Abulfeda p. 118. Syriae, et Nubienſis, climatis quarti ſectione quinta (Arabici textus pagina, ab initio ejus ſectionis, quinta).

(***) Nempe in tabula quarta Aſiae, inque textu graeco, p. 138. λε: manifeſtum enim vitium quod latina habet verſio, 34′ 0″.

pe idem sonus, quis depravationem nominis dixerit? Ego quidem *Aleb* et *Alep* adpellando distinguere possum; sed magno pignore certaverim, Cellarii, Smalcaldiae nati, *Aleb* et *Alep* sono prorsus idem fuisse. Nec multum momenti facit, quod sub 35 gradu posuit Ptolemaeus: minus enim est in gradibus adcuratus, talesque ac multo graviores errores centies centiesque committit, idque inde, quod gradus plerumque a veteribus non mensurarentur, sed aestimarentur, deinde, quod in mensurandis gradibus latitudinis fallaci saepe mensura uterentur, horis dierum solstitialium, non computata, quae 12 ad 15 minuta per diem facit, refractione radiorum solis. Sed gravius, quod relativo etiam situ locorum Chalybon Ptolemaei australior est, parallela fere Apameae et Chalcidi, quae sunt sine dubio Aleppa nostra australiores. Reliquis autem gravius omnibus, alio loco dubitatum Cellario, sed non satis expositum distincte, quod, cum ex plerorumque sententia Aleppa sit Beroea Graecorum, haec ipsa Beroea Ptolemaeo primo a Chalybone diversa (id monuit Cellarius) deinde sub eadem fere sit latitudine, sub qua Aleppa Arabibus, decem modo minutorum discrimine: Aleppa enim Abulfedae sub latit. 35′ 50″, Beroea Ptolemaeo sub 36 perfecte.

Haec expediri forte omnia, ac plura etiam a geographis quaesita, possunt, solo duce *Richardo Pocokio*, ex cujus itinerario Syriae §. 245. 246. 250. editionis germanicae, (p. 148. 151 Anglicae) duas urbes Syriae eodem, *Aleppo*, nomine vocari discimus: eam quae nostro tempore principatum tenet urbium Syriae, *Aleppam novam*; ac Kennesrin (قنسرين) *Aleppam veterem*. Non equidem memini id me apud quemquam geographorum Arabum legere, utramque tamen urbem quodammodo conjungit Abulfeda p. 117. *in initio Islamismi Kennesrin statio erat militum*, (i. e. metropolis) ولم يكن لحلب معها ذكر *nec Aleppa eo tempore cum ea memoratur*,

et

et paulo post ex Ibn-Said: *Kennesrin fuit urbs primaria praefecturae alicujus Syriae, sed postea imminuta et desolata crescente Alepa, atque nunc exiguus vicus.* Ea quoque Syriae pars, quae Arabibus *praefectura Kennesrin* (جند قنسرين) vocatur, Graecis erat, ipsique Ptolemaeo, Chalybonitis.

Duplex ergo Aleppo (حَلَبْ) cum sit, australior et borealior, altera etiam ex his a Graecis Beroea dicta, omnes graduum mensurae plus etiam, quam speraveris, in concordiam redeunt.

1) *australis* et vetus Aleppa erit Kennesrin, olim nobilior et metropolis provinciae, Chalybon Ptolemaei sub ipso gradu 35, sed in cujus situ definiendo nihil erroris admissum a Ptolemaeo, quis tam vecors est, ut sperare ausit? D'Anvillius eam habet sub lat. circiter $35\frac{1}{2}$ nec ipse ab erroris periculo immunis, quis enim mathematice mensus est? Id unum, eam inter et Aleppam borealem 12 milliaria Gallica interesse, dicit Pocokius, §. 246. itinerum statim ab initio. Idem ex conjectura vult, Chalcidem esse Kennesrin, sed hanc ei conjecturam relinquamus propriam, cum in ipsa Ptolemaei tabula *Chalcis* quidem et *Chalybon* vicinae sint, sed non eaedem, diversarum etiam regionum metropoles, *Chalybonitidis* et *Chalciditices*. In his, quae vidit, seque vidisse testatur, Pocokius, lubens eum sequor, non in conjecturis, antiquaeque geographiae comparatione, in qua saepe male versatus est, lectorique adeo molestus, quod quae conjicit, aut ex veteribus collegit, ab his non satis distinguit, quae ipse vidit.

2) *borealis*, nostro tempore nobilissima Syriae totius metropolis, *Aleppo*, Ptolemaeo *Beroea*, quam sub 36 gradu posuit. Alia tamen ratione in positione urbis peccavit sine dubio: gradum ei latitudinis dat fere eundem, quem Arabes, sed nimis prope ab Hie-

ropoli, (Syris Mabug et Manbeg dicta) locum ei assignavit: a qua ad Aleppam tres stationes esse tradit Nubiensis pag. 198. (versionis latinae). Nempe in Hierapolis situ peccatum a Ptolemaeo, ut ejus tabulam cum Pocokiana et d'Anvilliana comparans intelliges.

Jam et puto de quaestione, Cellario aliisque dubia visa, sitne Aleppo Beroea Graecorum? paulo certius responderi posse arbitror. Est quidem, si quid unquam in geographia, certum: Graecos Cellarius pag. 430. tomi secundi citabat, sententiae auctores; sed post ea graviores accesserunt testes, quorum scripta ejus tempore nondum edita, Syri, eandem urbem promiscue ܚܠܒ et ܒܪܘܐ vocantes. Vide Assemani indicem geogr. in dissertatione de Monophysitis, tomo secundo bibliothecae Orientalis praemissa. Vide inprimis vitam Barhebraei, chrestomathiae Syr. pag. 99. ubi ipse Barhebraeus, summus historicus, atque Syriae indigena, Aleppam ܒܪܘܐ vocat. Res ita vulgata Orientalibus, ut Berrhoeam quoque Macedoniae, translato Aleppae nomine, حَلَب الغَرْبِيَّة *Aleppam occidentalem* vocent. Sic Arabs Polyglottorum Act. XVII, 10. 13. Erpenianusque simpliciter حلب. Nec jam opponi potest, quod olim opponebant, Ptolemaeum distinguere Chalybonem et Beroeam, ipsa enim ejus Beroea nostra Aleppa.

Quaeri forte curiosius possit, qua de Aleppa, nostra, an Kinnesrin, Ezechielis חלבון accipiam? Optio inter utramque urbem si necessaria, nostram intelligerem, ob terminationem ון nomini adjectam, quae Syris est diminutiva, *parva Aleppa:* quo tempore enim scripsit Ezechiel, ac diu quoque post, vetus Aleppa, Chalybon, praevaluit, provinciaeque caput fuit, Beroea adhuc parva. At prope inutilibus quaestionibus hanc adnumeraverim, *vinum* enim *Chalybonis* legens, non urbem intelligo, sed totam regionem, cujus utraque fuit.

Est

Eſt et de his dicendum, qui geographiae ignorantia, pro nomine adpellativo habuerunt

1) *pingue vinum* interpretati ſunt, Syrus, Symmachus, (λιπαρὸν) Vulgata, ad חֵלֶב adipem referentes, eoque nomine Menachem, ut tradit Raſchius, optimum vinum intelligebat, collata phraſi חלב חטים, *adeps tritici*. Mirari poſſis, in his geographiae Syriae ignaris ipſum comparere Syrum: ſed verſio Syriaca Edeſſae mihi facta videtur, qua in urbe Hebraice doctus geographiae Syriae ad Orontem parum peritus eſſe poterat.

2) Chaldaeus, חמר חִילַת מְבַשַּׁל *vinum dulce coctum*, ejusque ſequax, (ne Breithauptio quidem, editori et interpreti latino, intellectus) Raſchi, יין לבן מבשל, *vinum candens coctum*. Nempe dulcia vina, igne cocta, quae calentia bibuntur, intelligebant, nomen ex חָלִי *dulcis* (Arab. حلو) et לבן *candere* componentes: abſurde, calentia enim et uſta vina quis Damaſco Tyrum perferat?

חלבנה Exod. XXX, 34. *galbanum*.

Ἅπαξ λεγόμενον, quod Samaritanus textus חלבניה ſcribit, (nempe ex linguae Samaritanae atque Aramaeae analogia) pro *galbano* plerumque habitum: ſed antequam ad rem accedamus de derivatione dici neceſſe eſt, in qua ipſe adhaeſit Celſius hierobotanici T. I. p. 267. a pinguedine ductum nomen exiſtimans. Atqui multo ſe melior, a חָלָב *lacte*, offerebat. Nempe quidquid ſit חלבנה galbanum, an aliud quid, id quidem ab omnibus ſumitur, genus aliquod *gummi* eſſe, quod lac vocare arborum fruticumve poſſis, nec poſſis modo, ſed ܚܠܒܐ *lac*, Syris pro *gummi* ponitur, e. g. ܚܠܒܐ ܕܥܪܒܝܐ *gummi Arabicum* ܚܠܒܐ ܕܒܣ̈ܡܐ (lac aromatis) *balſamum* &c. Nun forte ex nomine duas radicales communes cum חלב habente, לבן, acceſſerit: ſed de hoc deinde. Habent nomen חלבנה linguae

guae Aramaeae omnes, et pro noſtro reponunt, Chald. חלבנתא, Syr. ܚܠܒܢܝܬܐ, Sam. חלבניה, quin et aliquoties Thalmudica, ſed de his Aramaeis nominibus non plus certi habemus, quam de Hebraico. Prorſus ignotum eſt linguae Arabicae, (uni illi linguarum Orientalium, ex qua plurimum opis hiſtoriae naturali) ipſumque galbanum aliis omnino nominibus Arabes vocant, قِنَّة a foedo odore, et Perſico بَارْزَد.

Χαλβάνην, *galbanum* verterunt LXX et Vulgata, veriſimillime quidem, videtur enim ipſum nomen graecum ex orientali ortum, Phoenicibus galbanum ad Graecos perferentibus. Fuit ergo prope ab omnibus receptum. Eſt autem galbanum gummi ſeu reſina male olens, ferulae galbaniferae, cujus nomen orientale nondum novimus, initio coloris albidi, unde ex חלב *gummi* et לָבָן *albus* recte dici potuit. Vetus flaveſcit, albicantibus tamen maculis diſtinctum. Plantae delineationem dedit *Nicolaus Joſephus Jaquin* in *horti Vindobonenſis* Tomo III. tab. 36. deſcriptionem galbani, i. e. gummi hujus plantae, invenies in illuſtris Jo. Andreae Murray adparatu medicaminum Vol. I. pag. 262–266.

Hebraica legens, non poterit non חלבן סמים conſtruere, ut fecerunt LXX χαλβάνην ἡδυσμοῦ, et Vulg. *galbanum boni odoris* (*), in hoc uno peccantes, quod galbanum *boni* voluerunt eſſe odoris, cum aliud detur nullum quam, ſic dictum, graveolens. Nempe סם eſt mediae ſigni-

(*) Oppoſuerunt verſioni accentuum auctoritatem, ex qua utrumque nomen divellendum, vertendumque ſit: – – *galbanum*: *haec inquam aromata*. Accentuum quidem, nimis recentium, in explicando Moſe nulla auctoritas: nec fert hanc explicationem grammatica, ex cujus legibus, *haec aromata*, cum He articuli הסמים ſcribendum fuiſſet, ſive adeo הסמים האלה.

ſignificationis, et *virus* et *medicinam* complectens, ut in Chaldaico סמא דמותא *venenum mortiferum*, et סם חיין *medicamentum praeſentiſſimum*; Arabibusque شم cum derivatis generatim de omni odore ponitur. Vertendum ergo potius erat, *galbanum acris odoris*, quod nemine ex his, qui locum tractarunt, vidiſſe miror. Caeterum cur graveolens galbanum ſuffitui ſacro mixtum fuerit, plures quaeſiverunt, miraque illis res viſa: utinam vero ante omnia experimentum rei feciſſent, ſitue reliquis odoribus mixtum ingratum? ſaepe enim accidere ſolet et in odore et ſapore, ut graveolentia admixta (ipſa adeo aſa foetida) aliquid dent elaborati ſaporis ac luxus. Verum ſi eſt, quod tradit Plinius, *ſincerum ſi uratur, fugare nidore ſerpentes*, (hiſt. nat. libr. XII. §. 56.) itemque *culices galbano fugari accenſo* (XIX. §. 58.) haec una cauſſa ſuffecerit: niſi enim perpetuo Deus miraculo occurreret, verendum, ne aliquando per tot ſecula ſerpens irreperet in tabernaculum, morderetque ſacerdotem, in ſuperſtitionem verſuro populo. Ne autem et mihi objici poſſit, quod aliis vitio verti, me quoque neglexiſſe, odoris galbani experimentum facere, feci, nec ſolus, veritus, ne meo ſenſu ſtare lectores velint, guſtus enim ut linguae ita et narium diverſi, ſed ſocio adhibito pharmacopola Goettingenſi docto et inſigniore, (Jordan) qui et ipſe ſpecies, ut haberi poterant optimas et integerrimas, ex larga penu ſuppeditavit, non ſolis aegrotis, ſed et naturalis hiſtoriae ſtudio collecta. Omnes ſpecies ſuffitus ſacri a Moſe memoratae cum haberi non poſſent, primo tribus partibus thuris et myrrhae addidimus unam galbani: minime ingratus odor! deinde tribus thuris partibus unam galbani; gratior etiam et ad noſtra ſuffimenta proxime accedens, nec tamen dulcis. Dulces et ſvaves odores captaſſe veteres videntur, qui graveolens galbanum vocant.

Soli hic a communi ſententia ſeceſſionem faciunt duo Arabes, *gummi-ſtyracis*, ſeu, ut illi ſcribunt, *ſtyracem gummi habentes*, Saadias لُبْنَي صَمُوغا, Erpenianusque مَيْعَة صموغا. Sic compoſitum nomen foret ex חֲלֵב *gummi*, et לְבֹנָה *ſtyrax*. Ejusdem cum galbano climatis ſtyrax et ferula galbanifera, male olentibus quoque a veteribus annumeratur, Plinioque et ſerpentes fugare dicitur, (vide infra ſub לבנה dicenda) ſtyracem inſuper et galbanum Plinius conjunxit, ut ſimilia, libr. XII. hiſt. nat. §. 55. 56. Confunderuntne Arabici interpretes? an vere diſſenſerunt? His quidem, qui nunc ſuffimenta parant, gummi ſtyracis praeplaciturum videtur, quippe cujus frequens illis in ſuffimentis uſus: quamquam hoc gummi ſtyracis officinarum pleruinque non verum eſt, ſed ex aliis ſpeciebus compoſitum, odore tamen, quantum explorare potui, vero ſtyracis gummi ſatis ſimile. Ipſum verum ſtyracis gummi nactus igni impoſui: non ſvavis quidem ac dulcis, nec tamen diſpliceus odor. Admiſcui unam ſtyracis partem tribus thuris, talis prope odor, qualis ſuffimentorum noſtrorum ex officinis emi ſolitorum, niſi quod haec ſaepe dulcia admixta habent, aliorum naribus perquam moleſta, et quibus carere mallent. Mihi quidem conſveta ſententia, manifeſto concentu Graeci χαλβόνη nixa, verior videtur; nec tamen diſſimulanda duxi, quae homines in ipſa Africa nati, utriusque et plantae et gummi patria, ſcripſerunt.

Egit de חלבנה in ſuo Hierobotanico Celſius T. I. 267. ſed ita, ut ſatis largi mihi ſpicilegii locum reliquerit: non eum compilavi, velimque ab his legi, qui de חלבנה anquirunt. Diſcent et auctores de eo agentes, quos hanc ipſam ob cauſſam non nominavi, quod a Celſio jam ſunt indicati.

חָלַד et חֶלֶד

Verbum cum derivatis, et magna significationum copia, et multa aut varietate lectionis, aut certe suspicionibus de lectionis integritate impeditum, unde et necesse fuit, non pauca huic loco servare, quae ad חרל pag. 674 pertinent, dubia lectione. Ante omnia enotemus, quid reliquis Orientis dialectis significet, eo deinde usuri. Ergo

Syris quidem ܚܠܕ est

1) *fodit*, indeque

2) *serpsit*, *repsit*, *irrepsit*, Deuteron. XXXII, 24. ܚܘܘܬܐ ܕܚܠܕܝܢ ܒܥܦܪܐ pro חלי עפר, et 2 Tim. III, 6. *εἰσδύνοντες εἰς τὰς οἰκίας*, ܕܡܚܠܕܝܢ ܒܝܬ ܒܬ̈ܐ unde et lacertae speciem ܚܠܕܐ dixerunt, Levit. XXI, 30. quod ideo moneo, quia in lexico Syriaco praetermissum, locusque male pro talpa citatur.

3) A fodiendo transfertur etiam ad *morbos erodentes*, peculiariter, *gangraenam*, quae ܚܠܕܝܬܐ. Sic 2 Tim. II, 17. *ὁ λόγος αὐτῶν ὡς γάγγραινα νομὴν ἕξει* ܘܡܠܬܗܘܢ ܐܝܟ ܚܠܕܝܬܐ ܢܘܡܬܐ ܬܐܚܘܕ, itemque

4) apud Chaldaeos ad *rubiginem*, metalla erodentem atque *putrefactionem*.

Harum quidem significationum nihil habet Arabia praeter خُلْد et خَلَدَة *talpam*, a fodiendo dictam, sed quod nomen et aliis literis كُلْد scribitur, a كَلَدَ *accumulavit*, et خَلَدَة *inauris*, ab auris perforatione. Radicum quas hic quaerere fas est, alteram حلد Arabia plane non habet, contra

5) خلد *perennavit*, frequentissimum illi verbum est, innumeris Corani locis de vita in paradiso aeterna positum, خالدون فيها *aeternum degent in illis* (hortis) unde et plerumque adnexam

xam sibi felicitatis notionem habet. Hinc illis et خُلْد *aeternitas*, peculiariter, *beata*, et maxime, الجزاير الخالدات, *insulae fortunatae*, quas beatorum animis immortalibus mythologia habitandas dedit. Forte et huc referendum, quod animus خَلَد dicitur, i. e. *immortalis*, *aeternus*.

Quomodo contigerit, ut tam diversas significationes Arabes Aramaeique iisdem literis subjecerint, difficile dictu: suspicor equidem, Aramaeas significationes ad Arabicum حلد quod nobis periit, referendas esse, ipsumque خُلْد *talpa*, et خَلَدة *inauris*, librariorum ac lexicographorum errore cum puncto scribi, pro حُلْد et حَلَدة: puncta literarum diacritica saepe male posita jam in grammatica Arabica monitum, §. 2. num. 12. 13. 14. Sed hoc utcunque sit, Aramaeas jam et Arabicas significationes ad Hebraica transferamus. Latissime quidem regnare videtur Arabica, sed cujus loco veteres aliquoties Syriaca uti maluerunt.

1) Verbum quidem חָלַד in codice, qualem a masorethis habemus nuspiam legitur: suspicor tamen, aut potius ex filo orationis prope certum habeo, Ps. XLIX, 9. legendum וחלד לעולם Arabica verbi significatione (n. 5.) non dabitur deo lytrum vitae ejus, *ut perennis sit in aeternum*, i. e. aeternum vivat: vulgatum enim וחדל לעולם *et cessat aeternum*, orationis filum nimis abrumpit. Adscribo integra verba, אח in אך quinque codicum Kennicottianorum auctoritate mutato, mutatis et alicubi punctis masorethicis: אַךְ לֹא פָּדֹה יִפְדֶּה אִישׁ לֹא יִתֵּן לֵאלהים כפרו וְיֵקַר פדיון נפשם וְחָלַד לְעולם ויחי עוד לא יראה השחת *profecto non redemit* (magnitudo divitiarum, עֹשֶׁר v. 7.) *non redimet virum*, *nec dabitur deo lytrum ejus*, *pretium redemtionis vitae ipsorum*, *ut perennet in seculum*, *vivatque in aeternum nec videat* *sepul-*

sepulcrum. Nullus codex Kennicottianus, id est, nullus duobus annorum millibus post Davidem scriptus, conjecturae suffragatus est: et tamen difficile mihi, eam abdicare.

Possis et, mutatis punctis ad verbum referre Ps. XVII, 14. מֵחֶלֶד חלקם בחיים, *quorum portio stabilis et beata est in hac vita.*

2) חֶלֶד *aetas, vita hominis* Ps. XXXIX, 6. חֶלְדִּי *duratio mea est ut nihilum coram te.* LXX. ὑπόστασίς μου, i. e. exsistentia mea, Syrus ܩܘܡܝ *duratio mea,* Hieronymus, *vita mea.* — — Huc et ex lectione, sed dubia, unius codicis Kennicottiani (201. Norimbergensis, praestantissimi) referendum Ps. LXXXIX, 48. *recordare, quae sit aetas mea,* i. e. quam brevis: quin et consvetam lectionem sic explicat Kimchius in lexico מה זמני *quod sit tempus meum.* Abenezra quoque ad hunc psalmum חדל vel חלד seculum interpretatur, de diuturnitate ejus, in quo jam versantur Judaei, exsilii intelligens, construens זכר מה אני ומה חלדי, *recordare, quis ego sim, et quod sit seculum meum,* quam diu maneam in exsilio. Ergo et hic videtur חלדי legisse.

3) חֶלֶד *mundus,* proprie, *seculum, perennitas:* Ps. XLIX, 2. יושבי חלד *incolae mundi,* si modo vera lectio: cum enim totus psalmus de fluxo et inani agat bonorum hujus mundi, mallem prope legere חדל *incolae mundi caduci ac fluxi,* ut est Jes. XXXVIII, 11. conjecturamque firmavit unus ex codicibus Kennicottianis, sed eximius, 205, Aleppa adlatus. Possit tamen et receptae lectionis ratio reddi: poetam contemtim mundum חלד, *perennitatem, aeternitatem,* dicere, aliqua ambiguitate vocis, cum allusione ad eam, quam quarto loco posuimus, significationem, *rubiginis, putrefactionis, corruptionis,* eodem jam nomine et *aeternum,* et *labile ac fluxum* saeculum significaturo.

Huc et plerumque referunt Pſ. XVII, 14. ſic conſtruentes, מְתִים מֵחֶלֶד *homines ex hoc mundo*: ſed malim cum ſequentibus conſtructum ad notionem perennitatis ac felicitatis referre, ſive ſecundum puncta, *de felicitate portio ipſorum in hac vita eſt*, ſive ut ſupra p. 759. legi, מְחֻלָּד *ſtabilis eſt portio eorum* &c.

Mundum his locis intellexerunt, Pſ. 49. Graeci *οἰκουμένην*, Syrus et Chaldaeus ארעא *terram* vertentes, et Pſ. 17. LXX *ἀπὸ γῆς*, Chald. בארעא. Manifeſtum, ubi *terram* interpretantur, eam paraphraſtice pro mundo poni.

4) חֶלֶד *ipſa beata et immortalis poſt mortem vita.* Sic, plane ex uſu notiſſimo Arabum accipi videtur Job. XI, 17. ומצהרים יקום חלד *poſt meridiem erit beata aeternitas, avolabis* (trans mare navigabis) *et mane erit.* Vide verſionem germanicam, eique additas notas. Nempe, *meridies*, imago aeſtuum et malorum, quibus Jobus urebatur, tranavigabit ad inſulas beatorum, ibique novo mane aeterna fruetur felicitate. Sic ego olim in verſione germanica, praeierantque, quos non inſpexeram, LXX. *ἐκ τῆς μεσεμβρίας ἀνατελεῖ σου ζωή*, forte ipſi, quid ſcriberent, non intelligentes, ſed mechanice vertentes.

Dubiam tamen mihi fecit explicationem, quod non ſatis apta oppoſitio *meridiem* inter *aeſtumque diei*, et, *beatam immortalitatem*: veſperam potius jucundo frigore, exſpectaſſem, aut noctem quietam. Illam veſperam, offerebat Vulgata, alia quidem conſtructione, *quaſi meridianus fulgor conſurget tibi ad veſperam*: veſpera interpretis tamen uti potuiſſem, modo חלד hanc ſignificationem haberet, at eſt linguis Orientalibus plane ignota, Hieronymique, multa hic errantis commentum, ut num. 9. videbimus. Poteram ergo cum Dreslero (*), olim in ipſo Jobo explicando meo auditore, emendare, *meridie illuſtrior beata*

(*) in *Erläuterungen einiger Stellen Hiobs* Herborn. 1773.

beata surget immortalitas: sed ne haec quidem comparatio mihi satisfecit. Licetne lectoribus, non certam quidem sententiam, sed conjecturam offerre philologicam? quid si

5) חלד hoc loco sit, *corruptio*, *putrefactio*, ex 3 et 4ta significatione Aramaea? Arabibus صوح *sepulcrum*: quid si ergo mutatis vocalibus lectum, ומצהרים יקום חלד, interpreteris, *atque ex sepulcris surget putrefactio?* i. e. *putrefactam corpus e sepulcro surget*. Praeivit sententiae partem Chaldaeus: *et post meridiem* יקום גושמך דהלך בגרגר שתא *surget corpus tuum, quod abiit in glebam.*

6) Ad Aramaeas sine dubio significationes referendum חלד Levit. XI, 29. sive *mustela* sit, ut voluerunt veteres, sive *talpa*, ut interpretatus est Bochartus, postque eum fere omnes, lingua Syriaca et Arabica duce, cui ܚܘܠܕܐ et خُلْد sine dubio talpa est, aliisque usus argumentis. Vide illum P. I. Hierozoici libri III. c. 35. *Talpa* si est, ut equidem reor, a *fodiendo* (n. 1.) dicta: sin mustela, quem significatum in scriptis Thalmudicis non prorsus vocabulo abjudicat Bochartus, ab *irrependo*. (n. 2.)

7) At loco difficili Ps. LXXXIX, 48. quid faciemus, זכר אני מה חלד? Conjeceram olim, legendum חדל *recordare, quam caducus sim*, ac suffragantur duo codices Kennicottiani, 17. et 301. ex quibus prior multis nobilitatus est lectionibus insignibus: aliam etiam lectionem variam מה חלדי supra sub חלד *aetas* explicui. Nec tamen consveta sensu cassa, possit enim ex secunda significatione Aramaea esse, *quam repens*, i. e. *quam humilis ego sim*: aut ex tertia, *quam erosus, quam confectus morbo ego sim.*

Praeter significationes, quas veras existimo, et aliae enotandae, quas veteres in versionibus commentariisque subinde habent, earumque reddenda ratio. Ergo

8) Raschius ad Ps. XVII, 14. *senectam* interpretatur, sic dictam a חלודה *ruga*, hoc sensu, *qui moriuntur in senectute*: sic et Ps. XXXIX, 6. atque LXXXIX, 48. (*quae est senectus mea? sufficiat tibi, quod poenam de me sumseris, dum brevis aevi morior*): indeque et vult terram Ps. XLIX, 2. חלד dici, quoniam illa senescat, rugasque contrahat. — — Male quidem ille, ex mea sententia: nulli certe linguae Orientali חלודה rugas significat, praeter Rabbinicam, (cui tamen ipsi tam rarum est, ut Buxtorfius in lexico omiserit, alii ex solo Raschio laudent): verum ex lingua Rabbinica, id est recentissimo Hebraismo scholarum postquam viva lingua jam ante plus quam mille annos esse desiit, vetus Hebraica lingua non explicanda, ejusque vocabula derivanda. Arabibus quidem خلد et de *senectute* ponitur sed *viridi*, a perennitate et longaevitate ita dicta: ex hoc Rabbini suum חלודה *ruga* fecerunt.

Multo tamen ille excusatius Thalmudicis, qui Ps. XLIX, 2. חלד *mustelam* interpretabantur, mustelae nomine *terram aridam* intelligentes: vide, si ridere et inter seria cupias, eorum sententiam a Buxtorfio p. 756. 757. excerptam.

9) Non pauci ex veteribus κατάδυσιν, habent, Aquila, Ps. 17, 39, et 49 Symmachus Ps. 49, ibidem et Hieronymus *occidentem*, sed, ut supra diximus, Job. XI, 17. occidentem in *vesperam* mutans. Hi quid spectarunt? *insulasne in ultimo occidente beatorum*, الخالدات? Non puto, nec omnino existimo Graecos, qui haec habent, de *occidentali* plaga cogitasse, sed de *interitu*, *fovea*: lege modo Ps. XVII, (16) 14. ubi Aquila habet, ἀπὸ τεθνηκότων ἐκ καταδύσεως, et Ps. XXXIX, (38) 6. ἡ κατάδυσίς μου ὡς οὐκ ἔστιν ἐνώπιόν σου, intelligesque, nullum occidentali plagae locum esse. Vide et Bielii lexicon. Nempe contulerunt Syriacum ܚܠܕ *fodit*, (num. 1.) *subiit terram*:

hinc

hinc et interitum diei volebant, et Pſ. XLIX, 2. יֹשְׁבֵי חָלֶד κατακοῦντας τὴν κατάδυσιν interpretabantur, i. e. *incolas internecionis, Tartarorum*. (Nec ſpernenda quidem hoc loco ſententia, ſed plane magnifica, ſi in בְּנֵי אָדָם LXX ſequutus (*), ſic vertas: *audite meum, de fluxo et caduco hujus vitae et divitiarum, carmen incolae inferorum, gigantes terrigenae, et homines*). Male ergo eos intellexit Hieronymus, *occidentem*, eumque in veſperam mutans: cujus et verba ex commentario ad Jeſ. XXXVIII, 11. adſcribo, manifeſtum errorem correcturus librariorum, idque unum praefatus, pro חָדֶל ibi חָלֶד habere Syrum, Kennicottique codices 1 et 176: qua de varietate lectionis, ſuo jam tempore obſervata, ſic Hieronymus: *quod* (habitatio quietis) *nos olim propter verbi ambiguitatem verſui ſequenti junxeramus. Sermo enim Hebraicus* HOLED (**) *ſi legatur aut ſcribatur ELED, requiem, ſi EDEL occidentem ſonat.* Manifeſtum, ELED et EDEL hic tranſpoſita eſſe, חלד enim, i. e. ELED alias occidentem interpretari ſolet, contra חדל EDEL, a חָדַל *ceſſare, feriari*, requiem ſignificare poterat.

10) Sed et praeter hos ex ܚܠܕ fodere, aliqui veterum *foveam, ſepulcrum* interpretati ſunt: Jeſ. XXXVIII, 12. Syrus יֹשְׁבֵי חָלֶד, quam lectionem duos codices habere et Hieronymum antea monuimus, vertit, ܥܳܡܽܘܪ̈ܰܝ ܚܶܠܕܳܐ *habitantes foveam*, i. e. ſepulcrum, egregia, quis neget? ſententia, *non videbo homines inter habitatores ſepulcri.* Job. XI, 17. Syrus, ut nunc quidem legitur, ܠܒܳܬܰܪ ܛܰܗܪܳܐ ܢܩܽܘܡ ܒܶܗܬܬܳܐ, quod Arabs, a ſerie orationis alieniſſime vertit, *poſt meridiem ſurget pudor*: ſed ſuſpicor, eum ܚܶܠܕܳܐ ſcripſiſſe, *poſt meridiem ſurget defoſſum corpus.* Pſ. XVII, 14. idem Syrus ܡܶܢ ܥܳܠܡܳܐ ܕܚܶܠܕܳܐ a

(*) Vide pag. 21. (**) חֹלֶד.

a mortuis faveae, ac Pſ. LXXXIX, 48. *recordare mei* ܡܢ ܫܚܠܐ *ex fovea*, ex ipſo me ſepulcro revoca.

11) Chaldaeus Pſ. 89. *pulverem* vertit, eximia ſententia, *recordare, quod creatus ſim ex pulvere*, ſed nulla duce vera philologia.

חלה

Copioſe de hoc verbo ejusque derivatis *Albertus* egit *Schultenſius*, in Originum libro primo c. 9. cui multum debebimus, ſed in hoc eum falli ſuſpicamur, quod diverſiſſimas ſignificationes ad unam primam refert, ex Arabico حلاء (חלא) ſumtam, quod videret aliquando pro חלה, in verbo ſemel, aliquoties in derivatis, חלא per Aleph ſcribi. Fateor equidem, ſed cum vel ſolum חלה ad quatuor radices Arabicas, ſono et flexione diverſas, additoque חלא, ad ſex referri poſſit, nullam cauſſam video, cur plura origine verba nimio unitatis etymologicae ſtudio, ad unam ſignificationem primam, nec id ſine aliqua vi et artificio, revocanda ſint. Res quidem ita ſe habet: pro חלה Hebraico per He quieſcens, quatuor verba Arabes habere poſſint

1) حلو (*Hhalav*) idque habent, *dulcedinis* ſignificatione, unde حُلْو *dulcis*. Habent et Chaldaei Syrique, ſed Vau in Jod mutato, ܚܠܐ חֲלֵי dulcis, itemque Samaritani. A dulcedine et dona dicunt, maxime ſponſalitia, (quamquam et honoraria, e. c. auguri data) ornatumque muliebrem.

2) حلي (Hhalaj) *ornare*, et nomen حَلْي mundus muliebris: ſic et Syri ܚܠܝ ornavit.

Haec ergo duo verba origine unum eſſe idemque videntur V. et I permutatis, quas quidem literas tertiae radicalis in Hebraicis et Aramaeis ne eſt quidem diſcernere.

3)

3) خلو (Chalav) *vacuus desertus fuit locus*, *solus*, *liber fuit*, *abiit*, *migravit*, *mortuus est*, quin et inde *pabulationem* dicunt. Hujus quidem verbi in Hebraismo, qui nobis superest, nullum se certum exemplum obtulit.

4) خلي (*Chalaj*) sed hoc verbum in Arabica lingua non reperitur.

Jam si et חלא addas

5) Arabes حلأ (Hhala) habent, *terere*, unde rubiginem cupri nomen accepisse, et nos supra p. 746. monuimus, et diu ante nos, sed quae sit haec rubigo non satis docens, Schultensius

6) خلأ (*Chala*) non habent. Transferamus haec ad Hebraica, illisque comparemus.

1) Consueta Hebraici verbi חלה significatio, *aegrotavit*, et חֳלִי *morbus*, cum derivatis, huic linguae et Judaico-Chaldaicae, quae eam ab Hebraica accepit, priva ac propria; nec enim habent Syri, ne dum Arabes. Orta tamen, ut verisimillime monuit Schultensius, ex Arabico حلأ *trivit*, morbusque a *terendo* et *deterendo* dictus. Quin et, ut idem monuit, per Aleph scribitur ויחלא 2 Paral. XVI, 12. (quamquam, quod subticere fas haud reor, liber est Chaldaizans, codicesque adeo sex ויחלה habent) et תחלואים, *morbi*, satis constanter. Emphases quas ex etymo eruit Schultensius, meas non facio.

2) Manifestum, hoc verbum de *vulnere* non de morbo poni 1 Reg. XXII, 34. incertum, utrum latius translato morbi nomine? an confusione radicum satis consonarum חלה et חלל? an denique a *terendo*, quod vult Schultensius, fere ut Arabes dicunt, حلأته بالسيف *trivi illum gladio*, pro, ضربته به *percussi eum illo*. (Schultens, T. I. Orig. c. 9. §. 7.) Hoc postremum verisimillimum. De etymo utcunque statuas, certa 1 Reg. XXII, 34. significatio, nec aliter

aliter Jerem. VI, 7 חֳלִי acceperis, ubi חֳלִי וּמַכָּה componuntur. In toto Jeſaiae capite LIII, ubi vel nomen occurrit vel verbum, v. 3. 4. 10. de morbo cogitari nequit, deſcribitur enim violenta morte abreptus, ſed, ſive de verberibus, ut et Arabes dicunt, حلاته بالسوط *percuſſi eum ſcutica*, ſive, quod potius reor, atque hiſtoria Chriſti magnopere confirmat, de vulneribus.

Eodem et refero Jeſ. XIV, 10. גַּם אַתָּה חֻלֵּיתָ *etiamne tu vulneratus es*, (invulnerabilis nobis viſus), *ſimilisque nobis factus*, niſi forte hic

3) *moriendi* ſignificatio Arabici خلو praeferenda ſit, *etiamne tu mortuus, noſtrumque* (umbrarum) *ſimilis factus es*. Exemplum pono ſignificationis ex carmine Samuelis filii Adiae, Judaei pag. 88. chreſtomathiae verſ. 6.

اذا سيّد منّا خلا قام سيد

cum nobilis ex nobis moritur, ſurgit alius nobilis. Ambigo, ac prope praetulerim.

4) חִלָּה פָנִים *exoravit aliquem*, frequens phraſis, mihi quidem ad primum حلو *dulcis* referendum videtur, *ſuavia verba dedit, eblanditus eſt faciem ejus*. Alii, *infirmavit faciem*, Schultenſius capitis citati §. 24. *faciem ſupplicando attrivit*, ut Latini dicant, *os perfricare*.

Huc et refero, quod ſub א vide, אחלי.

5) חֲלִי et חֶלְיָה *ornatus*, Prov. XXV, 12. Hoſ. II, 15. unde in plurali חלאים dicitur Cant. VII, 2. (plane ut a צבי dorcas צבאים, ad حلو et حلي p. 764. refero. A dulcedine dicta ornamenta muliebria, maxime quae donantur, *douceurs*. Aliter viſum Schultenſio, a terendo et elaborando dicta exiſtimanti.

חלח 2 Reg. XVII, 6. XVIII, 11. 1 Paral. V, 26.

Regio, in quam decem tribus ab Aſſyriis deportatae. Vel ſolum nomen et hiſtoriam legenti cui non Calachenes in mentem venerit, borealis Aſſyriae provinciae, ad ipſos fines Armeniae, Tigrimque fluvium? de qua vide Ptolemaeum p. 146. Strabonem l. XI. p. 803. (al. 530.) l. XVII. ſtatim ab initio p. 1070. (al. 736.) Quod ſi Chaboram fluvium, cujus mentio cum חלח conjungitur, orientalem intelligas Aſſyriae qui Tigridi miſcetur, (p. 665. 666.) ordine etiam geographico pro ſitus ratione nomine ponuntur, *Calachene*, *Chaboras* (Centrites) *urbes Mediae*, ab occidente ad orientem pergente ſcriptore. De כלח urbe, Geneſ. X, 11. aliis literis ſcripta, jam hic non quaero, ſed de ſola חלח regione.

Nec tamen diſſimulandum, alias etiam Aſſyriae provincias cum Calachene de nomine חלח et colonia decem tribuum certare poſſe, victoria ſatis dubia:

1) auſtralem Aſſyriae provinciam, *Chalonitidem*, ſi modo verum eſt, eam ab urbe aliqua *Chala* nomen accepiſſe, ut Iſidorus Charazenus retulit: ſolus tamen cum pro Chala citari ſoleat, res dubia, certe ita nobile oppidum non fuiſſe videtur, ut nomen regioni dari potuerit: niſi forte Chala Iſidori eadem eſt cum ſequente.

2) ipſam celeberrimam *Holvanam*, (حلوان) Chalifarum olim ſedem aeſtivam, extremam Iracae Arabicae, in vicinia montium, d'Anvillio inter gradum longit. 63 – 64, latitud. 34 – 35. hanc enim alio nomine ܚܠܘܢ quoque dictam fuiſſe docet Aſſemanus biblioth. Or. T. III. P. II. p. 418. 419 et 753. Reiskius in notis ad Abulfedam hanc exiſtimat eſſe Chalam Iſidori, a qua Chalonitis dicta; non auſim negare, nec tamen ſubſcribere, ſitus enim Holvanae a Chalonitide paulo remotior: multo minus probare poſſum,

quod Aſſemanus Holvanam, Chalach dictam, ad Calachenen refert, quae, ut vel raptim tabulam Ptolemaei quartam Aſiae inſpicienti parebit, alio plane loco, atque ad Tigrim ſita, tota Arrapachitide, Adiabene, et Arbelitide, illis a montibus (Zagro Ptolemaei) ſejuncta, in quorum vicinia Holvan ſita.

Ergo ut minimum dixerim, duplex Aſſyriae *Chalach* fuiſſe videtur: ex quibus forte altera noſtra חלח, Moſis כלח altera. Exſilii quidem locum malim borealem fuiſſe Calachenen, quam Holvanam: dubitari tamen poſſe video.

Duplicem nobis Chalacham offerente ipſa Aſſyria, mirum, pleroſque interpretum recentiorum, חלח legentes, de Colchide cogitaſſe, quae ſubfueritne unquam Aſſyriorum dominationi ignoramus. Armenia quidem tota, Colchidem inter et Aſſyriam interjecta, Aſſyriis non paruit, ut ex Jeſ. XXXVII, 38. vel hiſtoriae Armeniae ignarus diſcere poteſt.

Caeterum nomen חלח orientales interpretes ubique ut notum retinuerunt, Chaldaeus חלח, Syrus ܚܠܚ, Arabs حلح, (quod enim 2 Reg. XVII, 6. جلح expreſſum, manifeſtum eſt vitium). Bene etiam χαλαχ in chronicis LXX habent, at iidem, 2 Reg. 16. non ſolum nomen mutarunt, Ἀλαε, ſed et fluvium fecerunt, ἐν Ἀλαε καὶ Ἀβὼρ ποταμοῖς Γωζάν. Vulgata in libro regum ſatis bene, *in Hala*, (forte tamen Hieronymo ignorante, ubi haec Hala quaerenda), at perquam in chronicis male, *in Lahela*. Nempe geographia orientalis ultra Tigrim Aſiae interpretibus Graecis Latiniſque parum nota.

חלט 1 Reg. XX, 33. *feſtinavit*, *juravit*.

Ἅπαξ λεγόμενον in quo plus etiam quam vellemus opis Arabia praeſtat, duas nobis ſub حلط ſignificationes offerens, utramque loco aptam. Nempe حلط eſt

1) *fe-*

1) *feſtinavit*, qua ſignificatione hic veteres prope omnes accepe-runt, ut ſynonymum praecedentis וימהרו: ſed ita, ut celeriter ar-reptum dicentis ex ore verbum intelligerent: Chald. חַטְפוּהָ מִפֵּיהּ *rapuerunt ab illo*, quod in Kimchii, et, quod in Reuchlini lexicon receptum, Vulgata, *rapuerunt verbum ex ore ejus*, Syrus, ܚܛܦܘܗ̇ ܡܢܗ eadem ſententia. Huc et redire putem LXX, ἀνελέξαντο τὸν λόγον αὐτοῦ.

Plane in has partes irem, niſi alia ſe offerret, aptior etiam rei geſtae quae narratur explicatio: Arabibus enim

2) حلط eſt etiam *juravit*, unde in Hiphil וַיַּחְלִטוּ, *jurare il-lum fecerunt*, jus jurandum ex ore ejus eripuerunt. Sic quidem germanice vertere auſus ſum. Addiderim pro ויחלטו הממנו ali-ter diviſis vocibus legi quoque poſſe, וַיַּחְלִטוּהָ מִמֶּנּוּ, atque ſic qua-tuor habere codices Kennicottianos (*), quod praeferens verto, *et jurari illud fecerunt ab ipſo*.

Mera conjectura, quod habet Coccejus, idem eſſe quod ἀκριβοῦν, *adcurate obſervare*, num ex animo loqueretur, in alia poſt illum lexi-ca recepta: non inepta, fateor, ſed omni philologiae orientalis ope deſtituta, et ad quam eo minus deveniendum, quod duas nobis ſigni-ficationes loco aptas ultro offert Arabia.

Caeterum plane alius ſignificationis eſt خلط et Syriacum ܚܠܛ *miſcuit*, cujus veſtigium in Hebraicis non invenio.

חֵלְכָּאִים , חֶלְכָּה , חֵלְכָה Pſ. X, 8. 10. 14.

Vox obſcuriſſima, hujus ſolius pſalmi, ſed in eo ter, et vero ita recurrens, ut quam huic verſui ſatis aptam repereris, alteri aptare ne-queas

(*) Quintus adeo (93) ויחלטוהו habet, et ſextus, (158) licet verbo He non addat, demit tamen illud ſequenti particulae, ממנו.

queas explicationem: fac enim חֵלְכָה ad חיל exercitum referas, *exercitus tuus*, quid חלכאים versus decimi facies? aut si ad חלך *niger*, *infaustus fuit* relatum, חלכה *misellam turbam vertas*, in versus decimi חלכאים Aleph obstabit. Forte satius, fateri ignorantiam, nec tamen hoc rite fieri potest, nisi his prolatis et expensis, quae antiqui interpretes, philologorumque recentiorum habent eruditissimi, quod nisi fecerimus, interpretationem quam quisque in suo aut lexico aut commentario invenerit, maxime si aliqua ornata fuerit philologiae orientalis atque eruditionis ostentatione, nimis arripiet fidenter. Est tamen et de varietate lectionis monendum,

1) pro duabus literis initialibus חל non paucos codices חיל habere, ac si sit a חַיִל exercitus. Sic v. 8. לחילכה codices Kennicotti 137, 160, 170, versuque 14, novem, in quibus aliqui insignes, 19, 117, 121, 145, 150, 153, 192, 216, 226, duaeque editiones, 259 (Neapoli 1487) et 266. (Thessalon. 1515) denique in versu decimo חילכאים, cod. 73, 74, 128, 133, 173.

2) in versu 14, a quinque codicibus omitti He ultimum, scribique חיליך in 153, חילך in 121, 145, 192, 226, quorum certe illud omnes, nisi arte aliter docti, *exercitus tui*, hoc, *exercitus tuus*, intellexerint.

3) Eum, qui puncta adjecit, ubique ad חיל retulisse videri. כָה v. 8. et 14. pro suffixo habet, v. 8. extra pausam חֵלְכָה scribens, versuque 14. in pausa tonum retrahens, חֵלְכָה quod in nomine fieri non oportuisset. In חֵלְכָּאִים v. 10. puncta sine dubio, ex lege consveta, ad Keri marginis pertinent, duabus vocibus חל כאים scriptum.

Haec quidem omnia derivationi repugnant a radice חלך, quam tamen hoc solo argumento non damno, nisi aliud adferatur gravius, pos-

possunt enim hae, quas excerpsi, variae lectiones falsae esse, potuerunt et punctorum auctores errare. Jam ad ipsum vocabulum explicandum accedamus.

I) Plurimi ex veteribus *pauperes* vel *debiles* verterunt, tanto consensu, ut nisi aliquid obstet, illis accedere prope necesse sit. Sic

Chaldaeus v. 8. מִסְכְּנַיָּא, 10 et 13 עַנְיַיָּא.

Vulgata ubique, *pauperes*.

LXX v. 8. 10. *πένητες* v. 14. *πτωχοί*.

Aquila v. 10. et Symmachus v. 8. *ἀσθενεῖς*.

Syrus v. 8. 14. ܡܣܟܢܐ *miseri*.

Potest et hujus versionis satis bona reddi ratio, modo ad radicem חלך referas: حلكى enim *summam nigredinem* denotat, atque inde *miseriam*, *infortunium*, ut jam in notis ad psalmos uberioribus Joannes Henricus Michaelis, multoque ex Arabum monumentis copiosius Schröderus in commentario in hunc psalmum disputarunt. Sic quidem חלכה nomen foret collectivum, quale שבות *miseria*, pro, *miseris*, his punctis adficiendum, חֶלְכָּה.

In has quidem non dubitanter partes irem, solum si haberemus versum octavum; in decimo quarto aliqua jam anomalia grammatica, nomen חלכה femininum constructum cum verbo masculino, יעזב, sed et hanc concoquerem: at plane aptari explicatio versui 10. חלבאים nequit, unde enim hic in medio vocabulo ante terminationem pluralem Aleph? Emphaticum esse dicit Schröderus: equidem Aleph emphaticum nullum novi. Quae ille exempla adfert, eo potius pertinent, ut pro ה feminino aliquando א, nempe Aramaeo more, ponatur: at hoc Aleph primo nullam omnino emphasin habet, deinde ante pluralem terminationem perit, aque חלכה vel חלכא pluralis חֲלְכוֹת formandus, non חלבאים, fuisset, nisi forte et placeat, חַכְמָה Chald. חָכְמָא pluraliter

ter flectere חֲכָמָאִים. Paulo quidem melioris mihi, omnia dubitanti et expendenti, in mentem conjecturae venit: quadriliterum esse ex حلكى *miser fuit*, et حَلَأَ *humi stravit, contrivit*, compositum; *miseri humi strati*. Sed nec id sperem lectoribus probatum iri, moleste sane laturis, hoc ipsum א a vocabulo versus 8 et 14 abesse.

Est Arabibus حُلَكَاء *animal lacertae simile, arenis se immergens*: sed cave conferas, cum quod filo orationis ineptum, tum quod اء terminatio est feminina, ante terminationem pluralem, ut dixi, peritura.

II) Plane contraria huic explicationi habet Hieronymus, v. 8. *robustos*, v. 14. *robustos tuos*, vertens, nisi fallor ex חיל, *roboris* significatione accepta. Idem v. 10. *irruet viribus suis in valentes*.

III) Syrus in versu 10 mire, *in ossibus ejus sunt morbi et dolores* (ܒܓܪ̈ܡܘܗܝ ܟܘܪ̈ܗܢܐ ܘܟܐܒ̈ܐ). Videtur, non legisse (nullus enim omnino ita codex, aut versio alia) sed conjecisse בְּעַצְמָיו חֳלִי וּכְאֵבִים.

IV) Mihi quidem eorum hactenus sententia paulo verisimilior, minusque videtur reliquis impedita, qui ad חיל *exercitum* referunt, ita ut

1) חֵילְכָה v. 8. atque (in pausa) v. 14. חֵילָכָה sit, *exercitus tuus*, Israelitae, te duce, te rege, tuis, Deus, auspiciis bellum gerentes, pro חֵילְךָ, suffixo 2 pers. masc. cum He matre lectionis scripto, ut Jes. III, 6. לְכָה *tibi*, בְּכָה Exod. VII, 29. יַעֲנוּכָה Jerem. VII, 27. Vide et supra p. 770. de varietate adnotata lectionis, ex qua omnia expedita.

2) חיל כאים v. 14. literis in duas voces divisis possit esse, exercitus sive *fessorum*, in deserto aquae inopia ac siti enectorum, sive *moestorum*, sive *timidorum* et desperantium. Vide infra sub כאה.

Mira

Mira tamen ter recurrens in plerisque editis et manuscriptis scriptionis anomalia. Aut cubat in mendo locus, aut ad aliquod ignotum nobis dicterium hostium alluditur, חיל *exercitum* Israelitarum forte חֵלֶךְ *miserum* vocantium: sic utrique explicationi aliqua concordia. N. L.

חלל Levit. XVIII, 21. XX, 3. Num. XXX, 2. Job. XXVI, 13.

De notis, atque in lexica receptis omnia significationibus, *perforandi*, *vulnerandi*, *incipiendi*, *tibiis canendi*, *saltandi*, nihil dico, nisi ad plures radices referendas esse.

1) خلّ Arabibus inter alia est *perforare*, indeque et *corrumpere*, (omitto alias significationes, quae jam nihil ad nos) huc ergo referendum, verbum Hebraicum *perforandi*, *vulnerandi*, quin et *occidendi* significatione: item חָלִיל *tibia*, a perforando dicta, ejusque denominativum, semel obvium (1 Reg. I, 40.), *tibiis cecinit*.

2) حلّ *solvere*, unde et *licitum*, tanquam *solutum* dicunt Arabes. Huc referendum, neglectum fere lexicographis, aut aliter expositum Num. XXX, 2. ubi *ligando*, i. e. interdicto se obstringendo oppositum, est, *solvere*, i. e. non servare votum, *illo se ipsum absolvere*. Jam cum solutum, cuique permissum et licitum, sacro opponatur, inde fit ut חֹל etiam sit, *profanum*, pejore sensu, atque חִלֵּל *profanare*.

Ab eadem solvendi notione etiam fluxisse crediderim, solis Hebraeis propriam, *incipiendi*: nempe et alia *solvendi* verba *incipiendi* significationem adsciscunt, ut Chald. et Syr. שְׁרָא, ܫܪܐ, ܫܪܝ.

3) *Saltandi* significationem a verbo חול mutuatur, choreis ab *circumeundo* dictis, quod in orbem saltatur. Exemplorum aliqua, quae citari solent, ne ad חלל quidem sed ad חול referri grammatica jubet, itemque nomen מָחוֹל *chorea*.

Hae

Hae tamen receptae in lexica ſignificationes, vix ſuffecerint, Levit. XVIII, 21. XX, 3. Job. XXVI, 13. explicaturo: is enim, qui, non Jehovae, ſed Deo alii, Baali, Molocho, natos immolat, rectene dici poſſit, *profanare nomen Jehovae?* aut in deſcriptione diluculi poſt haec, *convertit coelum in Auroram*, placueritne, *et manus ejus vulnerat vel trucidat draconem borealem.* Expalleſcit ille, *diſparent*, ut Ovidius canit, *ſtellae quarum agmina claudit lucifer et coeli ſtatione noviſſimus exit:* mori eum dicere poſſis, non vulnerari, non trucidari, ſenſim diſparentem. Eſtne ergo duobus primis locis, חִלֵּל שֵׁם יהוה *ſolvere*, i. e. *abolere, abrogare nomen Jehovae? ab illius nomine deſciſcere?* De Jobi loco confidentius etiam dixerim, חלל *ſolvi*, in eo eſſe, *diſſolvi, extabeſcere, ſenſim diſparere, deſinere.* Arabes certe حلّ in quinta et ſeptima conjugatione his etiam ſignificationibus ponunt. Exempla adjicio, Caſtello, gratus fateor, debita; Jerem. IV, 31. graece φωνὴ θυγατρὸς Σιὼν ἐκλυθήσεται, *vox filiae Sionis deficiet*, صَوْت ابنة صهيون ينحلّ — Pſ. CXII, 10. Hebr. ונמס *liqueſcet, tabeſcet* (invidia, et moerore) hinc Syrus ܢܬܦܫܪ *deficiet*, exque eo Arabs Maroniticus, وينحلّ. — — Job. VI, 17. bis pro Syriaco ܦܫܪ *liqueſcere ponitur*, de nive tabeſcente. — — Act. V, 38. *ſi hoc conſilium ex hominibus ſit, non ex Deo*, καταλυθήσεται, Syrus ܡܫܬܪܐ ܘܥܒܪܐ exque eo Arabs Erp. ينحلّون ويتزاولون *diſſolventur* (nulla vi vobis utentibus) *et finem habebunt.* Jam ergo et חללה ידו נחש בריח recte verteris, *manus ejus diſparere facit draconem borealem.* Quamquam et poſſis חֹלְלָה, ſi malis, referre ad radicem חול, quae Arabibus (حال) etiam eſt, *praeteriit, abiit: abire* i. e. diſperire facit *manus ejus draconem borealem.*

De

De verbis etiam Psalmi CIX, 22. dicendum, לִבִּי חָלַל בְּקִרְבִּי, absurde a nonnullis ad *tripudiandi* significationem relatis. Puncta si sequaris, vertenda, *cor meum dissolutum* vel *liquefactum est in medio mei*, quamquam verbum intransitive aut passive acceptum חָלַל cum Tsere scribi ex linguarum orientalium more debuisset. Chaldaeus, שַׁפִּי *contritum est*, referens, ut videtur ad vulnerandi significationem: sic quidem חֻלַּל vel חֻלָּל scribendum. At *conturbatum est* verterunt LXX. Vulg. Syrus, ut alias חול; hi ergo, forte melius ad radicem חול retulerunt, חִלֵּל adpellatum: id quidem et mihi praeplacet, nisi quod verterim, *cor meum intremuit in medio mei.* Vide pag. 683. Caeterum nulla varietas lectionis, codex Kennicottianus nullus חולל, quod exspectaveram, habet.

מְחִלּוֹת *cavernae.* Jes. II, 19.

Ἅπαξ λεγόμενον, in quo satis consentiunt, *cavernas*, seu *specus subterraneas* esse, a *perforando* dictas. Unum addo, usitatum, licet alia forma, Aramaeis nomen esse, Aramaeosque interpretes harmonice vertere

1) Chaldaeum מְחִלִּין, nomine, fabulis etiam Judaeorum nobilitato, quibus *cavitates subterraneae, per quas volvuntur corpora mortuorum, donec deveniant in Palaestinam, in qua reviviscent et resurgent*, מחלין vocantur. Vide Buxtorfii lex. Chaldaico-Rabbinicum p. 767. 768.

2) Syrum ܡܚܠܐ, quod nomen et Job. XXX, 6. Cant. II, 14. Jerem. XVII, 6. pro cavernis, fissurisque petrarum ponitur. Σχισμὰς πέτρων LXX. minusque distincte Vulgata *voragines terrae* habet. Multa his specubus apud Hebraeos nomina, quod frequentes in Palaestina sunt vicinisque regionibus.

בַּחֲלָלִים ex alia lectione Jes. VII, 19.

Pro נחללים, quod infra sub נ quaere, נחללים legisse, et ad חלל *perforavit* retulisse videntur, LXX ῥαγάδα, *fissuram*, Vulgata, *foramina*, Syrus, eodem quod modo memoravi nomine harmonico ܢܩܝܥܐ *specus excavatas* vertentes: nullus tamen ita codex Kennicotto consultus.

חָלִילָה *absit!*

Talis averruncandi particula, qualis Syrorum ܚܘܣ ܠܟ, Chaldaeorum חס, (*parce*) Arabum, حاشا أن, et معاذ أن (*perfugium tibi sit*). Vide Genes. XVIII, 25. ejusque loci versiones Syriacam, Chaldaicam, Arabicam in Polyglottis et ab Erpenio editam. Significatio indubia, sed de etymo male conjecisse videntur, qui ad חלל *profanus fuit*, referentes, vertunt, *profanum sit tibi*. Obstat enim constructio cum מ, ut eo quem citavi loco, חלילה לך מעשה כדבר הזה, *profanum sit tibi a facere tale quid:* facere tale quid, sine A, post *profanum sit*, scribendum fuisset. Hunc ergo errorem expungi velim, ac potius etymon ignorandum, quam sumendum falsum, ne primo quidem loco, in quo phrasin legimus aptum.

Quid si potius primam *solvendi* verbi حلّ notionem in subsidium vocemus: *solutum sit tibi* ab hoc *faciendo*, i. e. *ne qua te necessitas*, ne *quod te fatum ad talia perpetranda cogat!* Ex eadem derivatione et altera lucem accipit cum מיהוה constructio, 1 Sam. XXIV, 7. חלילה לי מיהוה, *solutum mihi sit a Jehova*, i. e. *ne me deus talia facere cogat aut velit.* Plane sic reliquae, quarum averruncandi et detestandi particulas attuli, linguae orientales: *parce mihi*, (o deus!) et, *perfugium mihi sit Deus*, ne hoc faciam.

חלמות

חַלָּמוּת Job. VI, 6. potius חֲלֹמוֹת *somnia.*

῞Απαξ λεγόμενον, punctorum culpa difficile, crux interpretum, sed quod e lingua Hebraica delendum reor. Gravis nulla, testiumque aliquo consensu firmata varietas lectionis: non enim nisi singuli codices habent, nonagesimus secundus Kennicotti a prima manu חלמוש, qui merus est librarii lapsus, sententia cassus, spumam enim lapidis quis dixerit? et nonagesimus quintus ejusdem, חלמה: uterque correctus. Ergo חלמות vera et certa lectio.

Harum literarum, sine punctis lectarum, lingua Hebraica reliquaeque cognatae omnes unam offerunt explicationem, רִיר חֲלוֹמוֹת, *sputum somniorum*, i. e. *sputum a somniantium ore, qui diris vexantur insomniis, absistens:* linguis enim orientalibus omnibus, Hebraicae, Chaldaicae, Samaritanae, Arabicae (sub حلم) Aethiopicae, somniandi significationem חלם habet. Nec praecedens טעם de gustu acceperim physico, sed de sana ratione, verterimque, ut feci in germanicis bibliis, *estne sana ratio in sputo* i. e. *spuma somniorum? in hisne quae tu effundis, somniorum deliriis, sanae rationis vel ullum vestigium?*

Miror, interpretum quos consului, neminem, ita verba accepisse: proxime abesse video, sed punctis fidum, Schultensium, qui *salivam* vertit *somnolentiae:* quod tamen ipsum mihi omnium videtur minime probandum. Dormiens quis salivam emiserit, nisi et somniet, somniansque deliret? In saliva dormientium quis unquam quaesierit sitne gustus? nemini enim in mentem venerit, eam experiri.

Multo quidem verisimiliora habebat, ex ipso in alia lexica recepta, citatus a Coccejo Kimchius. חלבון per Beth Thalmudicis est, *albugo ovi*, (incertum, utrum *pinguedo* an *lac* ovi?) jam vult חלמון esse, *vitellum ovi* (אדם הביצה *rubicundum ovi*) exterioremque partem, albuginem ipsam, in qua sapor nullus, ריר חלמון *sputum vitelli dici.* Opposuit ei Schultensius in commentario ad h. l., *comparatio-*

tionem non respondere stomacho Jobi, non acrimoniae, qua exarserat: quod quidem quo modo scribere vir doctissimus potuerit vix conjectura assequor: albugine enim ovi nihil insulsius, omnisque est gustus expers, ut vix, nisi coactus (coguntur enim nonnunquam pueri) albuginem comesturus, sed abjecturus videatur, medico certe non aeque laturo, cui insipidus hic cibus ne satis quidem salubris videtur. At sunt alia, quae huic a Reuchlino et lexicographis plerisque receptae explicationi obstant:

1) Nulli linguae Orientali חלמות vel חלמון *vitellum* significat. Sola Thalmudica, mortua nec à matre sed magistris accepta, probandae significationi non sufficit, ex hac tamen ipsa ne locum quidem adferri video pro חלמון *vitello*.

2) *Albuginem* si voluisset auctor libri Jobi, quid erat, cur non plane חלבון vocaret? circumscribensque a vitello, *salivam vitelli*, diceret?

3) Albugo minime *saliva*, nec potest bene *saliva vitelli* dici.

4) Nec quisquam veterum de hac significatione cogitavit, ut, linguis reliquis orientalibus ignota, etymoque adeo destituta, commentis potius adnumeranda Rabbinorum videatur.

Eodem tradente Kimchio Isaacus filius Binschat, medicus inter Judaeos insignis, (הנשיא הרופא רבי יצחק בן בנשת) ad חלם *valuit, sanus fuit*, referens, *salivam sanitatis* interpretabatur, quae sit saporis expers, aegrotorum saliva gustum aliquem et saporem habente ex uno quatuor temperamentorum. Medicum agnoscis: verum, salivam sanorum saporis expertum esse, i. e. nobis nostram salivam, nisi quid accidat, plane sine sapore esse, *quorundam* aegrotorum jam amaram esse, jam acidam; de quatuor temperamentis quod addit, ex systemate Arabum precario sumtum, subriseritque harum naeniarum peritus,

quas

quas Arabes, boni medici, ſed nimis ſyſtemati precario ſervientes, confinxerunt: ſed hoc utcunque ſit, loco Jobi inepta interpretatio, vituperatur enim *inſipidum*, cum contra in ſaliva quis non laudet? quis velit, eo guſtu eſſe, qui morbum prodit? Ergone ſanitatis adcuſet Eliphazi verba Jobus iratus? reprehendatne, quod non ſint morbida?

Quod guſtatum mortem adfert, reddit Vulgata, חַלָּמוּת aut ſimile quid efferens (*): nec tamen ad חָלִי morbum referens, ſed ſive ad حُلْو *dulce*, ſive حَلَا pro حَلْو *pabulum*. Has in partes vix quemquam iturum putem.

Syrus interpres (mearum forte partium) harmonice vertens ܪܝܪܐ ܕܚܠܡܘܬܐ, quid voluerit, obſcurum, vocabulo Syriaco aeque ut Hebraico nondum compertae ſignificationis. *Cicer*, *opobalſamum*, quae in lexico ſub ܚܠܡܘܬܐ invenies, nihil ad rem, Arabs vertit ريق الحمقا *ſalivam portulacae*, ſed et haec quae? aut quid ad rem? Portulaca quidem prope inſipida, nec tamen ingrata, eaque veſci ſolemus, ejus autem ſaliva quae ſit, plane me ignorare non diffiteor. Suſpicor, in Arabica verſione الحمقا *inſania*, legendum a حمق *ſtultus fuit*, idemque et Syrum voluiſſe et Arabem, quod ut meam ſententiam primo loco dixi, *ſpumam inſanientium*.

Equidem reliquis plane dimiſſis, hanc inter, quam primo loco dixi, et Hottingeri ſententiam, in ſmegmate p. 152 dictam, atque ab Hinkelmanno in praefatione Corano praemiſſa repetitam, dubius ſum. Lac interpretantur ex Arabico خَالُومَة *lac* (vocabulo in lexicis

(*) Reuchlinus ne conjiciebat quidem, quo modo tale quid ex Hebraicis effici poſſet: *neſcio*, inquit in lexico, *quoniam motus translator noſter ſic vertit*, "*aut poteſt aliquis guſtare, quod guſtatum affert mortem*," *cum nihil horum in Hebraeo ponatur.*

xicis omisso, ad radicem خلم elegit referendo) ut ריר חלמות sit, *spuma lactis.* Nempe, quod duumvirorum breviter nimium dictis addendum, lac, ubi primum mulgetur, camelorum maxime, multum spumae habet, post aliquot horas subsidentis, a qua Arabes, mulgendis camelis adsveti locutiones petunt, ut in chrestomathia nostra Arabica p. 42. عريان *merum despumatum lac,* pro mero nec expiando odio: jam verba multum habentia ostentationis et superficiei, nihil rei et solidi, spumae lactis comparari possint, nec gustum habenti, nec praebenti alimentum.

חַלָּמִישׁ *Porphyrites superioris Aegypti, et montis Sinai.*

Quinquies occurrit vocabulum Deut. VII, 15. XXXII, 13. Jes. L, 7. Ps. CXIV, 8. Job. XXVIII, 9. Manifestum est, non lapidum universim omnium nomen generale, sed speciale certi cujusdam generis saxorum esse, durissimi, ut ex Jes. L, 7. liquet. Horebum montem aut totum hoc saxo constare, aut frequens et vulgare in illo חלמיש esse, prope certum: ex Horebo enim cum Mosis jussu aqua eruperit, Exod. XVII, 5. 6. ex חלמיש צור *Challamisch petrae* erupisse dicitur Deut. VIII, 15. Ps. CXIV, 8.

Ab interpretibus antiquis, quos alias magni facio, non multum hic sperare fas est, sunt enim plerumque historiae naturalis imperiti, nec curae illis, lapidem suo proprio nomine adpellare, sed saxum, silicem, petram, rupem, vocabunt promiscue: adde, si vel fuissent curiosiores, nullum ex illis desertum Sinaiticum adiisse, in quo solo vel oculis disci potest, quod saxum חלמיש vocetur. Nec linguae Orientales hic nobis, quod ab illis petere consvevimus, praestant, nomen non habentes: nisi forte, sed mutatum in Arabica superest. Sed antequam illud adferam, de consveta interpretatione nominis Hebraici dicendum, cui Arabia novo venire et insperato subsidio videri posset.

Ergo recentiores tantum non omnes *ſilicem* vertunt, praeeunte uno in loco Jobi XXVIII, 9. Vulgata, in reliquis enim, *petram duriſſimam*, *ſaxum duriſſimum*, *rupem*, vertit. Pro ſilice facere poſſit, a nullo, quantum equidem memini, adlatum vocabulum Arabicum, خَلَنْبُوس, quod Caſtellus p. 1252. interpretatur, *pyrites*, *ſilex quo extunditur ignis*. Arabibus cum frequentiſſimum ſit B et M permutare, vix legi haec duo quadrilitera poſſunt, חלמיש et خلنبوس quin ſuſpiceris, unum idemque nomen eſſe, ſolasque in Hebraico vocales mutandas, חַלְבְּמִישׁ pro חַלָּמִישׁ.

Hac de conſveta verſione ut ſententiam dicam, accipio non dubitans, ſi *ſilex* ut nomen commune ſumatur lapidum duriorum omnium, quorum attritu ignis elicitur: videbimus hoc latiore ſignificatu plures etiam antiquorum conſentire. Sic ipſum illum complecti porphyriten poſſit, quem ex itinerum ſcriptoribus deinceps praeſeram. Quod ſi autem ſilicem proprio ſumas ſignificatu, cumque Luthero *Kieſelſtein*, vertas, ſuſpecta res videtur: nullus enim eorum, qui montem Sinai deſcripſit, ſilicis fecit mentionem, ipſumque illud ſaxum prope Sinaim, cui duodecim fontes inſculpſerunt, mentiti eos ex miraculo Moſes ſupereſſe, non ſilex eſt, ſed porphyrites.

Sed antequam naturam ipſam interrogem, reliquorum veterum verſiones breviter perſtringam. Aquila, Symmachus et Theodotion ubique hiant.

1) LXX Deut. 32. et Jeſ. 50. στερεὰν πέτραν interpretantur, ſed paulo ſignatius, Deut. 8. πέτραν ἀκροτομον, (accentum non imprudens omitto, ſed dubitans) atque adeo Pſ. 114 et Job. 28. ſimpliciter ἀκροτομον. De ἀκροτομος videndus Svidas T. I. p. 95. illud reddens, *durus*, *arduus*, *vel etiam*, *acutiſſimus lapis*, *alia ſe-*

sans.

cans. Posterius hic praefero, cum accentu in ultimo ἀκρότομος, scribens, ut sit *lapis durissimus, quo alia secari possunt.*

2) Chaldaeus, in Deuteronomio et Jesaia, תקיפא, *durus*, non male, sed nec signate: at in psalmo 114 et Jobo ineptissime שמיר *adamantem* habet. Adamantes in deserto Arabico non tanti, tamque obvii, ut ex illis percussis elici aqua potuerit.

3) Arabs uterque in Deuteronomio petram *duram* habet, Polyglottus صلد, Maurus قوي.

4) Syrus in Deuteronomio et Jobo ܛܢܳܪܳܐ quod est duri lapidis nomen, nescio cujus: in Jesaia simpliciter ܟܐܦܐ *petra*, et in psalmo, ܟܐܦܐ ܥܫܝܢܬܐ *petra dura.*

5) Samaritanus צונמא i. e. lapis.

Ergo ex his interpretibus cum nihil elici certi ac signati possit, ipsum interrogemus Horebum montem, ex quo, ictu Mosis, rivus exundavit.

Omnia vero circa Horebum ac Sinaim saxa, jam inde ab aliquot stationibus, ac pleraque ipsius montis, *granites rubescens* sunt: ut vel ex uno satis discitur Richardo Pocokio, Tomo I, l. III. *descriptionis Aegypti*, c. 1. 2. 3. ubi suum Cahira ad Sinaim iter describit. Jam quarto Aprilis die in angusta valle ab utroque latere altos montes habebat, *granite rubente, cinereo, et vario*, constantes, *pulcherrima granitis exempla* sibi colligens, (p. 140. Anglicae editionis, 211. Germanicae versionis, quae 1771 prodiit) pergensque inde ad Sinaim per aliquot dies semper granitem videbat; p. 142. 143. 144. 145. Angl. 213. 215. 216. 217. germanicae editionis, donec undecimo ejus mensis die ad ipsius montis radices pertingeret. Eandem massam montis invenit: *a septentrione ascensus Sinai montis*, proprie sic dicti, *dimidium erat granites rubens, et reliquum granites flavescens maculis nigris* (p. 220. Angl. 147.) Inscriptiones, quas memorat, vicinarum petrarum,

trarum, *in granite exaratae erant* (p. 212. Angl. 148) in templo monasterii maximi Sinaitici ab Helena conditi, *columnae ex granite.* (p. 224. Angl. 150.).

Ipsum illud saxum, a Sinai monte sejunctum, cui (mendax, ut puto) posteritas duodecim arte insculpsit scaturigines, quod ex eo aquam exsiliisse putabat, non ex ipso monte, *granites* est, referentibus, qui illud viderunt, atque, ut verbis Büschingii utar, qui labore plures *αὐτόπτας* consulendi ante me defunctus est, *saxum durissimum, rubro et albo colore, silicis instar laeve.* (Descriptio Asiae pag. 541.) Niebuhr in descriptione Arabiae p. 401. de monte Sinai agens: *dieses Gebürge besteht grössestentheils aus Sandstein; man findet daselbst aber auch Granit, und der eigentliche Berg Sinai der Christen, dicht bey dem Kloster, ist fast ganz ein grober röthlicher Granitfelsen.*

Graniten hi, quos citavi, vocant, forte melius *porphyriten* dixissent, quamquam non magno discrimine, utrumque enim nomen promiscue usurpari a multis solet. Porphyrites proprie *saxum est, ex jaspide, quarzo, spato, aliisque heterogeneis a natura compositum.*

Jam liceat, hunc Arabicum et Aegyptium graniten, aut si malis porphyriten, verbis Wallerii describere (*), ut et naturae periti indolem saxi intelligant:

„granites rubescens, cum quartzo pingui semipellucido. Granito „rosso, Italice.

„*Porphyr Aegyptiacus. lapis Thebanus* (**) *Plinii.*"

„*Syenites. Stignites. Pyrropoecilon.*

Porphyr rubens lapillulis nigris.

„Est

(*) Joh. Gottl. Wallerii Systema mineralogicum T. I. p. 408.

(**) De *lapide Thebano* Plinii adhuc dubito, licet non negem, porphyriten ex Thebaide, i. e. superiore Aegypto, adportatum.

„Est saxum compositum e spato scintillante rubente (*), quartzo „pingui semipellucido, et particulis micaseis, in majoribus vel mi„noribus quasi maculis accumulatis.

„Hic est Aegyptiacus granites, cum orientali litera 6. non con„fundendus, e quo obelisci, vel sic dictae *Gjuliae* sunt olim factae. „Huc pertinet *Giulia Laterana*, quae cum pede et crure altitudine „est 163 pedum; nec non *Gjulia Vaticana*, altitudine cum pede „et crure 133 pedum, quae olim in Aegypto sunt factae, post„modum Romam allatae. Hujusmodi alii adhuc in Aegypto con„spiciuntur obelisci, qui merito inter miracula mundi commemo„rantur."

Adscribo verba, testis αὐτόπτου et historiae naturalis peritissimi, Forskålii, qui de obeliscis Aegypti referens, *vulgaris*, inquit, *materia tantorum operum granites*, *saxum*, *spato rubro praevalente*, *minus quartzo albo*, *mica nigra minima*. *Alius rubro-fuscus*, *alius totus niger*, *columna quaedam tota alba*.

Ridere hic quidem, quod obiter indicaverim, naturae periti poëtas solent, qui marmori, caduco lapidi, et quem facile aliqua aut scabies aut aerugo exedit, ab aëre acido et nitro, aeternitatem mentiantur, suumque laudare graniten, cujus monumenta ex Pharaonum adeo tempore diu ante Persas facta, et in Aegypto et Romae supersint: sed sufficiet indicasse, ne quis naturae indoctus philologus, חרמיש legens, male de marmore conjiciat.

Porphyriten latine verti, sumto vocabulo ex Plinio, qui libr. XXXVI. hist. nat. cap. 7. (editionis Harduini T. II. p. 733. lin. 31.) *rubet*, inquit, *porphyrites in eadem Aegypto. Ex eo candidis interve-*

nienti-

(*) Jaspidem alii addunt: me judicem in quaestione historiae naturalis nemo expetierit; essetque verecundiae, sedere.

nientibus punctis Leptosephas vocatur. Quantislibet molibus caedendis sufficiunt lapicidinae: Statuas ex eo Claudio Caesari procurator ejus in urbem ex Aegypto advexit. – – et cap. 19. pag. 740. summa, de labyrintho loquens in Aegypti nomo Heracleopolitano, *intus columnae de porphyrite lapide, deorum simulacra, regum statuae, monstriferae effigies.*

Eadem saxorum natura ab Aegypto ad Sinai montem pertinuisse videtur.

In solo forte Jobi loco XXVIII, 9. חלמיש latius per metonymiam ponitur, nec enim recordantur, quos rei metallicae peritos interrogavi, venarum metalli in porphyrite.

חלף *a tergo venit, assequutus est transiit, transverberavit, successit, mutavit, regerminavit.*

Male in verbo rem egerunt lexicographorum plerique, partem tamen eorum, quae dicturus sum, perque plures jam annos ore tradidi, a S. R. Schultzio, auditore quondam meo, in lexicon Coccejanum recepta esse et comprobata suo calculo video. Omnis verbo, ejusque derivatis ex Arabico خلف Syriacoque ܚܠܦ, lux, cujus significationes ordine aliquo, ut altera ex altera ortae videntur, dispescam.

I) خلف *pone venit, insecutus est a tergo.* Sic accipio Hab. I, 11. (cujus loci varias enarrare et discordes explicationes longum) אז חלף רוח ויעבר *adsequitur* (a tergo) *ventum, et transit* Chaldaeus, rapido victoriarum cursu. Talis imago ut illa Virgilii, Aen. VII, 807.

cursuque pedum praevertere ventos,

Ovidiique metamorph. II, 160. cui solis equi

Praetereunt ortos iisdem de partibus Euros.

Job. XI, 10. אם יחלף *si insequitur adsequiturque, clausumque tradit,*

 et

et concionem (judicium) *convocat.* Job. XX, 24. *fugit ab armis aeneis, sed a tergo assequitur eum* (et trajicit, vide signific. III.) *arcus aeneus.* Forte et Jes. XXI, 1. (hujus enim loci et aliam dabo explicationem) *ut procella procellam insequitur*, una tempestas alteri succedit, sic vastator post vastatorem venit.

II) Ab insequendo et assequendo Aethiopibus quoque est, *transire*, quae Hebraeis notissima prope significatio, deque ea, utpote in lexica recepta vix opus dicere. Exempli tamen caussa adscribo, huc me referre Job. IX, 26. *transeunt cum navibus* celerrimis: Jes. II, 18. *idola erunt holocaustum* totum igne absumtum) *quod transit*, i. e. perit: ac forte, cujus vixdum aliam dederam explicationem, Jes. XXI, 1. *ut tempestas aliqua ac turbo terrarum australium venit*, *ad transeundum*, i. e. minax venit et terribilis, sed brevi, ut solitum tempestatibus, transiturus.

III) *Transire* et dici potest de *transverberando*, (transitu per corpus durum): ut Jud. V, 26. *transverberavit tempora ejus*, quo et forte Job. XX, 24. retuleris, quamquam ibi prima significatio aptissima, ut aliam rariorem optare vix fas sit. *Secandi*, *incidendi*, significatio, quam Rabbini verbo commenti sunt, inde *cultros* dici volentes, nullo certo, ac ne probabili quidem exemplo nititur, nullo linguarum reliquarum usu.

IV) Ab insequendo ducta *succedendi* significatio notissima Arabibus in خلف unde et successores Muhammedis notissimo in historia vocabulo, Chaliphas (خليفة, pluraliter خلائف) dixerunt: hanc quidem ipsam in Hebraico codice non inveni, at longe frequentissima, orta ab illa,

V) *mutandi*, in transitivis conjugationibus. Nempe, *succedere fecit aliud alii, ejus loco et post illud venire fecit*, quid aliud est quam

muta-

mutavit. Haec quidem notio et Syris frequentissima, ܚܠܦ *mutavit* cum derivatis. Exempla non adpono, quod ex lexicis Hebraicis notissima, quibusdam et prima; praeter Jes. XXIV, 5. ubi חָלְפוּ חֹק est, *mutarunt legem*, i. e. abrogarunt. Sic ibi Syrus harmonice, ܫܚܠܦܘ ܦܘܩܕܢܐ, LXX. ἤλλαξαν, Vulg. *mutarunt*, Chald. אבטילו *abrogarunt.*

VI) A succedendo, veniendoque post aliud, nova orta revirescendi significatio: أخلف *nova germina emisit exarescens herba*, خلفة *herba post aliam marcescentem germinans*, ܐܚܠܦ *regerminavit*, ܚܠܦܐ *surculus.* Sic quidem Job. XIV, 7. *arbor postquam excisa est*, יחליף *nova germina protrudit*, (LXX. ἐπανθήσει, Vulg. *virescet*: harmonice Syrus et Arabs ܡܚܠܦ, يخلف) pauloque latius Ps. XC, 5. 6. de gramine mane virescente, (non ibi quidem re-virescente:) Jesaias quoque ad revirescens, i. e. rejuvenescens et renovatum robur transfert, c. XL, 31. XLI, 1. יחליפו כוח, *renovant robur*, ubi male ac languide LXX et Vulg. *mutare robur*, ex praecedente significatione, posuerunt. Latior etiam translatio Jobi XXIX, 20. קשתי בידי תחליף quae verba non dubitans verbo, *arcus meus in manu mea renovabatur*, id est; novus semper et recens erat, suffragante insigni prioris membri parallelismo, *gloria mea* עמדי חדש *nova erat apud me*, ut חדש et חלף ipsi poetae habeantur synonyma.

Caeterum aliud plane verbum حلف per *Hh*, *juravit*: ideo notandum, quod non defuerunt, qui et ad hoc derivata nomina retulerunt.

חֵלֶף vel potius חֵלֶף Num. XVIII, 21. 31. *pro.*

Non amplius occurrit: ex punctis, חֵלֶף, nomen est, *permutationem*, i. e. *praemium* designans ministerii Levitarum, sicque Samaritanus

tanus, אַגַּר, *mercedem*, vertit; nec obnitor: cum tamen Aramaeis חֲלָף et ܚܠܦ particula sit, PRO, qua ipsa et hic Chaldaeus Syrusque utitur, (חלף פולחנכון, et ܚܠܦ ܦܘܠܚܢܟܘܢ) malim חֲלָף more Syrorum punctatum, particulam habere, *pro ministerio vestro.* Sic et LXX et Vulgata. A permutatione tamen ductum etymon, plane ut Arabibus, بَدَل, *quod pro alio substituitur*, idem est ac, PRO, quo ipso hic nomine utuntur, بدل خدمتكم *pro ministerio vestro.* Sed nolui, cum ܚܠܦ Syris sit particula notissima et quotidiana, sola punctorum verecundia nomen admittere, hac significatione et constructione reliquis linguis ignotum.

חֲלוֹף Prov. XXXI, 8. *caussa dubia et obscura.*

Ἅπαξ λεγόμενον, et perquam dubiae significationis. *Filios qui pertranseunt* vulgata reddidit, a חלף *transire*, morituros, ni fallor, intelligens. Chaldaeus Syrusque, *filios injustitiae*, non solum nullo linguarum orientalium usu (*), sed et a filo orationis, bonaque morum doctrina alienissimo, regi enim bono quis praeceperit, ut omnium sit malorum patronus? hos punire, hos expurgare, non eorum caussam suscipere, boni ac suae religioni civibusque servientis regis est. LXX quo jure sibi vertere posse visi sint, κρῖνε πάντας ὑγιῶς, *judica omnes sane*, i. e. *juste*, non adsequor. Recentiorum conjecturas potius quam interpretationes in commentario in Proverbia collegit, suamque addidit multo meliorem Schultensius, qua et ego per plures annos usus

(*) Ne quis linguam mihi opponat Syriacam, cui ex Castelli lexico ܚܠܦܐ sit *ethnicus*, *profanus*, *impius* Job. XIII, 16. Jes. XXX, 4. moneo, his aliisque locis lapsos videri librarios, rescribendumque, ut est in Hebraicis, ܚܢܦܐ. Vide grammaticam Syriacam pag. 6.

usus sum: *filii vicariae opis*, i. e. *qui vicaria ope indigent*, *qui patrono opus habent*, *caussam eorum agente*. Ex Arabismo nempe ille, cui خليفة in lexicis est, *vicarius* (Muhammedis), Schultensio et has phrases in suam rem vertente, (ex libera quidem et arbitraria versione) خلف الله عليك *vicem tibi praestet Deus*, et كان الله خليف والدك *sit deus vicarius patris tui*. Inventum tamen dubium mihi fecit, quod hic verbum nomenque nonnisi de *successore* ponitur, (ut Deo, qui patris demortui loco sit pater orphani, et successore Muhammedis) nec vicarium, nisi per interpretationem et consequens significat, nunquam autem de eo, qui alius caussam tuendam patronus suscipit. Marcus Tullius Cicero meam si caussam agat, non mihi succedit.

Licueritne ergo et eam modeste adscribere, quae mihi se obtulit, quamque in versione germanica sequutus sum, de ἅπαξ λεγομένῳ conjecturam, خلف apud Arabes ex *mutandi* significatione, etiam *varii* et *diversi* adscivit, ut Golium sub خلفة evolvens intelligens, hinc et controversa vocant, ut in conj. 8. *diversi*, *varii fuerunt*, *dissenserunt*, مختلف *diversus*, *varius* (*): sintne ergo בני חלוף quorum caussa dubia, obscura, intricata est? Egregia sententia, et praecedentibus apta: *aperi os tuum pro muto, et ad judicium eorum, quorum caussa perplexa est.* Nostri ICti *nobile* vocant *judicis officium*.

חֲלִיפָה Ps. LV, 20. Job. X, 17. XIV, 14.

Mutationis, *permutationis* significatio, quam lexica habent, sine dubio vera, unde et vestes permutatoriae sunt, splendidiores, eaedem de

(*) Habent et sub ح non punctato Arabes, مُحْتَلِف *dubius*, quod forte cum puncto scribendum fuerit.

de quibus infra ſub מחלצות agemus. De tribus tamen, quae ſupra poſui, locis, dicendum.

Ergo Pſ. LV, 20. illis non dubius accedo, qui *mutationem* verterunt, quos inter et harmonice Syrus ܠܝܬ ܠܗܘܢ ܫܘܚܠܦܐ, nec tamen de mentis mutatione in melius intelligo, ſed de mutatione fortunae, *quibus nulla eſt mutatio fortunae*, i. e. *qui nullam fortunae mutationem ſibi accidere poſſe putant, nec deum timent.* Praeivit Abenezra, cui quod opponit Schultenſius *non ſatisfacere nec ſenſui, nec uſui verbi*, edictum eſt, ſine argumento. Mutationisne ſignificatum verbo volebat abjudicatum? – – Arabicam *ſucceſſionis* ſignificationem verbo dedit Coccejus, et vero praeter rem, totumque pſalmi argumentum, *propheticae et apoſtolicae:* quaſi vero illi, de quibus pſalmus agit, prophetarum ſe ſucceſſores eſſe putaſſent! ſed pro more ſuo pſalmum plane hiſtoricum prophetice interpretabatur, nec ſatis illi erat, haec prophetica in Commentariis promere, ſed et lexico intexebat.

Schultenſius in *animadverſionibus ad loca V. T.* حلف *jurare* conferens, *juramentum* vertebat, *quibus nihili ſunt foedera jure jurando ſancita.* Acciperem ſane, ut ſequentibus perquam aptum, niſi conſveta ſignificatio, ut eam Abenezra explicuit, optime hic locum tueretur. Caeterum nimis ſui inventi ſtudioſo Schultenſio hoc quoque excidit, *Arabice* حلف *unice jurare notat:* verum! ſed et aliud eſt Arabicum, Hebraico reſpondens, خلف, nec Syriaco ܫܚܠܦ *mutandi* ſignificationem quisquam abrogaverit; ſed nimio Arabiſmi amore Syriaca fere negligebat vir magnus, veraeque inter Batavos philologiae reſtaurator.

Job. X, 17. חליפות וצבא עמי. Hic quidem ſi צבא *moleſtiam, aerumnam*, intelligas, ſive etiam, ut fecerunt LXX. *agmina hoſtilia* Jobum invadentia (πειρατήρια), חליפה erit, perpetua ſucceſſio ac vices

novo-

novorum malorum. Sic fere Chaldaeus, מתחלפן מחותא *mutantur plagae*, et Syrus ܡܫܚܠܦ ܚܝܠܘܬܟ ܥܡܝ *exercitus mutas*, seu, *de novo venire facis* (تُرجِع ex eo Arabs) *contra me.* Notari et hoc velim, in praecedente versus membro nostro nomini respondere, תחדש *renovas testes tuos*, i. e. novos testes producis contra me, quod interpretationem a me datam confirmat. Vide pag. 787.

LXX quidem et Vulgata ab hac, quam dedi, versione diversi, superest tamen et in illis, vera sed alia verbi חלף notio. Illi, ἐπήγαγεν ἐπ ἐμὲ πειρατήρια, *latronum turmas mihi immisit*, sumta prima חלף significatione, *insequi*, et nomine per verbum circumscripto, *insequi latronum turbas me fecit.* Vulgata: *poena militavit in me*, חליפה, *id quod insequitur*, poenam interpretatus est, fierique id, nisi meliores explicationes suppeterent, posset, cum vel Arabibus, sed de quorum lingua nihil noverat Hieronymus, أخلف sit, *retribuere*, ut in phrasi, Golio citata, أخلف الله عليك *retribuat tibi deus.*

Job. XIV, 14. *sperabo donec veniat* חליפתי valde anceps, sententia ex varia lectione praecedentium pendente. Vide notas ad versionem Jobi, bibliothecamque orientalem T. VII. pag. 238. Possis enim vertere, ut filum poposcerit orationis, sive

1) *mutatio mea*, (sic literaliter Vulgata, *immutationes meae*). Possit autem mutatio esse, sive, *melior fortuna*, sed hanc non sperabat Jobus, sive, *ipsa mors*, quam solam Jobus, malis finem facturam, sperabat, sive denique, *resurrectio*, παλιγγενεσία, *altera vita*, sic LXX. ἕως πάλιν γένωμαι. Egregie!

2) sive, *revirescentia*, ex significatione verbi quinta, donec revirescam, i. e. ex mortuis resurgam, eadem cum LXX παλιγγενεσία sententia, sed pulcrius et poetice dicta, solent enim Orientales,

ipſeque Coranus, reſurrectionem orientibus ex terra et vireſcentibus ſeminibus comparare.

Non inficior, poſterius mihi praeplacere: ſed lexicographi eſt, indicare, quid nomen ſignificare poſſit, optionemque, quid hoc vel illo loco ſignificet, ex filo pendentem orationis, interpreti relinquere. Caeterum perquam male Syrus hic, ex eoque Arabs, ܫܘܚܠܦܐ *canitiem, ſenectam*, vertit. Non nego, a mutatione et ſucceſſione, ſenectam dici potuiſſe, ſed nulli linguarum Orientalium ita dicitur, eſtque huic loco una omnium ſignificationum ineptiſſima, Jobo ſaepe per totum librum citam mortem optante, diuturnioremque vitam, in inſanabili morbo, ut malorum maximum perhorreſcente.

מַחְלְפוֹת *plexurae capillorum* Jud. XVI, 13. 19.

Vix licet per filum orationis dubitare, quin *plexurae* ſint crinium, crines in laqueolum artificioſe contorti, ut praeiverunt LXX. *σειρας*, Chald. גְּדִילָת, Syrus ܓܕܘܠܐ Arabs خُصَال (plurale a خُصْلَة, in Golii lexico neglectum): quos enim noſtra lexica habent cincinnos, paulum diverſos, ex Kimchii et Reuchlini lexicis tralatitios, non ſolum omni veterum auctoritate carent, ſed et primo loco parum ſunt apti; Vulgatae, *ſeptem crines capitis*, quibus alligari ſe jubet Simſon, aut qui ei reſecantur, niſi benevole interpreteris, ridiculi.

Eſt tamen perquam moleſtum, quod vocabuli ſignificatus non modo uſu, ſed et etymologia linguarum Orientalium deſtitui videtur. Quod enim cincinnis dare lexica ſolent etymon, a Kimchio acceptum, *quod mutentur* (caneſcant) cui placere poterit? alterum, ejusdem auctoris, a *cultrorum* ſimilitudine cincinnos dici, (nempe ſequens מחלף Judaei, *cultrum* interpretantur) lexicographi, qui eum ſequuti ſint, ipſi reliquerunt.

In

In Golii quidem lexico خليف *contortus, convolutus*, reperio, cujus si usum et exemplum ullo ex libro haberem, huc referrem, miraturus tamen, qui fiat, ut talis significatio, a reliquis omnibus discors, Arabico vocabulo obvenerit. Sed ex solo Golio novi, atque diffido.

Nec tamen plane etymologia carere velim, est enim suspecta vocabuli rarissimi versio, nullo usu linguarum sororiarum, firmata, ac cui praeter morem ne etymon quidem porrigunt. Duplex quaerenti se offerebat, quod inter optabunt lectores.

1) Meminerimus hoc *plicarum capilli* nomen, non nisi de Nazi-raei capillo occurrere: possitne ergo referri ad حلف *juravit, foedus iniit*, unde حلف *foedus?* sintne *septem foederalia capitis*, i. e. septem capillorum plicae, quas foedere obstrictus Naziraeus gestabat?

2) Hoc nisi placeat, dictaene plicae capillorum a tergo dependentes, a prima verbi خلف significatione, *pone fuit, a tergo fuit?* — Posterius praeferre mihi videor.

מחלף Ezr. I, 9. *cultri? an, vasa libatoria minora?*

מחלפים inter vasa templi, et vero aurea, argenteaque nominantur, Judaeis a Cyro reddita; sed difficilis atque ambigua *ἅπαξ λεγομένου* explicatio.

Cultros habet Vulgata, quod ex usu Rabbinorum haustum, Thalmudicis enim חלופות *cultri* sunt *mactatorii*, a quibus et conclave templi, in quo cultri adservabantur, בית החילופות vocant. Addere et derivationem Rabbini solent, a חלף *incidere*, Jes. II, 18. Proverb. XXXI, 8. sed quae loca hanc incidendi significationem neutiquam probant, aliis suppetentibus, usu linguarum sororiarum confirmatis. Addunt (vide Buxtorfii lex. Thalmudicum) חילוף Arabibus *cultrum* esse, quo tamen vocabulo lexica Arabica plane carent, nec Rabbinis certa fides,

fides, et alia vocabula Arabicae linguae, cujus ignari erant, comminisci solitis. Castellus in lexico Syriaco habet, ܡܚܠܦܐ, *culter*, sed sine teste et exemplo. Ergo interpretatio dubia, donec certa exempla sive ex Syriasmo adferantur, sive ex Arabismo. Nec tamen etymo destituimur, meliore quam quod Rabbini produnt: cultri enim et vero quibus victimae mactantur, recte dici potuerint a perforando, quod sub tertia verbi significatione supra habuimus. Sic cultri erunt mactatorii, aureis argenteisve capulis.

Vestes mutatorias, id vero est, festivas, Septuaginta verterunt, exque illis Arabs, παρηλλαγμένα, مبدلة, nempe conferentes Genes. XLV, 21. חליפות שמלות, (*permutationes vestium*). Sic et Syrus ܐܣܛܠܐ *stolas* habet. Non negem, vestes elegantiores ac festivas a permutatione dici potuisse: at in hoc loco vestes omnino et universim displicent, ob rationem a Clerico indicatam, quod de vasis templi sermo, non de vestibus: nec vestes sacerdotales post quinquaginta annos dignas fuisse, quae redderentur, putem, a tineis, aut temporis ipso lapsu exesas. Ergo haec interpretatio abdicetur.

Mihi quidem, de cultris dubitanti, donec certior adferatur linguarum orientalium auctoritas, et haec subnata conjectura, *vasa* esse *libatoria*, dicta sive a permutatione, id est minora, in quae ex majoribus vinum infunditur, sive a حلف *jurare, foedus sancire*, quod vino ex phiala effuso veteres foedera sanciebant Virgil. Aen. VIII, 640. 641.

paterasque tenentes,
Stabant et caese jungebant foedera porca.

Id mihi, si cultri abdicandi, (quamquam illos nondum abdico) visum est verisimillimum, postquam intellexi, praeivisse librum Ezrae apocryphum c. II, 12. θυίσκας, quod nomen alias pro כפות *vasis mensae*

sacrae

sacrae libatoriis minoribus poni a LXX solet. Cultri si probari ex linguis orientis possunt, cedant θυίσκαι.

חלץ

Notissimae sunt et verissimae significationes 1) *extraxit*, *exsuit* 2) *liberavit*, quasi extraxit ex malo et periculis 3) *diripuit*, *spoliavit*.

Habent Arabes et Syri, hi quidem *exsuendi*, *diripiendi* maxime significatione: Arabum contra lexica in خلص primam *exsuendi*, *extrahendi*, significationem plerumque omittunt, habent derivatas, ut, *liber*, *salvus evasit*, (ereptus, liberatus est) quin et inde *eximium*, *exquisitum*, *purum*, *sincerum*, tanquam extractum dicunt, petita forte a metallis phrasi. Schröderus de vestitu mulierum Hebraicarum p. 211. et primae *extrahendi* significationis aliqua ex scriptoribus Arabicis congessit exempla, sed non plane manifeste, possis enim et *liberare*, atque, *eripere*, secundarias significationes, substituere. At *extrahendi*, *exsuendi* significatio frequentissima illis superest in خلع, Tsade ut saepe accidit in Ain mutato, quin et خلس *rapuit*, idem nostro verbum ex eoque ortum videtur. Syriaco in lexico Castelli ܚܠܝܨܘܬܐ *proterviam* reperies, addito exemplo Job. XII, 21. quod cum forte transferri speres posse ad locum difficilem Ps. VII, 5. ubi חלץ malo sensu poni videtur, monuerim, exemplum stabiliendae novae significationi non sufficere. Est nempe alias ܚܠܝܨܘܬܐ *alacritas*, jam haec legens ܚܠܝܨܘܬܗܘܢ ܕܓܢܒܪܐ ܗܘ ܡܪܦܐ, quid est, cur non potius vertas, *alacritatem fortium remissam facit:* sic et Arabs, والمرادة الاقويا يرفضها *voluntatem promtam fortium flaccidam facit.*

De phrasi כחלץ לצבא infra sub חלוץ dicam. Unicus locus, quem aegre ex notis verbi חלץ significationibus expedias, Ps. VII, 5. *si hoc feci* (quod hostes mei de me calumniantur), ואחלצה צוררי *eripuique hostem meum* &c. Plane displicet, quod habet Raschius, *si*

exſuere Saulo in ſpelunca veſtes volui cum extremitatem pallii ejus abſcinderem, ut jejunum ac prope ineptum: Kimchiique, *atqui eripui hoſtem meum*, ut coactum nec conſtructioni aptum. Ergo in verſione germanica, bibliothecaeque orientalis Tomo X. p. 198. mutare lectionem auſus ſum, ואלחצה, *ſi anguſtavi anguſtantem me*, auctoritate Syri et Chaldaei interpretis (ܐܠܨܬ, *anguſtavi*, דחקית *truſi*, *impuli*) placetque mihi, licet codex Kennicottianus ſuffragetur nullus, correctio, quod placuiſſe aliis inque verſionem ſuam receptam eſſe vidi, Knappio, et Moſi Mendelsſohn (*Drückt' ich den, der mich umſonſt gehaſst*). — — Rationem tamen ſibi reddi forte velint lectoris, quid ſpectantes hoc ipſum verbum ἀποπίπτειν verterint LXX ἀποπέσωμαι ἀπὸ τῶν ἐχθρῶν μου κενός, id eſt, interprete Theodoreto, *inimicis me meis ſubjicias, ut non ſolum gloria et regno me privent ſed et tradant* (καταγελάστῳ θανάτῳ) *morti cum ludibrio?* Credo eos חלץ *exſuere*, hic intranſitive et ſemipaſſive accepiſſe, *exſui*, *excidere*, eſtque haec lectionis quam falſam puto, explicatio optima.

מַחֲלָצָה *veſtis ſplendidior.*

Veſtes ſplendidiores eſſe, ita dictas ab *exſuendo*, quod domi exſuuntur, nec niſi feſtivo geſtantur tempore, viderunt ex lexicographis et interpretibus meliores: copioſiora vero aut certiora qui cupit ablegandus ad Schröderum, cap. 14. *commentarii de veſtitu mulierum Hebraicarum*, alios etiam, ſecus interpretatos, indicantem et refellentem. Id unum excerpo, Arabibus veſtes ſplendidiores, regum munera, amicis, magnatibus, legatis dari ſolita, eodem fere nomine, ſed Tſade in Ain mutato خلعة dici, quod nomen itinerum ſcriptores non pauci, ſua lingua literam non habentes, quae خ Arabum exprimat, *Khalaa* ſcripſerunt. Reliqua ab ipſo diſces, nolim enim, ingratus, ſcriptum ex quo profeci compilare.

חלצים *lumbi.*

Vocabulum non dubiae significationis sed quod his literis scriptum soli Hebraei habent, nec quidquam, quantum video, ad significationes verbi חלץ pertinens. Arabes plane non habent, Chaldaei et Samaritani per R scribunt, חַרְצִין et חרצי, Syrique R abjicientes, ܚܨܐ. Huc multi referunt, de quo jam agam,

חלוץ *miles, lectus in exercitum.*

חלוץ, vel ut aliquoties plenius legitur חלוץ צבא, eum designare, qui in exercitu est, *militem,* dubio vacat, habentque lexica omnia, quin et verbum, secundum puncta in Niphal, ita ponitur. Num. XXXI, 3. XXXII, 17. 20. De solo etymo ambigi possit, pluribus se offerentibus, quae inter non recentiores modo, sed et veteres divisi.

1) Verisimillima mihi sententia ad חלץ *extrahere* refert, ut sint, *extracti* id vero est *lecti* ex reliquo populo ad bellum. Sic verbum חלץ *extrahere*, sensu militari erit, *delectum habere.* Praeivit ex veteribus Aquila, Deut. III, 18. ἐξῃρημένοι. Eodem et refero, quod Num. 31, et 32, Maurus habere solet, معدّوني عسكر *numerati ad exercitum.* Favet eximie frequens phrasis, חלוצי צבא *lecti ad exercitum*, verbumque, ut ponitur Num. XXXI, 3. הֵחָלְצוּ, seu ut mallem in Hiphil, הַחֲלִצוּ, (septem adeo codicibus Kennicottianis החליצו, quod indubie Hiphil est, habentibus) *deligite ex vobis viros ad exercitum, — — mille ex quavis tribu,* ubi quidquid pro *deligite* substitueris ex sequentibus etymis, constructioni ac rei minus aptum. Quin totum nos huc vocat caput 32 Numerorum, quae enim ibi promittunt tribus transjordanenses, v. 17. אנחנו כחלץ חשים לפני ישראל, atque, accipiente stipulationem Mose, se transituros esse Jordanem חלוץ et חלוצי צבא v. 21. 27. 29. 30. 31. non totae armabantur, sed quadraginta modo millia, delectu insti-

instituto, Israelitis trans-Jordanem subsidio mittebant. Vide Jos. IV, 13. Omnia ex hac significatione plane expedita, quam me in versione bibliorum germanica non expressisse, plures ac consvetudinem sequutum, doleo.

2) Proximum ab hoc aut idem, quod Saadias in versione Arabica Pentateuchi, e. g. Num. XXXI et XXXII. habet, جرّد *evaginare*, sive ut جرد etiam latius sit, *extrahere ex populo*, delectum *militum habere*, sive, ut qui ad bellum mittantur, gladio comparati exsui dicantur et evaginari.

3) Possit etiam *exsutus* dici, exercitus sine impedimentis. Hoc spectasse videntur, qui εὐζώνους, *expeditos* vertunt, ut LXX Jos. IV, 13. itemque Symmachus et Vulgata Jes. XV, 4.

4) Ab eadem *exsuendi* significatione derivans ἔξωμον vertit Aquila, Jes. XV, 4. (vide Hieronymum ad hunc locum in commentario priore, p. 118. Tomi III. edit. Martianaei) id est, *cui nuda brachia sunt, et exserta.* Nempe ἐξωμὶς Svidae T. I. p. 778. *tunica est non tegens brachia,* qualis apud antiquos decere virum et maxime militem putabatur. Vide Virgil. Aeneid. IX, 616. ubi in opprobrio est, *et tunicae manicas et habent redimicula vittae.*

5) Denique et fuerunt, qui ad חֲלָצַיִם *lumbos* referrent, ut hinc חלץ verbum denominativum sit, *lumbos accingere*, et חלוצי צבא *accincti bello*, i. e. *armati.* Sic Chaldaeus in Pentateucho מזרזי vertit, ac forte eodem pertinet εὔζωνος, quod Hieronymus ad Jes. XV, 4. *accinctos* vertit. Hinc et fluxit, quo LXX in Numeris uti solent, ἐνωπλισμένοι, Syrusque ܡܙܰܝܢܐ, *armati.*

Etymologiarum, ex quibus primam magnopere praefero, nec tamen veri dissimilium, jam satis; alioquin et sextam addere possem, cum Syriaco ܚܠܝܨܘܬܐ *alacritas*, et ܚܠܝܨ ܩܪܒܐ conferens, *alacres ad bellum.*

bellum. Ipſa alacritas ab exſuendo, depoſitisque omnibus impedimentis, dicta videtur.

חלקלקות Dan. XI, 34.

Nomini duas ſignificationes tribuunt, et jure quidem, lexicographi, *lubrica ſaxa*, fallente veſtigio, et *blanditiae:* poſteriorem loco, quem ſupra citavi, Danielis aptarunt Vulgata, *fraudulenter*, (blanditiis pro fraude poſitis) Syrus ܒܢܟܝܠܘܬܐ, ac recentiorum plerique, ſed hiſtoriae, quantum ex libro primo Maccabaeorum cognitam habemus, minime aptam, qui enim Judae ſe Maccabaeo adjunxerunt, integerrimo animo et fortiſſime rem geſſerunt. Diffluxit, fateor, magna pars exercitus ejus ante ultimum, in quo cecidit, praelium, 1 Macc. IX, 1–22. ſed quis illos, hiſtoriam legens, fraudis adcuſaverit? Nec qui Syris ſe creduli ſubjecerunt legis periti et Chaſidaei 1 Macc. VII, 12. 13. fraudulenter ſe ei adjunxerant, ſed viri nimis boni a Bacchide decipiebantur.

Suſpicor ergo potius, et hic lubrica ſaxorum intelligenda eſſe, ſed ſenſu translato, pro *rebus periculoſiſſimis ac prope deſperatis: multi ſe illi adjungent in lubrico ac periculoſiſſimo rerum ſtatu.* Favet explicationi, quod praeceſſit aliquoties et ſequitur lapſandi ac cadendi verbum, כשל. Vide verſionem germanicam. Proxime a mea ſententia abeſt Theodotion, ἐν ὀλισθήμασι, *adjungent ſe illis multi inter lapſus.* A LXX hic nihil opis.

חלקים Jeſ. LVII, 6. *laevia, praecipitia.*

Puncta ſi ſpectes, ἅπαξ λεγόμενον, חַלְּקֵי, quod enim ſocium illi addit Coccejus 1 Sam. XVII, 40. חַלֻּקֵי ſcribitur. Quid ſignificet de eo valde diverſa ſentiunt, cum interpretes tum lexicographi.

Mihi quidem eorum verisimillima sententia, qui glabros et laeves lapides intelligunt: sed et ex hoc etymo acceptum nomen diversissime explicatur. Raschius lapides intelligit, quibus sontes lapidantur, lapidatum iri vult Israelitas, hanc eorum sortem, hoc praemium peccatorum fore; Lowthus, episcopus Londinensis, Baetulia, lapides superstitioso ritu cultos, perquam verisimiliter, (quod enim Koppius adscripsit, se plane non assequi, quomodo חלקי נחל verti possit, *glatte Steine des Thals*, id ipsum ne intelligo quidem, cum notissima חלק derivatorumque vis in glabritie et laevitate sit) alii lubricos torrentium lapides, vestigia fallentes: alii denique, quorum sententiam praetulerim, *lubrica praecipitia vallibus impendentia.* Nempe in horrendis vallibus superstitiones peragi solebant, filiorumque sacrificia. Praeivit illam, cui, si vera est, gratias habendas censeo, Chaldaeus: *in lubricis petrae vallium. Glabros torrentium* lapides Schmidius intelligebat, ac saxa, periculosam facientia navigationem: immemor, in Palaestina parum navigari, nec illam catadupas aut periculosa navigantibus in Jordane loca habere, a quibus desumi imago potuerit.

Partes torrentis Vulg. et Syrus habet, obscuro sensu: *partes quas fluvius circumfluit, quibus veluti insulis dividitur*, Simonis, a re alienissime.

Novam his conjecturam addidit Koppius in notis ad Lowthi Jesaiam, ipsa in vallibus culta idola חלקים dici a خلق *formavit*, apte ad seriem orationis.

Ergo certi nihil habemus, sed inter conjecturas arbitrandum, quarum verisimiliores sunt, *laevia praecipitia vallibus impendentia, baetulia, idola.* Primum hanc maxime ob caussam praetuli, quod significatio laevium lapidum in aliis a חלק derivatis occurrit, maxime in quadrilitero חלקלקות.

חלשׁ *stravit, despexit.*

Verbum ter obvium, Exod. XVII, 13. Jes. XIV, 12. Job. XIV, 10. ejusque nomina derivata, Exod. XXXII, 18. Joel. IV, 10. distinguendum a חשל, alias significationes radicitus habente, licet non negem, utrumque verbum transpositione literarum confundi potuisse. Lexica illi fere dant *debilitandi* significationem, ex lingua Chaldaico-Rabbinica (*), praeeuntibus jam Kimchio et Reuchlino, sed quae vix primo loco satis convenit, quae enim phrasis, quam elumbis, de acie et bello, *Josua debilitavit Amalecum ore gladii?* Jesaiae autem plane inepta, ob constructionem cum על, (*debilitans super gentes*). Hoc quidem ipse vidit Kimchius, על sibi obstare, sed his verbis excusat: *redundat* על, *recte enim sine* על *procederet sententia.*

Primo quidem loco Exod. 17. omnes satis conspirant interpretes, de strage hostium verbum poni, sed unde illa dicta sit, et quid proprie significet verbum, colligi ex illis nequit, quisque enim suae linguae verbo et figura recte utitur, de etymo non sollicitus, LXX. ἐτρέψατο, Vulg. *fugavit*, Saad. كسر *repulit*, Chald. et Syrus תְּבַר *fregit*, Arabs Erp. قطع *concidit ore gladii.*

Mihi quidem verisimile, חלשׁ proprie esse, *stravit, projecit*, (e. g. humi): hinc Arabibus حِلْس *stratum, clitellis cameli supponi solitum*, unde حَلَس *stravit camelum:* hinc et Thalmudicis חלשׁ generatim *projicere*, peculiariter, *jacere sortem*, unde חוֹלֵשׁ *sors.*

Jam

(*) Habet quidem et Castellus sub Syriaco ܚܠܫܐ *debilis*, sed id sine exemplo probante positum, exque lexicis Hebraicis sumtum. Quotidianus lexicographorum error, consvetae vocabulorum Hebraicorum explicationi non fidentium modo, sed et credentium, omnes veteres interpretes eodem modo vocabulum intellexisse.

Jam Exod. XVII, 13. egregie reddes, *stravit Josua Amalecum ore gladii:* Job. XIV, 10. *vir moritur,* ויחלש (*) *et humi sternitur.* Mirum, neminem ibi verum vidisse, veteresque tam discordes esse, quam qui maxime. LXX *ᾤχετο, abiit,* Syr. ܒܠܐ *veterascit,* Chald. יתמקמק *tabescit,* Schultensius, *fatiscit,* (hic minus etiam reliquis adferens probabilia, quis enim fatiscere morti postponat? *moritur et fatiscit?*) Vulgata, *nudatus.* (*Homo postquam moritur, nudatus atque consumtus, ubi, quaeso, est?*) Sed de hac aliquid dicendum, lectore forte scire cupiente, unde *nudare* suum habeat. Nempe ex Buxtorfii lexico Thalmudico-Rabbinico p. 778. disces, Rabbinis Chaldaeisque aliquando esse *exsuere,* ut ipse quidem putat a חלץ, cujus exempla alia addo Tharg. Hierosolym. Levit. I, 16. ויחליש ית עלתא *excoriavit holocaustum,* Numeror. XX, 26. ותחליש ית אהרן *exsues Aharonem.* Hoc ergo significatu Rabbinico Hieronymus, a magistro suo edoctus, חלש acceperit. Quamquam ea et possit, ex confusione cum שלח, quod ex prima significatione est, *exsuere,* literarumque transpositione, orta esse, aut varietas aliqua subesse lectionis: ipse certe Buxtorfius monet, ubi חלש est exsuere, alios habere, שלח, inque Jesaia manifestum, LXX חלש cum שלח confudisse, aut שלח legisse, vertentes, *ὁ ἀποστέλλων πρὸς πάντα τὰ ἔθνη.*

In solo hoc, quem vix dum dixi loco Jes. XIV, 12. חולש על גוים, nec inopia sed copia bonarum, quae ultro se offerunt, optionemque faciunt difficilem, explicationum laboramus. Ea, quam primo loco posui, significatione uti possis, modo puncta mutes, עֹל, *jugum imponens gentibus.* Nec repudianda, quam ex Thalmude (tr. Schab-

(*) sive intransitive, in Kal, sive passive mutatis punctis, in Niphal וַיֵּחָלֵשׁ.

Schabbath) citaverat Kimchius, versio, post illum prope neglecta: *fortem jaciens super gentes.*

Sed accedit tertia, auctoritatem etiam veterum habens, quam in versione sequutus sum, *despiciendi* et *contemnendi.* Nempe Syrus vertit, ܡܨܠܐ ܥܡ̈ܡܐ *contemtor* gentium. Habet hunc significatum ܡܨܠ apud Syros, proditum quidem a Castello in lexico, sed exemplis non confirmatum: quam ob caussam, ne quid dubii sumatur, locum adscribo Danielis, XI, 21. ubi נבזה *contemtus*, per ܡܨܠܠܐ redditur. Accepit חלש ni fallor significationem ex transpositione literarum, Arabibus enim, حسل, خسل et خشل est, *vilem habuit, despexit, rejecit ut vilius.*

De נחשלים, quod nulla lectionis varietate Deut. XXV, 18. habetur, sub חשל agemus.

חֲלוּשָׁה Exod. XXXII, 18.

A חלש *stravit*, significatione bellica est, *strages*, i. e. strati et victi, oppositi ל̇ גבורה, i. e. victoribus.

חַלָּשׁ Joel IV, 10.

Stratus, i. e. *victus.* Novos animos victos sumere bellumque renovare numen jubet: *falces cudite gladios! dicat victus, heros sum.*

חָם nomen proprium, *Hami*, et *Aegypti.*

I) חם nomen proprium filii Noachi tertii, undenam dicti, utrum a חמם Arabice, حمّ *calore*, quod calidissimas posteri ejus regiones habitarunt? an, ut vult Simonis in onomastico, a derivato inde حُمَّة *nigredo*, أَحَمّ *niger* (tanquam, combustus), quod Nigritarum pater fuit? non expedio. *Aethiops* quidem Arabibus حَامِيّ. De hoc ergo utcunque statuas, id prope certum, nomen esse, non quod

 olim

olim a parentibus accepit Chamus, sed cognomen, a posteris ei inditum, qualia multa habere Hebraeos, in Spicilegii geogr. parte II. p. 76. (*) disputatum.

II) Plane ab hoc Chami nomine separandum חם ubi nomen Aegypti fit, forte et aliis punctis scribendum, certe origine non Hebraicum nec Arabicum, sed Aegyptium, quae linguae sunt inter se disjunctissimae, licet casu aliquando eveniat, ut consonans quodammodo utriusque linguae vocabulum significatu quoque conveniat. Confudit hic Simonis, aut certe non distinxit, ut fas erat, linguas diversissimas earumque vocabula.

Nempe notum ex Plutarcho de Iside, Aegyptum patria lingua *ob nigredinem soli*, *Chemian*, *id est*, *nigram dictam fuisse*, (ἔτι τὴν Αἴγυπτον ἐν τοῖς μάλιστα μελαγγαίον οὖσαν, ὥσπερ τὸ μέλαν τοῦ ὀφθαλμοῦ, χημίαν καλοῦσι) quin et Nilum ipsum, Aegypto alias quoque cognominem (*), *Nigrum* non adpellative solum sed et proprio nomine vocari. Vide haec copiosius dicta a *Forstero* in epistolis ad me datis, p. 36–38. La Crozianum lexicon Copticum evolvens, videbit χημι (*Chimi* adpellandum) vulgare linguae Copticae nomen Aegypti esse, p. 115. Χαμε autem et Καμε p. 114. 30. *nigrum* significare. Jam חם Ps. LXXVIII, 51. CV, 23. 27. CVI, 22. nomen Aegypti poëticum, non ductum a Chamo videtur Noachi filio, tot aliorum populorum communi progenitore, sed sumtum ex ipsa Aegyptiorum lingua, nec putem, ut puncta volunt, חָם adpellandum, sed consone Aegyptio χημι, חֵם vel חֶם. Caeterum unde Aegyptus hoc domesticum nomen, *Chemi*, habuerit, in tanta linguae Copticae strage, exiguis-

(*) Αἴγυπτον Homero, Odyss. IV, 354. 355. Nilum esse, docet *Rob. Wood* in, *Essay on the original genius of Homer* (*Versuch über das Original-Genie Homers*) p. 120. seqq. versionis germanicae.

guisque reliquiis, non pro certo dixerim. Ipſum illud, quod a nigredine, veriſimillima quidem, ſed tamen conjectura Graeci, Plutarchi, nec enim plane eadem, χημι *Aegyptus*, et χαμε, *niger*. Quod ſi a nigredine, duplex ſe offert denominationis cauſſa, ſive

1) ut ſit *nigrum ſolum*, id vero eſt, *ager cultus*, oppoſitus circumjectis deſertis, plane ut apud Svidam, T. II. p. 521. μελάμβωλος, *nigrum ſolum habens*, nomen eſt Aegypti. Nempe Aegyptus proprie dicta, illa eſt, quae aratro paret, Arabibus quoque ريف *ager cultus* dicta, anguſta ab utraque Nili ripa Syene inde (ſub gradu $23\frac{1}{3}$ lat.) usque ad gradum 30, dilatata in Delta. Vide notam ad Abulfedae Aegyptum, 40 et 42, ubi et Strabonis locum adduxi, qui latitudinem Aegypti, reliqua enim ab utroque latere Arabia et Libya dicebantur, a finibus inde Aethiopiae usque ad Delta, raro 300 ſtadiorum ($7\frac{1}{2}$ milliarium germanicorum) eſſe dicit, manifeſte ſolam terram cultam Aegyptum vocans.

2) ut Nili ſit nomen, Nigri dicti, ſive quod ex Nigritarum terra oritur, ſive quod minime limpidus, limo turbidus Aegypto exundationis tempore innatat. Nempe tota, quae fertilis eſt Aegyptus, deſertis ab utroque latere Arabiae et Libyae oppoſita, non ſolum ad Nilum ſita, ſed et vere Nilus eſt, ab ipſo rigata, Auguſtoque et Septembri menſibus merſa et inundata, unde fit, ut Nili Aegyptique nomen idem ſit.

Mihi utrumque veriſimile, ac conjungendum videtur. Sic χημι, *Aegyptus arabilis, Nilo merſa Septembri menſe, nec illo menſe niſi majore, ut indigenae dicunt, ſuperſtagnantis Nili, oppoſita deſertis ab utroque latere.*

Ad hanc Aegypti ſignificationem et retulerim, praeeunte Clerico, ſi modo ſana eſt lectio, 1 Paral. IV, 40. כי מן חם *ex Aegypto enim erant,*

erant, qui antea ibi habitaverant. In ea Arabiae peninſula, quae ſinu Heroopolitano et Aelanitico clauditur, ſine dubio olim et coloniae fuerunt Aegyptiorum, quod vel produnt figurae hieroglyphicae in monte Niſo, nunc Gobl elmoctheb, a Diodoro Siculo l. I. c. 27. memoratae, quas Diodoro non creditas, nec quidquam de Diodoro ſuſpicans, atque adeo plane contra mores gentium ad Israelitas referens, detexit deſcripſitque Niebuhrius, T. I. itinerum, p. 235–238. (Vide, ubi diſtinctius de illis egi, bibliothecam Or. T. VII. p. 26–28.) Quin et geographi Arabum hujus peninſulae urbem, Tor, Aegypto accenſere ſolent; vide Abulfedae Aegyptum p. 10. ſed hoc forte non utendum, quod nimis recens eſt, mediique aevi. — — Suſpicari tamen poſſis, (nec ipſe mihi ſuſpicionem excutio, licet nullus codex Kennicotto conſultus ei ſuccenturietur) legendum eſſe, כי מנוחה, *quoniam quiete habitabant ibi ex longo tempore.*

III) Ex inſigni varietate lectionis, ac certa, ſed quae noſtris codicibus omnibus (illis quidem qui excuſſi et conſulti ſunt) periit, quam et puncta ſequuntur maſorethica, tertia aliqua, urbs? an regio? in vicinia fuit Aſteroth Karnaim, Geneſ. XIV, 5. בְּהָם. Nempe quod nos legimus, אשר בהם, quis quaeſo Hebraicarum literarum peritus, nec punctis impeditus, non efferret, אשר בָּהֶם, *qui erant inter illos?* At ſecus non ſolum puncta, בְּהָם, ſed Onkelos, דבהמתא Arabs Pol. في هام, ac ſi nomen proprium eſſet; *Ham*, nobis quidem ignotum. Sic quidem illi per He, at Hieronymum per Chet בחם legiſſe, ex ejus in Geneſin quaeſtionibus conſtat: *BAEM, pro quo dixerunt ἅμα αὐτοῖς, putarunt ſcribi per He, dicti elementi ſimilitudine, cum per Heth ſcriptum ſit: BAEM enim, quod per tres literas ſcribitur, ſi He habeat, interpretatur, IN EIS: ſi Heth, ut in praeſenti locum ſignificat, IN HOM.* Soli huic lectioni, Hieronymi tempore notiſſimae,

mae, VII suffragantur codices Samaritani, Judaicus nullus, neque Kennicotto consultus, nec a de Rossi excussus, quod quidem codicibus superstitibus honori minime cedit. Ex hac ergo lectione fuerit aliqua in vicinia Asterothae, id vero est, in Basanitide, *Chama*, nescio quae? et unde dicta? Samaritanus Laischam interpretatur, (בליׁשה) eam, credo intelligens, de qua Jud. XVIII, 7. sermo: sed is quidem auctor non gravis. Vera si dixisset, posses ad 1 Paral. IV, 40. transferre, ita ut Laischa olim pulsi a Danitis exsules Gerarae consederint, iterum a Simeonitis pulsi: sed in his rebus exigua Samaritani interpretis auctoritas, ut, quae Basanitidis Chama fuerit, malim ignorare, quam ei credere.

חֶמְאָה *lac spissum.*

Septies his ipsis literis punctisque scriptum occurrit, Genes. XVIII, 8. Deut. XXXII, 14. Judic. V, 25. 2 Sam. XVII, 29. Jes. VII, 15. 22. Proverb. XXX, 33. Job. XX, 17. octavoque loco sine Aleph חֵמָה, Job. XXIX, 6. ubi ex serie orationis manifestum, חמה idem esse quod חמאה, sicque acceperunt, non recentiores solum, sed et ex veteribus LXX et Chaldaeus, (Syrus enim, et Arabs hic hiant, trium Graecorum fragmenta non habemus). Videtur tamen defectiva scriptio vera, cum non nisi in uno Kennicotti codice חמאה, et vero in margine, repertum sit.

Mirus hic error lexica omnia invasit, invasit et commentarios, חמאה *butyrum* esse, nec exsors in lexicographis culpae, praeter S. R. Schultzium, qui, quod semper dicebam, ac saepe in meis praelectionibus audierat, butyrum non posse intelligi, nec fuisse in Palaestina notum, lexico suo, intulit.

Mirum errorem dixi. Primo enim butyrum confici in Palaestina non solebat, olei optimi ferace, plane ut de Hispania aliqui Germani

conquesti sunt, butyrum in ea non reperiri, nisi in pharmacopoeis, nempe quod olei ferax Hispania. In ipsa Italia olim butyrum exterum, *barbararumque gentium laudatissimum cibum* dicebat Plinius, pharmacisque, non cibis adnumerabat Galenus. (Loca non excerpo, invenies enim in Bocharti hierozoico T. I. p. 474.). Ad quos usus nos quidem boreales butyro utimur, carnibus assandis, placentis coquendis, illarum regionum incolae, in quibus felix olivarum proventus, oleo utuntur, cibosque habent multo sapidiores. Vide jus Mosaicum §. 191. et 205. ubi de lege actum, usum butyri in assandis carnibus prohibentis. Deinde, (quod jam manu sua lexico Coccejano adnotasse patrem meum video) tribus locis חמאה sine dubio est fluidum quid, et potabile: Jud. V, 25. ubi Sisserae sitienti porrigitur, et vero, illum inebriat, ut lac camelorum acidum facere p. 525. diximus, Job. XX, 17. *flumina* חמאה *et mellis*, et XXIX, 6. *cum abluerem* חמאה *pedes meos*. Quis quaeso sitienti butyrum liquefactum porrigat? paradiso det flumina butyri? butyro liquente pedes abluat?

Ergo his et reliquis locis omnibus est potius, lac spissari et coagulari incipiens, ab Arabico خمأ *spissum fuit lac*. Praeivit sine dubio Syrus sententiam, ubique ܚܶܠܒܳܐ habens, quod, male a Castello aliisque, translato ex Hebraicis lexicis errore, butyrum versum, ab Arabe in Jobo لبن *lac* redditur. Raschi ad Genes. XVIII, 8. שומן החלב *pinguedo lactis, quam de ejus superficie colligunt*. Eodem referendus Chaldaeus, plerumque שמן *pinguedinem* vertens, atque adeo in Judicum libro שמן דגובנין *pinguedo concrescens*, itemque Arabicum سمن in Pentateucho Judicumque libro.

Quaeras forte, quo fonte error manifestus ac turpis tam late per lexica dimanarit? Primi auctores LXX, ubique βούτυρον vertentes, ex his Vulgata butyrum, ex Vulgata, lexica et interpretes. Nempe in

Aegy-

Aegypto vivebant, quos LXX vocamus, diversissimae a Palaestina naturae, oleum olivarum non habente, ideoque in hunc usque diem butyro utente: notum ergo sibi et quotidianum butyrum sacris etiam literis intulerunt. Illis in locis, ubi חמאה fluidum est, quid cogitarint, tamne fuerint stipites, ut liquefactum butyrum sitienti offerri, rivos butyri et mellis fluere, mente conciperent? an βουτύρου nomine latius usi pro cremore lactis sint, ex quo butyrum conficitur? non dixerim.

De reliquis si quaeras interpretibus, referam quid habeant.

1) Omnes Graeci Jes. VII, 22. βούτυρον. Ergo butyrum sumserunt ex LXX.

2) Arabs Jesaiae زُبْد *butyrum*, nec id mirum, Graeca enim interpretabatur, non Hebraica, quae ne oculis quidem delibaverat.

3) Chaldaeus in Jobo, לוי vel לאוי, quo de nomine nihil definire philologice possum: Buxtorfius, *butyrum*, vertens, butyrum, suae patriae dotem, ex lexicis Hebraicis transtulit.

4) גבנה Samaritanus in Genesi, quod possit et *lac coagulatum*, et, *caseum* significare. Semel et Arabs الجبانة Jud. V.

De uno forte loco, quem hucusque plane reliqui intactum Proverb. XXX, 33. interrogabor. Vide de hoc plura sub מיץ, hic versionem modo addo: מִיץ חָלָב *pressio frictio mulgentis educit* (חמאה) *lac*. Hic ergo חמאה latius etiam et universim de *lacte* poni arbitror, non de solo inspissato.

מַחֲמָאֹת Ps. LV, 22.

Secundum puncta, atque etiam plures quam 70 codices Kennicotti מחמאות plene habentes, adjectivum est, a praecedente descendens, *lactea* verba, i. e. mollia ac blanda, significans. Valde ridiculi, qui butyracea verterunt, quod ne nostris quidem Germanorum,

butyro in cibis utentium, auribus probaretur, at populus butyro nunquam in cibis usus, aeque cum multis australibus, quibus oleum olivae dedit natura, ignorans plane, quid sit butyrum, et quomodo confiat, butyracea inde verba dixerit?

Hoc tamen loco, alias vocales substituens, מַחֲמָאֹת ipsissimum חמאה, substantivum non adjectivum reddidit Chaldaeus, et vero illud idem, quod supra חמאה significare dixi, שמן רגובנין *lac coagulatum.* Hoc quidem notatu maxime necessarium, ad lexicon Hebraicum primum, Kimchii, intelligendum. Sic quidem Kimchius, quem Coccejus, ne percipiens quidem aut suspicans quid velit, castigat et emendat: *Patach sub Mem est loco Tsere. Rectius*, מַחֲמָאוֹת, *sensusque: magis glabra sunt* (verba) *quam* חמאה. Puncta corrigi volebat Kimchius, forte nondum plane addictus doctrinae de divina punctorum origine, nec aeque Buxtorfio, christiano, superstitiosus Judaicorum admirator inventorum: sed de hoc utcunque sit, ad analogiam grammaticam puncta reformabat, Chaldaei sequutus interpretationem. Nostro quidem tempore plus etiam in notis ad psalterium Syriacum ausus Dathius, textus quoque literas mutans: *vix dubitem*, inquit, *legendum esse* מֵחֶמְאָה, *respondet enim in sequenti τῷ* מִשֶּׁמֶן. Ipse quidem non harum partium, aut certe dubius, malim primo lexicographorum Kimchio, suffragari.

LXX, cum sequacibus Vulgata et Arabe, *ὀργὴν τοῦ προσώπου αὐτοῦ*, *iram vultus* Dei verterunt, ac si מחמת פיו legissent, hisque aliqua parte concinens Syrus, ܪܘܓܙܐ ܕܦܪܨܘܦܗ. Nullum tamen video codicem, מחמת habentem, suspicorque, eos, ut saepe in psalmis, aut ex conjectura חמאה in חמת mutasse, aut malos grammaticos, ut fere in toto sunt psalterio interpretando, utrumque vocabulum confudisse. Syri consensum cum Graecis in psalterio non magni facio,

facio, est enim saepe, maxime in libro psalmorum liturgico, ad graeca refictus, praeeunte Jacobo Edesseno, qui totum, multo graecis meliorem, seculo VIII ad Graeca correxit, quarum, ut ille putabat, correctionum, re vera depravationum, aut si asperius rem dicere ausim, corruptionum indoctarum, pars non exigua in textum Syriacum impressum immigravit.

חמד *desideravit:* num et, *laudavit?* חֶמְדָּה *laus?*

Notissima, nec dubitabilis, *desiderandi* significatio, solis tamen quodammodo Hebraeis priva, a quibus in linguam Rabbinorum Chaldaicam transiit. Non habent verbum Syri, habent Arabes, sed alia significatione, حمد *laudavit*, et خمد *exstinxit* &c. Hic quidem duplex me nonnunquam solicitavit, suspensumque tenuit quaestio,

1) mere etymologica: unde orta peculiaris Hebraeis *desiderandi* et *concupiscendi* significatio? utrum a *laudando? laudare sibi?* laudamus enim nobis, quae valde concupiscimus? an, ut alii volunt, ab *ardore*, hanc enim primam faciunt verbi Arabici حمد significationem, habentque lexica حَمِدَ *ira excanduit*, حَمَدَة *sonus flagrantis ignis.* — — Prius praetulerim, suspectum adeo et adventitium *fervoris ignisque* significatum habens in verbo حمد, ortum forte ex confusione literarum D et T, multis linguis communi, est enim حمت *ferbuit.* Notaverat jam manu sua ad Golii lexicon pater meus, cui hanc dubitationem debeo.

2) Accipiendumne et verbum Hebraicum *laudandi* significatione, his locis, quibus illa egregie apta? Genes. III, 6. וְנֶחְמָד הָעֵץ לְהַשְׂכִּיל, *laudarique arborem, quod prudentiam daret:* Proverb. I, 22. *irrisoresque laudabunt sibi irrisionem?* Nomini quoque חֶמְדָּה Ps. CVI, 24. haec significatio egregie apta, *terra laudata*, cujus ipsi exploratores Num. XIV. fertilitatem laudabant: sed fateor, et reddi

reddi posse, *terram deliciosam, quam concupiscas.* – – Nihil definio, sed interrogo: ita tamen adblandiebatur Arabica significatio, ut eam in versione germanica sequerer.

Dicendum etiam de Arabico خمد *exstinxit, exstinctus est*, quod, licet verbum חמד nunquam ea significatione in codice sacro occurrat, nomen tamen ab ea ortum videri possit. Est ergo خمد *exstingui*, ita tamen, ut moneant lexicographi, همد per He poni, ubi *plane exstinctus ignis est*, حمد ubi modo *subsedit:* in quo tamen aliquis inest error, nec enim ubique discrimen observatur. Proverbiorum certe X, 7. pro Graeco σβέννυται aut Syriaco ܢܬܕܥܟ Arabs habet, إسم ٱلْمُنَافِق يَخْمَد *nomen scelesti exstinguitur:* XV, 18. pro graeco καταςβέσει يخمد. Inprimis de ea ignis exstinctione usitatum fuisse videtur, quae defectu fit materiae, ea omni in cinerem resoluta: hinc Aethiopibus חמד *cinis.* Transfertur exstinguendi verbum,

1) ad *mortem.* Sur. XXI, 15. *donec posuimus illos ut segetem demessam,* خامدين *exstinctos* i. e. *mortuos* XXXVI, 28. *non fuit poena eorum nisi unum celeusma,* وان هم خامدون *et ecce illi exstincti erant.*

2) ad *remissionem peccatorum*, ubi male in lexicis verti videtur, *sedare peccata:* mallem, *exstinguere peccata*, i. e. *plane obliterare.* Classicus sane in hanc sententiam locus Sirac. III, 30. *ut ignem flammantem exstinguit aqua,* كذلك الصدقة تخمد الذنوب *ita eleemosyna extinguit peccata.* Sic jam et Hebr. IX, 26. pro graeco ponitur ἀθέτησις ἁμαρτιῶν.

חָמוּד Job. XX, 20. Pf. XXXIX, 12. Jes. XLIV, 9.

Non nisi his tribus locis occurrit, (sejungo enim femininum חֲמוּדָה, et participium Paul), facili, ut videtur, et tamen dubia significa-

fication e. *Deliciae*, a concupiscendo dictae, omnibus locis satis videntur aptae, Job. XX, 20. *delicias suas* (dulce sibi peccatum, ejusque fructum, qui cibo svavissimo comparatur) *non eripiet*, sed obstat constructio cum ב, בחמודו, cujus nullam reddi rationem video. Possis forte punctorum mutatione succurrere, לא יְפַלֵּט בחמודו *non salvus evadet cum suis cupediis*, malles tamen ob parallelismum praecedentis membri nomen aliquod *stomachi* aut *ventris* legere post בְּ praefixum, ut ibi erat בבטנו. – – Ps. XXXIX, 12. ותמס חמודו, si solum esset, verisimillime verteris, *tabescere facis delicias ejus*; sed impedit medium כָּעָשׁ *ut tinea:* deliciae *tabescentes ac si tineis exesae essent*, male composita imago. Sed et hic mutatis punctis, כַּעַשׂ (*) succurrere possis, *contabescere ejus delicias aerumnis facis*, quod mihi satis placet. — — Jes. XLIV, 9. *delicias* idola fere interpretantur, quorum sunt cupidissimi, nec damnaverim, quamquam mallem, *laudata eorum idola nihil prosunt.*

Non aliorum conquiro varias interpretationes, ne impedimento sint ipsa multitudine, maxime cum decadem jam interpretationum ad Jobi locum contulerit Schultensius: *desiderabile* qui vertunt, ut in psalmo Hieronymus, *posuisti quasi tineam desiderabilia ejus*, ipsi interprete opus habent. Id tamen praeterire non possum, in psalmo LXX *animam* interpretari, ac contra Chaldaeum, *corpus*, cui suppetias laturus Raschi, derivationem addit, *quod corpus sit desiderium nostrum.* Ego quidem, Chaldaeo proximus, *pulcram* in versione germanica *corporis formam* intelligebam, quae morbis et aegritudine animi tabescat. Post editam demum versionem in mentem venit *fragilis* ac *mortalis corporis*, a خمد Aethiopicoque חמד cinis, *cinerei* dicti: jam bona sententia, *corpus ejus, quod cinis est, dissolvi facis curis*, vel etiam, *ut vestis*

(*) ita per שׂ scribitur, Job. V, 2. VI, 2. X, 17. XVII, 7.

vestis a tineis eroditur. Possis et inde Jobi loco ac constructioni lucem dare, (de illo sermo qui venenatas peccati cupedias deglutivit, redditurus, ut venenata fas est, cum dolore et vomitu) *nihil quieti est in ventre ejus, nec in corpore suo escas retinebit.* Forte et in Jesaia trunci idolorum cinerea dicuntur corpora. Haec equidem scripsi, ut deliberare alii de illis possunt, ipse tamen adhuc diffido, nec mihi satisfacio.

חמה *tuitus fuit, custodivit.*

Nuspiam in Hebraicis occurrit verbum, maxime tamen ob derivata notandum. Habet Arabia حمى, *tuitus fuit, custodivit, prohibuit alios, abstinere jussit*, nec ex lexicis solum, sed et frequenti usu notissimum. Quae prima vis sit verbi non inquiro, haec nota nobis sufficiant. Ex ea et haec quae deinde sequentur, derivata, et חֹמָה, seu, ut saepe plene scribitur חוֹמָה *murus*, ac verisimiliter חָם *socer*, Arab. حَمٌ, latius etiam patente significatione, cognatosque uxoris complexo, forte quod soceri et eorum sit, *custodire et defendere* uxoris nostrae, suae filiae aut cognatae, pudicitiam: *defensor.* Confer حَمِيَّة *pudor, gravitas, generositas in iis tuendis.*

חֵמָה *ira, fortitudo.*

חֵמָה *iram* significare, a יחם *incaluit*, notum, dubiique expers, quin ipsum ܚܡܐ Syriacum eandem incalescendi significationem habet. Suspicor tamen nomen חֵמָה aliam adjunctam notionem adsciscere a praecedente verbo חמה, ut sit, *nobilis ea indignatio, quae oritur, in defendendis nostris: fortitudo.* Sic Arabibus حَمِيَّة in Golii quidem lexico, *pudor, gravitas, et generositas in iis tuendis*, sed et generatim pro fervore pugnandi et fortitudine bellica ponitur, ut chre-

chreſtomath. p. 113. not. 3. lin. 3. Noto vel maxime hanc ob cauſſam, quod cum plura habeat lingua Hebraica irae nomina, veriſimiliter non plane ſynonyma, inquirendum etiam, quomodo differant. חֵמָה ergo nobile irae nomen fuerit, cum fortitudine conjunctae. Vide e. g. Pſ. LXXVI, 11. *ira hominum* (fortitudo hoſtium) *tibi gloriae cedit, exuviis fortitudinis accingeris:* Jeſ. LXIII, 5. ubi de heroe ſermo, ab omnibus deſtituto, ſolo contra omnes gentes pugnante. Peſſime nomen, innumeris locis de deo poſitum, *furorem* reddidit Vulgata, ex qua et, indecorum Deo, *Grimm*, in Lutheri verſionem irrepſit, ubi honeſtiſſimum irae nomen vel ipſa res eligi ſvadebat.

חֲמָת nomen proprium.

Plures hoc nomine urbes, forte et vicos regionesque fuiſſe, nec dubito, nec cuiquam negaverim: eſt enim proprie, aut, *moenibus circumdata*, aut, *fortiter defenſa, qua alios prohibemus*, regio. Ipſa illa deſerta paſcualia, quae ab alienis gregibus pererrari non permittunt Arabes, حمى vocantur. Sic in chreſtomathia Arabica p. 46. منعوا حمى الوقبي *defenderunt prohibita Vakbae plagis omnique genere mortis.*

Celeberrima tamen in bibliis *Hamatha*, Phoenicum colonia, magni olim regis ſedes, amici Davidis, quae terminus erat borealis regni Israelitici, Geneſ. X, 18. Num. XIII, 21. XXXIV, 8. Joſ. XIII, 5. 2 Sam. VIII, 9. 10. 1 Paralip. XVIII, 9. 10. 2 Paral. VIII, 3. 4. non alia quam Hamatha ad Orontem, nomen adhuc ſervans, حماة Arabicis literis ſcriptum. Eadem eſt, quae paulo ante Hiskiae tempora ab Aſſyriis ſubacta dicitur, 2 Reg. XVIII, 34. XIX, 13. Jeſ. X, 9. XXXVI, 19. XXXVII, 13. Adde et de ea 2 Reg. XVII, 24. Jerem. XLIX, 24. Vide haec copioſius diſputata, auctoritates etiam veterum

adlatas, rationesque redditas, cur aliter sentientibus non accedam, in *spicilegio geogr. Hebr. exterae* T. II. p. 52–59. Abulfeda, geographorum Arabum princeps, ipse Hamathae regulus, latitudinem urbi dat, 34, 35. sub qua in tabulis d'Anvillianis urbem ad Orontem fluvium, nunc Nahr-el-As Arabice dictum, invenies: paulo septentrionaliorem habet in suis tabulis Pocokius, sub gr. 35, 15. nec reprehenderim, aut judex sedere ausim, quis enim mathematico acumine praesens latitudinem exploravit? Arabibus in his minime certa fides, nimiumque illis credidit, qui ipsos legere sua lingua non potuit, d'Anvillius.

Ab urbe et regnum ac regio circumjecta nomen accepit, de cujus finibus aliquid vide, p. 54. spicilegii.

Sunt et compositae phrases notandae atque explicandae,

1) de urbe חמת רבה Amos VI, 2. i. e. *Hamatha metropolis*, ad eam distinguendam ab aliis urbibus cognominibus. Vide infra sub רַבָּה.

2) De regione, חמת צובה *Hamatha Nesibis*, vel, *Nesibena*, 2 Paral. VIII, 2. Hadadezerus rex Nesibenorum gravia cum rege Hamathae bella gesserat, magna parte regni ejus potitus, ipsaque adeo ad mare mediterraneum Beryto, 2 Sam. VIII, 8. 10. Haec jam Hamatha dicitur Nesibena; eadem autem, quod David victor suo regno adjecerat,

3) nomen accipit חמת ליהודה *Hamathae Judaeorum*, 2 Reg. XIV, 18. fere ut nos Belgium dicimus *Gallicum*, illudque, quod seculo XVII. *Hispanicum* vocari solebat, jam *Austriacum*, alio etiam nomine vocaturi, fato si ad alium perveniat dominum.

Praeter hanc nobilissimam Hamatham alias fuisse cognomines dixi, in spicilegio quidem memorans,

1) p. 57. Apameam Syriae, Arabibus حماة Syris ܚܡܬ dictam. Sed haec nihil ad sacras literas

2) p.

2) p. 58. vicum, unius diei ab Antiochia itinere.

3) Monui etiam, si 1 Paralip. II, 55. loco maxime dubio, placeat mutatis vocalibus legere, חֲמַּת אֲבִי בית רכב, *pascua* fore, *quae progenitor Rechabitarum ut propria possederit*, patriam antiquam in Arabia Rechabitarum: *pascua* inquam, non urbem, Rechabitae enim Nomades erant, atque adeo nefas ducebant, in urbe habitare.

4) חמת דור Palaestinae litoralis urbem, Jos. XXI, 31. de qua, Cambysi funesta, eique pro Ecbatanis habita, vide pag. 61. sub אחמתא.

Ipsam, de qua multi somniarunt, Antiochiam, Emessamve, Hamathae nomine non vocatam fuisse, ac male de illis cogitasse interpretes, המת in sacris literis legentes, in spicilegio p. 55–57. disputatum.

חַמָּה *sol, thermae?*

חמם verbum, *caloris* significationem, non apud Hebraeos solum, Chaldaeosque habet, sed et apud Syros Arabesque, حمّ scriptum: hinc solem חַמָּה, non vulgari quidem, sed poëtico vocabulo dici, dubio caret. Unum quaeri possit, sitne et חַמָּה semel, ut حمّة Arabicum, *thermae?* Occasionem dubitandi et anquirendi idem dat locus obscurus, cujus vixdum hac ipsa in pagina num. 3. mentionem feci, 1 Paral. II, 55. sententia ex solis punctis pendente: quod si enim חַמַּת אבי בית רכב efferas, *thermae* erunt *progenitoris Rechabitarum:* Thermae in Arabia multae ex quibus hae nomine proprio geographico, *thermae Rechabitarum*. Nihil adfirmo, ne probo quidem explicationem, aliam adeo ex conjectura lectionem animo praeferens: in loco tamen difficili significationes indicandae omnes, filo orationis aptae, quas literae חמת linguarum orientalium consensu ferunt.

חַמָּנִים num *obelisci?*

Octies omnino occurrit, Levit. XXVI, 30. (quo ex loco liquet, antiquam fuisse, et jam Mosis tempore receptam superstitionem) Jes. XVII,

XVII, 8. XXVII, 9. Ezech. VI, 4. 6. 2 Paral. XIV, 4. XXXIV, 4. 7. (quo ex loco intelligitur, חמנים aliquando altari Baalis impofita fuisse, *deftruxerunt* enim *altaria Baalis*, *et* החמנים *quae erant fuper illis*). Varie verterunt veteres, ex quibus certi nihil petendum.

1) Fuerunt, qui generatim *idola*, *fimulacra deorum* intelligerent. Sic LXX εἴδωλα Jef. 27. et 2 Par. 14, ξύλινα χειροποίητα Levit. 26. ac latiore etiam vocabulo, βδελύγματα Jef. 17. – – Vulg. *fimulacra*, Levitici 26, et 2 Paral. XXXIV, 4. (quod in lexicon recepit Reuchlinus) – – Syrus in Levitico et Jefaia ܕܶܚܠܳܬܳܐ, in Ezechiele et chronicis ܨܰܠܡܶܐ, — — Arabs Pol. in Levitico أوثان. Hoc quidem ex mera conjectura, non improbabili fateor, rem folam fi fpectes, fed nullo omnino ufu, ac ne etymo quidem linguarum orientalium.

2) Cognata, fed jam multo verifimiliora habet Arabs Erpenii, Levit. 26. شمسيات *imagines folis* interpretatus, a praecedente חַמָּה fol.

3) ὑψηλὰ LXX 2 Paral. XXXIV, 4. 7. Intellexerunt minora altaria majoribus impofita, fic enim verfum 4 vertunt, τὰ θυσιαστήρια τῶν Βααλεὶμ, καὶ τὰ ὑψηλὰ τὰ ἐπ' αὐτῶν. Vide notas ad 1 Macc. I, 54. et Jofephum Ant. XIII, 5, 4. ἐποικοδομήσας ἐπὶ τῷ θυσιαστηρίῳ βωμὸν, σύας ἐπ' αὐτοῦ κατέσφαξε. Et haec conjectura erat, nullo omnino ufu linguarum orientalium arrepta.

4) Plures, *delubra*, interpretantur: LXX Ezech. 6. τεμένη, itemque tres graeci, cum in Ezechiele tum Jef. 27, Vulgata in Ezechiele, et 2 Paral. XIV, 4. XXXIV, 7. (non verfu 4, quippe ubi delubris locum non effe videbat interpres). Huc et referendum putem חֲכַסְנְיָא quo Chaldaei ubique utuntur, ita tamen, ut proprie fint, *adytum*, *interius poft velum aliquod facrarium*. Nempe

חכסניא

חנסנכיא et *vela* ſunt Chaldaeis muliebria Arabibusque خَنَسَ *latuit, ſe ſubduxit*, خُنَّس *ſtellae*, ſive quod interdiu latent, ſive quod occidunt. Nec etymo deſtituitur explicatio, potuerit enim adytum a حَبَا *prohibuit*, حِمًى *inacceſſus, prohibitus*, dici. Et tamen duo ſunt, quae huic interpretationi magnopere obſtant: primum, quod Moſis tempore templa idololatrica non habuiſſe videtur Palaeſtina, ſed ſtatuas modo, altaria, excelſa, lucos, quippe quae ſola aboleri jubet, nulla uspiam templorum facta mentione, Moſes (*), atque, ſi hic reponi poſſit, habuiſſe templa Aegyptios, eorumque morem imitari Israelitas potuiſſe, alterum et irrefragabile, quod 2 Paral. XXXIV, 4. חמנים ſunt *ſuper altari*. Altare in atrio, nec ei ſacellum inaedificari ſolebat. Ergo hoc totum interpretationis genus abdicemus.

5) Iisdem argumentis damnandum, quod prope ut certum ponit Bochartus, in Phaleg et Canaan libr. II. c. 17. p. 773. *templa ſolis* eſſe, a חַמָּה. Praeeuntem citat Abenezram, cujus ad Levit. XXVI, 30. haec verba ſunt, מגזרת חמה בתים העשויים להשתחוות לשמש, *ortum nomen a* חמה. *Sacella ſunt, facta, ad adorationem ſolis.* Verba Philonis (Byblii) quae adfert, ne docens quidem lectorem, ubi quaerenda ſint, plane nihil ad rem. Invenies ea in Euſebii praeparatione evangel. libr. II. c. 9. p. 32. ubi de Sanchuniathone Philo Byblius: *ὁ δὲ συμβαλὼν τοῖς ἀπὸ τῶν ἀδύτων εὑρεθεῖσιν ἀποκρύφοις Ἀμμουνείων γράμμασι συγκειμένοις, ἃ δὴ οὐκ ἦν πᾶσι γνώριμα, τὴν μάθησιν ἁπάντων αὐτὸς ἤσκησε*, *hic cum incidiſſet in arcanos libros, in adytis inventos, inter Ammunaeorum ſcri-*

(*) Vide notas ad Exod. XXXIV, 13. et, *commentationem de Judaeis Salomonis tempore architecturae parum peritis* p. 6.

scripta conditos, quae non publice nota erant, omnia discere allaboravit. Ex his *Amunaeis*, nullo argumento, solo arbitrio, facit חַמָּנִים, quantumvis vocales discrepent, ex חמנים *templa solis*, quasi vero in unius solis templis arcana fuerint scripta reposita. Explicatio, nisi falsa, dubia certe, non tam fidenter ponenda, nec ex ea ignotum vocabulum explicandum. Mihi quidem Ἀμμουνειοι polius אמונים esse videntur, *fidi, interioris admissionis, quibus arcanae literae concreditae.*

6) Kimchius in lexico sub חמם ad חמה *solem* refert, sed generalius, *vocantur ita, quod ea cultores solis faciebant.* Deinde sub חמן monet, alios *arbores* vertere, ut idem sint אשרים *luci.* Id quidem plane damnandum, mere conjecturale.

Liceatne novam tentare ac septimam sententiam, quae si vera est, gratias habebo Jablonskio, viam mihi monstranti in prolegomenis pantheo Aegypti praemissis, §. 34.

7) Sintne חמנים, a חמה *sole*, *statuae solares*, id vero est, *obelisci*, antiquissima Aegypti superstitio. De his quidem Plinius, lib. XXXVI, §. 14. *trabes ex eo* (Syenite lapide) *fecere reges quodam certamine, obeliscos vocantes, solis numini sacratos, radiorum ejus argumentum in effigie est, et ita significatur nomine Aegyptio. Primus omnium id instituit Mestres, qui in solis urbe* (Heliopoli) *regnabat, somnio jussus. — — Postea et alii regum in supra dicta urbe, Sothis quatuor numero.* (Vide de illis, unus enim superest, notam 277. ad Abulfedae Aegyptum).

Favet conjecturae non etymologia solum, sed et quod Moses jam, ex Aegypto egrediens, חמנים memorat. Opponi posse video, quod obeliscorum mentionem duobus circiter post Mosen seculis facere historicorum recentiorum gravissimi solent: sed totum perit, modo eos intelligas. *Pheronem* regem, Sesostris filium, obeliscos

duos

duos Heliopoli posuisse memorat Herodotus l. II. §. 111. Diodorus l. I. c. 59. quem Mose faciunt minorem. Fac, minorem esse, (incerta enim et instabilis in his chronologia Aegyptia) potuerunt jam diu ante Pheronem obelisci fuisse, nec id negant, qui eos sub hoc rege primum memorant. Ipse adeo Plinius alium nominat, qui primus obeliscos statuerit, ignotum reliquis historicis regem, *Mestren*, cujus nomen ipsum מצר, مِصْر (Aegyptum) sonare videtur. Quidquid sit, obeliscorum mentionem sine dubio historia non facit, antequam stupendae molis, et miracula essent regiae potentiae: sed quis tam vecors sit, ut hos primos omnino putet obeliscos? statuae antea plane ignotae genus a miraculo orsos reges fuisse? quis non suspicetur, seu potius persvasum habeat, jam antea minores fuisse obeliscos, solis superstitioni sacros, sed quorum non est historici mentionem facere?

Jam ut omnia colligam, idolis, delubris, delubris solis, arboribus repudiatis, non superest, quod inter optare possimus, praeter, Arabis Erpeniani *imagines solis*, et, *obeliscos*: utrisque egregie aptum, quod 2 Paral. XXXIV, 4. altaribus Baalis imposita חמנים dicuntur: sub Baale aliquando et solem cultum fuisse meminerimus, (p. 197. 198. 202.) plane ut sub Hercule: ejusmodi *Baalis Solis* altari imponi sive obeliscus potuerit, sive solis imago aurea. Obeliscum mihi praeplacere fateor, quod in Aegypto, ex qua Moses egressus חמנים nominat, soli dicatus, nec unquam in Phoenicum superstitionibus חמנים memorari video.

חָמָס *et* חָמַס

Nominis consvetam vim esse in *violentia* et *injuria*, nemo negaverit, at unde ea dicta, quidque verbum illis locis significet, ubi verti vix satis bene potest, *injuriam inferre*, ut Job. XIV, 33. non satis liquet.

quet. In lexica quod receptum eſt, *rapere*, *diripere*, ex Chaldaismo ſumtum, et vero recentiore Thargum Hieroſolymitani, qui ſaepe ſignificationes vocibus dat, non a matre acceptas, ſed ex Rabbinicis Hebraicorum interpretationibus translatas. Certe in nulla alia linguarum orientalium חמס eſt *rapere*, Syris quidem tribuit, *arripere*, Caſtellus, ſed hoc ipſum ex Hebraicis lexicis tralatitium. Inſpice locum, quem exempli cauſſa adfert, Baruch. III. 21. videbis, probandae ſignificationi minime ſufficere: ſed de eo deinceps. Quod ſi omnino in lingua Chaldaica vernacula, non ſola magiſtrali, *rapiendi* ſignificationem habuit, non prima fuit, ſed ſecundaria, ab *injuſta vi* ducta. Schultenſio חמס ex etymo *cruditatem* ſignificat: aliquid veri ſubeſt, ſed forte in unum verbum nomenque חמס plura alia, ut ſaepe in verbis accidit Chet habentibus, coierunt. Ergo ante omnia, quid reliquae ſub illis habeant linguae orientales videamus, Hebraicoque conferamus.

I) حَمِسَ vertunt lexicographi, *vehemens*, *validus fuit*, nomenque أَحْمَس *fortis durusque*, ita tamen ut amet in bonam partem poni, *conſtans fuit in religione*, *ſtrenuus fuit in proelio*. Vide Giggeum et Caſtellum, Golio hic copioſiores. Hinc et apud Syros quadriliterum, ex חמס et חסן compoſitum, ܚܡܣܢ, *pertulit*, *ſuſtinuit*, *perſeveravit*. Quin ipſum triliterum a Caſtello male intellectum Baruch III, 21. neutiquam eſt arripere, ſed potius, firmiter et conſtanter tenere: *non intellexerunt vias ſapientiae*, ܘܠܐ ܚܡܣܢܘܗ̇ *nec conſtanter tenuerunt illam.*

Jam vero et poteſt, *durum*, in vitio eſſe, ipſisque Arabibus in quinta تَحَمَّسَ *crudelem ſe oſtendit et ſaevum.* Hoc quidem ſenſu verbum accipio Job. XXI, 27. *novi cogitationes veſtras*, עָלַי תַּחְמֹסוּ

quas

quas contra me tam duras animo concipitis. Hinc חָמָס *vis injusta*, plane ut ipsi Arabes delictum خَمْسَة vocant: ab eoque verbum denominativum, חמס נפשו *injuria adficit*, vel, *crudelis est erga se ipsum*, Proverb. VIII, 36. נחמסו *vim passae sunt* Jerem. XIII, 22. (de constupratione) XXII, 3. &c.

II) حمش est, *accendere*, cum proprie, tum improprie, de *ira*, et *pugna* poni solitum. Hac significatione vix putem Hebraicum חמס occurrere, nisi forte Thren. II, 6. ויחמס כגן סכו, ubi simili, ab horto petito non satis aptum, quod sub priore numero habui, *durus fuit*, vel, *injuriam fecit*, *ut horto*, *tugurio suo*. At et similitudini, et rei gestae apta versio: *incendit*, *ut hortum*, *turgurium suum.* Nihil tamen certi definio. Filo orationis satis apte vertunt cum Syrus, tum Chaldaeus, עקר *eradicavit*, bona sententia, *horto similiter*, *quem ipse plantavit*, *radicitus evulsit tugurium suum*: aptius tamen et lectu facilius, combussit, nec eradicandi evellendique significationem ope linguarum cognatarum adstruere verbo possum. Vide et Habac. II, 17. חמס לבנון, (*injuria Libano illata?* an, *incendium silvarum Libani?*) ac dubita.

III) Plane aliud significat خمش, *unguibus vulnerare*, *lacerare*, ut aves rapaces facere solent, forte et generatim, *vulnerare*, *ita ut sanguis effluat*, unde خُمُوش *culices*, et خُمَاشَة *vulnus*. Habet et lingua Rabbinica, maxime de felibus, aut muliere unguibus in rivalem involante, (Buxtorf. p. 784.) tralatitium ut puto ab Arabibus, et sub eorum dominatione acceptum, חמס *dilacerare.* Vide Buxtorfii lexicon Chald. Rabb.

Nullo certo exemplo compertum habeo, hanc verbi significationem in codice Hebraico superesse: enoto tamen, quod ad illam nomen-

men תחמס forte referendum. Hocne etymon ſpectavit Aquila, חמס Habacuc. II, 17. αἷμα, vertens?

IV) Aliud plane, ab his diverſum omnibus, Schultenſio placuit, ad Job. XV, 33. nullo argumento radici חמס *cruditatis* notionem danti. Plane omitterem, niſi et veteres aliquid ſimile haberent, *acerbum immaturum*, cui aliqua veri particula ſubeſſe poſſit. חָמָס LXX. Prov. X, 6. πένθος ἄωρον, *luctum intempeſtivum* verterunt, et c. XIII, 2. ψυχαὶ παρανόμων ὀλοῦνται ἄωροι, *vita peccatorum decidit immatura.* Quin et c. XI, 30. pro Hebraicis וְלֹקֵחַ נְפָשׁוֹת חָכָם in Graeca verſione reperiens, ἀφαιροῦνται δὲ ἄωροι ψυχαὶ ἀνόμων, i. e. *vita malorum immaturo fructui ſimilis, qui ante tempus decidit; intempeſtive et ante diem moriuntur*, vix dubito, quin חמס pro חכם legerint, forte bis adeo ſcriptum, ut primum ανομιαν, poſterius ἄωρον verterent, וְלֹקֵחַ נְפָשׁוֹת חמס חָמָס *aufert vitas ſcelerati immaturitas.* Nec auſim ſignificatum verbo prorſus negare, duobus certe locis eximie aptum, ac lucem illis impertientem: Job. XV, 33. *immaturam, ut vitis, producit omphacem* i. e. non niſi immaturos fructus fert, immaturae adhuc omphaces decidunt aut in ſtemmate putreſcunt, et Prov. XIII, 2. *os viri de ſuo fructu* (i. e. quem ipſe coluit, ſua de arbore, licita et juſta, oppoſita alienis et injuſtis,) *comedit bonum, et tamen adpetitus malorum fertur in acerba*, immaturos fructus, aliena, vetita, injuſta. (Schultenſii verſionem non me hic ſequi, ſed eam, ſi poſſim, emendare, videbunt, ſi qui ejus commentarios in Jobum et Proverbia contulerint).

Dubitans haec ſcribo, ut veriſimilia: vera ſi ſint, חמס hunc ſignificatum confuſione literarum ex חמץ, quod ſuo loco vide, mutuum ſumſit, non eſt, ut volebat Schultenſius, primus verbi חמס, nec *injuſtitia* a cruditate, dicta, ſed a duro, licet nec negem aliquos vel lingua vivente, et de hoc a cruditate etymo cogitare potuiſſe.

תחמס

תַּחְמָס Levit. XI, 16. Deut. XIV, 15.

Nomen avis impurae, de quo id unum docere lectores velim, dubitandum esse, nec quidquam certi nos habere, donec aliqua nova lux ex Arabia, nec ex lexicis, haec enim silent, nec ex libris, sed ex usu quotidiano linguae vernaculae et plebejae adfulgeat: cui si periit vocabulum; aeternum ignorabimus, non magno nostro damno. Nec novam adfero explicationem, sed de tribus receptis dubitans disputo. Veteres quidem divisi inter

1) *noctuam*, pro qua gravissimae adferuntur auctoritates, LXX. Hieronymi, Vulgatae, Onkelosi (*). Male ei opposuit Bochartus defectum etymi, חמס enim non esse, *rapere*. Fateor, fassusque sum, sed alia se offert derivatio a خمش *unguibus vulnerare:* ungues enim ab ipsa natura ita dispositos habet, ut praedam arripiant, omnes in unum centrum coituri. Ergo hac parte noctua facile vicerit. Sed duo majore veri specie opponi posse video: primo, תחמס duabus interponi avibus impuris, nullo cognationis gradu noctuam attingentibus, deinde, alia noctuae nomina versu 17 ex verisimillima occurrere interpretatione. Verum et parata responsio, legislatorem nomina avium vetitarum non eo disponere ordine, quo naturae historicus, Linnaeus aliquis; ac plura esse noctuarum genera, ut aliud תחמס dici potuerit, aliud ינשוף, quamquam hoc ipsum nomen dubium.

2) *hirundinem*. Pro hac sunt ambo Arabes, Chaldaeique sequiores, suum خُطّاف et חטיפתא ponentes, quasi diceres; *raptricem*, quod celerrime volans insecta rapit, seu ut verbis Isidori utar, citati a Bocharto: *cibos non sumit residens, sed in aëre capit escas et edit.*

(*) צִיצִית a sono Ts, quem in nido sedentes ingeminare solent aliquae noctuarum majorum species, itemque pulli ejus speciei.

edit. Manifestum parum in his interpretibus, nimis recentibus, auctoritatis residere, eosque significatum nominis ex etymo et vero falso (ut hic recte queritur Bochartus,) sumsisse, חמס idem esse quod חמף, *rapere*, putantes. Ergo hirundinem abdicemus.

Neutrarum partium Syrus, ex quo, editionum ut puto culpa, utrumque vocabulum תחמס ac sequens שחף, excidit, et Samaritanus, מחושה vel מעוסה vertens, cujus significatio ignoratur, derivatio a מעס *volare*, *circumire*, hirundini et noctuae aeque apta.

His significationibus

3) tertiam addidit Bochartus, P. II. hierozoici libr. II. c. 15. copiose et erudite de תחמס disputans, *struthionis maris*, dicti, ut censet a חמס injustitia, plane ut Arabes eum ظليم *impium* vocent: ipsos et Arabes sexum struthionis vocabulo distinguere, quibus ظليم sit, *struthio mas*, نعام *struthio femina*, sic et hic בת יענה *feminam struthionem* esse, תחמס *marem.* Non inficior, magna se veri specie hanc commendare explicationem. Sunt tamen quae me ab adsentiendo retinent: primo, quod plane contra morem Mosis est, utriusque sexus in animalibus vetitis mentionem facere, deinde quod, magis etiam contra omnium populorum consvetudinem, femina praeponeretur masculo, denique quod nullus omnino antiquorum struthionem marem hic vidit.

Ergo non liquet! ergo, si fieri possit, Arabia, nec vero erudita, sed ejus plebs interroganda, nec forte de solo, his literis תחמס scripto, vocabulo, sed et de تحمس, noctuamne, a caligine sic dictam, an aliam avem significet? solet enim aliquando in dialectis D et T permutari.

חמץ aliquando idem quod חמס, *vis injusta.*

Recte jam monuerunt alii, ex quibus Coccejum nomino, חמץ Jes. I, 17. Ps. LXXI, 4. idem videri, quod חמס *vim injustam.* Ingrata

grata certe auditu phrasis, *rectificate fermentatum*, utque jam supra vidimus, חמס significatum nonnunquam a חמץ mutuari, ita viciſſim et חמץ aliquando pro חמס poni poſſit. Praeiverunt ex veteribus, in Jeſaia, LXX. *ῥύσασθε ἀδικούμενον*, Vulg. *ſubvenite oppreſſo*; Chald. דַאֲנִיס *qui vim patitur*, Syr. ܠܛܠܝܡܐ *injuria adfectis*, inque pſalmo LXX. Vulgata, Syrus. Addiderim et tertium locum, Amos. IV, 5. קַטֵּר מֵחָמֵץ תּוֹדָה quod equidem verterim, praeeunte Chaldaeo; *offerre ex injuſtis opibus ſacrificium euchariſticum*. Eodem modo et S. R. Dathius verba intelligit, ſed lectionem mutans, חמס, quam conjecturam nullus omnino codex confirmavit, nec ea opus cenſeo.

Caeterum permutationi duarum literarum צ et ס, et hoc acceſſit, ut, qui *injuriam* חָמָץ dicerent, nomen ad *acerbitatis* aut *fermentationis* notionem referrent, de qua ſtatim dicam.

חמץ, *fermentari*, *acerbum*, *acidum*, *immaturum eſſe*.

Fermentandi ſignificatio lexicis nota omnibus, nec deſunt, qui et *acoris* adjungunt: recte ut opinor. Arabibus quidem حَمُضَ *acidus fuit*: fiuntque fermentando vina, aliaque, acida. Hinc et *acerba*, *cruda*, *immatura*, nomen accepiſſe videntur, quam ſignificationem et radici conjunctiſſimae, חמס, p. 824. tribuere auſus ſum. Certiora ejus indicia ſequens nomen dabit.

Caeterum de verbo חמץ, uno apud Hebraeos, ſic habe: apud Arabes in duo, ſono paullum diverſa diſpertitum eſſe, حمض *acidus fuit*, et خمص *detumuit*, *collapſus fuit*, indeque, *famelicus*, *gracilis fuit*, forte a *fermentatione ſubſidente et detumeſcente*; Syros vero et Chaldaeos pro חמץ etiam חמע in fermenti ſignificatione habere.

חֹמֶץ, *acetum*, *omphax*, *vinum acerbum*, *omphacium*.

חֹמֶץ *acetum* ſignificare, et lexicographi tradiderunt omnes, nec dubitari poteſt, collatis locis Num. VI, 3. Ruth. II, 14. Proverb. XXV, 20. Sed praeter hanc ſignificationem et aliam habere duplicem videtur,

1) *omphacis*, Proverb. X, 26. ab acerbitate: nec enim aceto dolent dentes, ſed omphace. Praeiverunt LXX, ὄμφαξ, Syrusque ܒܣܪܐ, *uva immatura*. Recte hoc monitum a Bocharto T. I. hierozoici, libr. II. c. 7. pag. 112. addente et auctoritatem Baal Aruch.

2) *vini acerbi*, ideoque noxii; *omphacium* latine dixeris, licet omphacia vina, de quibus loquitur Plinius, paulo differant. Sic accipio Pſ. LXIX, 22. ubi aceto locus eſſe vix poteſt. Nihil melius promtiusque ſitim reſtinguit aceto, ſaluberrimo quoque. Romano militi quotidie acetum diſtribuebatur, unde pauciores, quam in noſtris exercitibus morbi: ipſe adeo Mauritius comes Saxonicus in ſuis *Reveries ſur la guerre*, optavit, ut eadem liberalitate et ſapientia noſtrorum exercituum valetudini proſpiceretur. Quis ergo haec queratur: *dant mihi pro cibo lolium, inque ſiti mea acetum mihi porrigunt?* At acerba vina et omphacia valetudini noxia, maxime ſi bono vino et generoſo adſvetus ſis: acerbitatem ſi plumbo mitiges, quo vinum dulceſcit, plane fiunt venenata et mortifera. Nota medicis terribilis *Pictonum colica*, cujus cauſſam acerba et immatura Pictonum vina eſſe volunt. Acerba vina et immatura egregie lolio componuntur.

חָמִיץ *ſapidus* Jeſ. XXX, 24.

Ἅπαξ λεγόμενον, de quo ante omnia verba adſcribo Bocharti, p. 113. primae partis hierozoici: *eſt farrago ſubacida, qua jumentorum faſtidienti ſtomacho ſubvenitur. Arabes quoque* الحميض *vocant,*

cant, *cui opponitur* الخلة *dulce pabulum, quod camelo est tanquam panis ejus, illud vero pro bellariis. Et camelus iis vescens* حميض *vel* حامض *dicitur. Quod obiter moneo, quia hic haeret calculus magistris Hebraeorum, quorum alius* חמיץ *explicat*, pingue, *alius*, fermento mixtum, *alius*, bene compactum, *alius*, *tanquam ex Arabica lingua*, purum et merum, *quod merum est figmentum.* Gratiae habendae Bocharto, quod primus bonam dixit sententiam. Golio حَمْض est, *salsa et amara planta*, indeque verbum, *ejusmodi plantam depastus est camelus.* Ex usu tamen Arabum non solum subacida, sed generatim *herbas bonas et sapidas* sonat, quibus homines etiam pro cibo utuntur. Abulfeda in laudibus regionis ponere solet, quod abundet, اشجار ومحمّضات وغيرها *arboribus, oleribus, aliisque*, p. 96. Syriae (sed cito secundum codicem Parisiensem, aliam enim lectionem exhibens verterat Köhlerus, *arboribus acetosis*, quod ne satis quidem intelligo) p. 107. اشجار وفواكه وحَمْض *arboribus, frugibus, et oleribus*, (iterum codicem Paris. sequor). Idem n. 104. Mauritaniae, de urbe Tusar, ولها نخيل ومحمّضات ونهر *palmas habet, olera, et fluvium.* Nec tamen haec loco Jesaiae explicando sufficiunt, de pabulis enim sermo, quae ventilantur, ergo non de olere, nec de subacido. Videtur ergo hic חמיץ *sapidum* esse, *insipido* oppositum, et בליל חמיץ *farrago sapida*, i. e. frumenta et legumina optimi saporis.

Veteres hic non nisi conjecerunt: LXX. *ἄχυρα ἀναπεποιημένα ἐν κριθῇ λελικμημένῃ paleas mixtas hordeo ventilato* (non solum contra omnem linguarum orientalium usum, quibus nunquam בליל *palea*, nunquam מחץ miscere, addito etiam, pro quo nihil in Hebraico legitur, *hordeo*, sed et absurde; paleae aut stramini si quis addere hor-

hordeum velit, tamne erit ſtultus, ut antea ventilet?) Chaldaeus, מְפַטֵּם *pinguefaciens*, Syrus ܡܣܡܢܐ *farraginem*, Vulgata, *migma*.

חמר *ferbuit*, *fermentatus fuit*, *rubuit*, *collectus*, *coacervatus fuit*.

Verbum חמר multas habet in linguis Orientalibus ſignificationes, quae fatigare etymologiae ſtudioſum, aut loquacem eum facere poſſint: ex quibus has modo paucas enoto, ad Hebraismum explicandum pertinentes:

I) حمر per Hha, *coloris rubri* in undecima conjugatione notionem habet, unde nomina, أَحْمَر *rufus*, حُمْرَة *rubedo* &c.

Duobus codicis Hebraici locis haec rubendi notio apta, modo in illis verbum, non nomen, legatur:

1) Pſ. LXXV, 9. ſecundum puncta, יַיִן חָמַר, ſine dubio, *vinum rubet*. *Fervendi* ſignificatio loco plane non apta, de vino enim ſermo, non in torculari, ſed in poculo, in quo minime fervet: ſuppetias laturus fervendo Coccejus, *vinum*, vertit, *quod ferbuit ſive deferbuit*, *cujus feces ſubſederunt*: at, *vinum quod deferbuit*, abſona phraſis, niſi enim deferbuit, vinum non eſt, ſed muſtum, nec שמרים *feces*, ſed, *amphorae*.

Fatendum tamen ex veteribus neminem hic punctis conſentire, neminem verbum exprimere, ſed omnes nomen, וְיַיִן חֶמֶר *et vino generoſo plenum eſt.* Sic LXX. οἴνου ἀκράτου μεστὸν, Symmachus οἶνος ἄκρατος; Hieron. *vino meraco*, Chald. חמר עשין *mero forti*, nec nego, has mihi partes praeplacere.

2) Jeſ. XXVII, 2. in magna lectionis ac dubia inter חמד et חמר varietate, qui poſterius praeferunt, כֶּרֶם חֶמֶר vertunt, *vineam meri*, abſurde, ut mihi videtur, nulla enim totius terrarum orbis vinea vinum effert aqua temperatum. Ego quidem, ſi punctis ſtan-

ſtandum, *vineam* praeferrem *rubentis vini:* ſed omnino malim aliis punctis efferre, כֶּרֶם חָמַר *vinea rubet*, id eſt, *maturae ejus ſunt uvae*, *ac rubent*, plane ut Virgilius, Ecl. IV, 29.

Incultisque rubens pendebit ſentibus uva

Hoc quidem in verſione germanica ſequutus reddidi: *ein Weinberg, voll von hochrothen Trauben:* ſed ita dubia lectio, ut certi quidquam definire non audeam.

II) Idem verbum Arabibus in quarta conjugatione أحمر eſt, *collegit*, quam ſignificationem mutuatam ac tralatitiam eſſe ex חבר (p. 662.) ſuſpicor, vix enim quidquam frequentius Arabibus, literarum B et M permutatione. Huc referes חֲמוֹר חֲמֹרָתָיִם Jud. XV, 16. *acervus*, *duo acervi*, ſeu, ut Chald. Syr. Ar. extulerunt חֲמוֹר חֲמַרְתִּים *coacervavi eos coacervando.*

III) Idem حمر eſt quoque, *ſcabere*, atque adeo, *excoriare*, *radere*, quod mihi denominativum a חֲמוֹר, حمار *aſinus* videtur. Aſinus a rubore dictus, (vide Bocharti Hieroz. P. I. l. II. c. 12.) ab aſino ſcabere, quod huic animali proprium. Nuſpiam verbum aut ejus derivata hac ſignificatione in codice Hebraico occurrunt, enoto tamen illam, cum, quod forte aliquis ſuſpicari poſſit, inverſo ordine aſino a ſcabendo nomen ductum, tum maxime ob locum Jud. XV, 16. ubi LXX et Vulgata eam ſpectaſſe videntur, חֲמוֹר חֲמַרְתִּים vertentes, ἐξαλείφων ἐξήλειψα αὐτούς, *delevi eos*, quaſi diceres, *raſi*, vel, *contrivi* eos.

IV) خمر per Cha *fermentandi*, et *fervendi* ſignificationem habet, a qua et Hebraica *turbidi*, *turbandi*, *fervendi*, ſed plerumque improprie poſita, ut cum Pſ. XLVI, 4. maria *fervere* vel *aeſtuare* dicuntur.

חֶמֶר *vinum.*

Vinum unde nomen acceperit, a rubedine, ita ut proprie ſit, *rubens vinum*, an a *fervendo*, dubitari poſſit: pro poſteriore etymo, quod et lexicographorum haud paucis placuit, Arabicum خَمْرَة *vinum*, per Cha ſcriptum, cum plurimis derivatis facit, ut denominativo خَمَرَ *vinum bibit*, خُمَار *crapula*, خَمَّار *vini venditor*. Nempe *fervendo* vitium ſuccus ex muſto in vinum tranſit, idque, quo ſaepius ferbuit, eo ſit nobilius, unde vel noſtro tempore Luſitani ſuorum vinorum aliqua in Indiam mittunt, ut ſub linea aequinoctiali iterum ferveant, multo deinde nobiliora in Luſitaniam reportanda. Forte tamen, ut ſaepe in linguis vernaculis accidit, ex altero etiam etymo, et *Hhemer* adpellatum, *rubens vinum*, fuit, maxime Deut. XXXII, 14. ubi *ſanguis uvarum* dicitur.

חֵמָר *bitumen.* Geneſ. XI, 3. XIV, 10. Exod. II, 3.

Dubium eſſe vix poteſt, quin vera ſit conſveta interpretatio, *bitumen* intelligens, a rubore obſcuro dictum, illud ipſum quo, ſuis in terris erumpente, Babylonii calcis loco in condendis muris uſi ſunt, et quod in hunc usque diem ex lacu Aſphaltitico, nomen inde nacto, erumpit. Habet etiam, in qua Geneſ. II, 3. occurrit, Aegyptus. Unum addo, Arabibus eodem aut ſimillimo nomine, حُمَّر dici. Abulfeda p. 11. Syriae de mari mortuo agens, تقذف بشي يقال الحُمَّر *ejicit aliquid quod Hhummar dicitur*, addita etiam ſolicite orthographia, *cum* ح, *Damma in Hha*, *Fatha et Teſchdid in* م, *inque fine* ر. Quae quidem legens, ſuſpicor, et Hebraicum nomen non חֵמָר ſed חֻמָּר punctandum eſſe. Ad Tigridem et Euphratem aliud bitumini nomen Arabicum, قير, ut diſces ex Niebuhriani itinerarii T. II, p. 214. 236. 239. 370.

Saepe

Saepe miratus sum, Mōsen, sine punctis vocalibus scribentem, eo loco ubi bitumen luto opponit, Genes. XI, 3. *et* חמר (bitumine) *usi sunt pro* חמר, luto, utrumque vocabulum non matre lectionis adjecta, חֹומֶר et חֵימָר distinxisse: quod si autem *Hhummar* adpellabatur, ne distingui quidem potuit, nam חוּמַּר utroque modo חוֹמֶר et חוּמַּר legi potuisset. Kennicotti biblia evolvens, video, ab uno codice, Brigensi, sed recentissimo, luti nomen ubi est, חומר scribi, Samaritanos contra plerosque perabsurde utrobique חומר exhibere. Vide de hoc turpi et audaci librariorum Samaritanorum errore bibliothecam Orientalem, T. XXI. p. 186. 187.

Caeterum vide et historiam maris mortui §. 10. 11. 17.

חֲמָרִים *certus numerus avium, trajecto filo junctarum.*

Ἅπαξ λεγόμενον, Num. XI, 32. de coturnicibus positum, quarum, qui minimum, decem חמרים collegerat, male habuit interpretes, nec quisquam eorum verisimilia aut quae ullo probari modo possint, attulit

1) *Chomeri*, mensurae genus, decem Efas aequans, plane intelligi nequeunt. Coturnices quis modio metiatur?

2) *Acervos* Bochartus intelligit, Hieroz. T. II. p. 106. Arabem sequutus ab أحسر collegit (pag. 831.). Non nego vocabulo hunc significatum, sed huic loco vix aptum censeo. De avibus ubi sermo, quae mensura, *acervi?* possis enim majores facere minoresque acervos. Nec recordabatur, in acervos si collectae fuissent coturnices, consequens fuisse, ut incalescerent, corrumperentur, ac foeterent.

3) Judaeorum somnia idem excerpit, a me non repetenda.

Mihi quidem videtur esse, mensura avium, i. e. *numerus definitus avium, eidem filo innexarum*, (germanice, *ein Bund Vögel* dicimus), a

חבר *conjunxit*, ex quo Arabes اخبر facere monui. Quin iisdem Arabibus خبير et ة خبيرة *lorum tenuius* est: illi quidem ab attritu dictum perhibent, ego malim, a *conjungendo*. Peculiaris certe ejus usus in corrigiis calceorum, huic etymo egregie aptus.

חמור *asinus*, pro *animali gregario impuro*. *Caput asini*.

Asinus in legibus pro omni jumento impuro, ut exemplum, poni solet, ut Exod. XX, 14. multisque aliis locis. Maxime enoto ob loca Exod. XIII, 13. XXXIV, 19. 20. ubi asini nomine non omnia omnino animalia impura, ne canes quidem, complecti Moses videtur, sed sola gregalia, ut, camelos.

ראש חמור 2 Reg. VI, 25. non caput asini proprio sensu esse, sed mensurae genus suspicor, forte quatuor cabos faciens: nempe valebat, 1) quarta pars cabi quinque siclos 2) cabus viginti 3) caput asini octoginta. Nec oppono consvetae explicationi, quod asinus lege levitica immundus, sed primo, quod caput asini parum habet carnium, deinde, quod totius potius asini pretium, aut alius partis plus carnium habentis, quam capitis proditurus scriptor videtur, denique quod illa summa fame asinos, bello inutiles, superfuisse, parum verisimile.

יחמור *antholops*. Deut. XIV, 5. 1 Reg. IV, 23. (al. V, 3.)

Nomen in Oriente notissimum, Hebraicaeque linguae cum reliquis commune, quod in vertendo retinent, tres Chaldaei, Syrus, Samaritanus, ambo Arabes: sed in codice Hebraico non nisi bis obvium. Nullum mihi dubium, quin illud sit, quod ex Arabibus sub nomine يحمور descripsit Bochartus, hieroz. T. I. libr. III. c. 22. *animal circa Euphratem, cervo simile, serratis cornibus*, ad gazellarum genus referendum: quid tamen adhuc desiderem exposui in quaestione Arabiam adituris proposita, 78.

חֲמֻשִׁים *in quinquagenos dispertiti* Exod. XIII, 18. Jos. I, 14. IV, 12. Jud. VII, 10. 1 Macc. XI, 70.

Multa explicationis divergia, de quibus vide, Fulleri miscellanea libr. V. cap. 2. et Simonis lexicon, aliis manifeste falsa, verisimilia aliis habentibus, verum forte nemine. De vocabuli significatione antequam dispiciamus, de lectione dicendum. Ubique in consvetis codicibus חמשים scribitur, quod et possit חֲמֻשִׁים efferri, sicque efferendum censeo: est tamen aliqua lectionis diversitas, punctis, et adpellationi *Chamuschim* consentiens, cum Vau חמושים. Sic habent in Exod. XIII. quatuor codices, Jos. I. novem, Jos. IV. tres et Jud. VII. unus. Sed contra et חמישים, quod non potest non Chamischim efferri, exhibent Samaritani plerique, unusque insuper Judaicus.

Ad explicationes ut pergamus,

I) Primo plane repudio,

1) quod Exod. XIII, 18. Septuaginta habent, *quinta generatione*, πέμπτῃ γενεᾷ. Nec vero id oppono, quod alii, *quarta* generatione Israelitas ex Aegypto migrasse; (utrumque enim falsum puto, mirandumque nebulas, quas interpretes chronologiae offuderunt, eo pertinere potuisse, ut sibi persvaderent, quarta generatione ex duodecim patribus *sexcenta adultorum millia* nasci potuisse, quo de errore vide *bibliothecam Orientalem* num. 192. Tom. XII. et literas ad Schlözerum nostras in *Lichtenbergii magazino Goettingensi*, anni I, parte V. num. 1.) sed primo, quod non quinta sed decima forte quinta generatione ex Aegypto exiisse Israelitas necesse est, deinde, quod reliquis locis omnibus haec quintae generationis notio plane inepta.

2) *armatos*, quos Exod. XIII. Vulgata habet, atque ante illam Aquila, (ἐνωπλισμένοι,) et Symmachus, καθωπλισμένοι. Sic qui-

quidem et plerique Judaeorum, etymo tamen discordes, alii enim, teste Kimchio in libro radicum, sic dici volunt, *quod gladium quintae costae* (חמש) *accinctum habeant*, alii, *quod unusquisque portaverit*, חמשה כלי זין *quinque armorum genera*: Rabbi Jochanan, a Reuchlino excerptus a חמש, *jecoris et fellis loco: ad humani enim pectoris similitudinem arma fabricari cum costis et juncturis ferreis, protegentia virum usque ad inguina, quae quidem arma Graeci thoracas, armatosque thorectas dicant.*

Mirum, tam incogitantes tantos viros fuisse, ut talia comminiscerentur, nec in mentem illis veniret, quod recte opposuit Fullerus, Israelitis ex Aegypto egredientibus arma non fuisse: armorumne usum Pharaones, nisi plane vecordes fuerunt, populo sexcenta virorum millia aetatis militaris habenti, saevissima oppresso tyrannide, concesserint?

3) *Numeratos, in catalogis scriptos*, significare vult Coccejus, nempe ex Graeco πεμπάζειν, *ad quinque digitos numerare*, fere ut nos dicimus, *an den fünf Fingern herzählen.* Mirum vero errorem! Israelitaene noctu ex Aegypto expulsi statim numerari potuerunt? Id factum postquam exiissent, otiumque numerandi nacti essent. Est praeterea mera conjectura, ex Graecismo translata, nulloque exemplo probatum, חמש Orientalibus esse, *numerare.*

II) Paulo verisimiliores hae sunt interpretationes ac derivationes,

4) Pocokiana in notis ad portam Mosis p. 54. *agmine composito, acie instructa.* Nempe a خَمْسَة (חֲמִשָּׁה) *quinque*, Arabibus خَمِيس est, *exercitus*, *seu acies*, *quae prima*, (Avant-guarde, nostro vocabulo,) *media*, (corps d'Armée) *extrema*, (Arrière-guarde) *et duobus cornibus componitur*: nec nego, Israelitas quoque in deserto quina castra habuisse. At acie militari, et quina castra haben-

habentes non potuerunt ex Aegypto egredi, necesse enim fuit, eos late dispersos undique ad illum confluere maris Erythraei locum, quo Moses jusserat, via non una, sed multiplici, uxores insuper, filios, ac greges, trahentes. Ergo et hoc, quod in versione germanica placuit, abdico.

5) Eadem prope sententia, sed objectioni quam dixi, minus obnoxia prodiret, si *fortes*, *bello paratos*, explicares, sive ab Arabico حمش *congregavit*, *accendit ad pugnam*, sive

6) a حَمِس *fortis*, *validus*, (quae significatio et Syro interpreti nota, 1 Reg. VI, 31. חמשית, male, ut opinor, ܡܟܫܪܝܢ ܘܡܚܣܢܝܢ *firma et valida*, vertenti). Minime tamen fortes fuerunt, sed perquam timidi, cum ex Aegypto exirent, Israelitae.

III) Mihi quidem, haec omnia dubitanti, nec quod praeferrem aut satis probarem invenienti, novae in mentem venit explicationis, mutatis vocalibus, חֲמִשִּׁים *quinquageni*, *in cohortes quinquagenarias divisi*. Nempe ut Romani militem in centurias dispertiebantur, ita Hebraei in quinquagenos: vide 2 Reg. I, 9–14. ubi identidem recurrit, שר חמשים וחמשיו *dux quinquagenorum*, *et quinquaginta ejus* i. e. cohors ejus. Nec in solo milite haec usitata divisio, sed et in civibus, judiciisque, ipso adeo jam Mose instituente, Exod. XVIII, 25. Jes. III, 2. Ergo loca sic dispertior: in Josuae Judicumque libri חמשים militare nomen sunt, *centurias*, ut nos dicimus, *militum* designans; contra in Exodo, ubi neutiquam bellum parantes aut ei parati Israelitae egrediuntur, haec verborum, חמשים יצאו sententia: *jussu Mosis*, *ne alter alterum impedirent*, *quinquageni ierunt*, *quibus*, *ut suspicari licet*, *unus ex illis praefectus fuit*. Erant hi quinquageni, viri ut videtur, vicesimum annum egressi, sed trahebant secum uxores et liberos, ut militares quidem non essent manipuli, possent tamen facilius, si res posce-

poſceret, et bello parati coire. Germanice jam verterim, *ſie zogen in Hauffen von Funfzigen, eingetheilt aus Aegypten.* Hinc et factum ut facilius illorum iniri numerus potuerit, cum in caſtra coirent ultima, licet viritim non ſint cis mare Erythraeum numerati.

חנה *curvare*, *propitium eſſe*, *providere.*

Nota ſignificatio, *caſtra ponendi*, quamquam pro ea video male Coccejum ſubſtituere, *reſidere:* nemo quidem melius Simonide, primam vim *inclinandi* verbo ex Arabia adſtruente. Sed ſunt et his aliqua addenda.

Ergo Arabibus حَنَا primo eſt, *flexit*, *incurvavit*, qua ſignificatione ipſum adeo verbum occurrere cenſeo Jeſ. XXIX, 3. חניתי כדור עליך *curvabo gyrum circa te*, i. e. includam te undiquaque, ac pyram tibi circumdabo ignesque, ut ſacrificio fit in altari: quin et verſu primo non דוד ſed דור legendum ſuſpicor, cujus ſuſpicionis rationes reddidi in bibliotheca Or. Supplement. T. XIV. p. 86 ſeqq. קרית חָנָה דור *civitas curvantis orbem pyrarum*, i. e. in qua ſacrificia peraguntur, illisque in altari pyrae circumponuntur.

A curvando, conflectendisque tentoriis, ortum, *caſtra ponere*, frequentiſſima Hebraeis ſignificatio.

Ab inclinatione, *propenſus* etiam *amor*, et *cura* Arabibus dicitur, ut Job. XXIX, 4. حين كان يحنو الله فوق مسكني *cum deus propitius eſſet tentorio meo*, vel, *curam ageret tentorii mei.* Syris quoque ܚܢܐ *ſolicite attendit, diligens fuit.* Hac ſignificatione, ſi puncta ſequaris יְחָנְךָ (futurum in Hophal) accipiendum Geneſ. XLIII, 29. Jeſ. XXX, 19. *propitius tibi ſit*, vel, *curam tui gerat:* quod enim volunt eſſe per transpoſitionem vocalium, abjecto inſuper Dageſch, pro יְחָנֶּךָ, vix legibus grammaticis aptum; melius, ſi vertere voluiſſent, *gratia te amplectatur Deus*, puncta mutaſſent. Sed in fingendis

gendis anomaliis ita fuerunt aliqui prodigi, ut non potuerit non res suspecta videri. Hac certe anomalia non opus. Ad eandem radicem significationemque et refero, nec dubitans Ps. LXXVII, 10. חַנּוֹת: ad חנן salva grammatica referri nequit, terminatio enim וֹת verborum est tert. rad. He, non, mediae rad. geminatae. Cassellani quidem codicis puncta, חֲנוֹת, in Kal, manifeste ad חנה referunt.

Addiderim et de Syris, illis ܚܢܐ de eo quoque poni, qui sagittas emittit, sed duplici sensu, 1) secundum Castellum, ܚܢܐ ܠܢܝܫܐ *spectavit scopum, in scopum intendit.* 2) *deflectendi* et *aberrandi* notione, ut in Assemani biblioth. Or. T. I. p. 464. ܚܘܪ ܒܢܝܫܟ ܠܐ ܬܚܢܐ ܠܛܘܥܝܐ *scopum tuum specta, ne deflectas ad errorem.*

חֲנֻיוֹת Jerem. XXXVII, 16.

Recte *fornicem* carceris intelligunt meliores, ab incurvando et arcuando dictum, monetque Coccejus, *tabernas* Rabbinice חנות dici. Addo et Chaldaeis חנו idem esse, Chaldaeumque adeo vocabulo harmonico חנותא hic uti; Syros quoque mercatorum tabernas (*Buden*) ܚܢܘܬܐ dicere, (exemplum habe, chrestom. pag. 49.) Arabesque حَانُوت. Et carceris et tabernarum, fornicatum opus.

Male Aquila ἐργαστήρια, exque eo Vulgata, *ergastulum.* De LXX. et Syro vide sub חרית.

חֲנִית *hasta.*

Nomen ductum suspicor a Syriaco ܚܢܐ *ad scopum intendere.* Aliter alii.

חֵךְ contracte חֵךְ *palatum.*

Jam supra sub חִכָּה pag. 741. monitum, חֵךְ palatum esse pro חֵנֶךְ Thalmudicosque, quorum auctoritate Dantzius utitur, his literis

 scri-

ſcribere: addo hic et Arabes Syrosque, quibus حَنَكٌ et ܚܢܟܐ palatum, unde et ܚܘܢܟܐ *maxilla*, حُنْجُور vel حُنْجُد *pharynx*, *gula*, Thalmudicis חֲנִכַיִן *dentes*. (Vide Buxtorfii lex. p. 795.)

Hoc quidem nomen eo magis neceſſe fuit praemittere, quod omnes verbi חנך ſignificationes, Arabicae, Hebraicae, Aethiopicae, ab illo ortae et denominativae. Sunt, ut videtur, aliqua membrorum corporis nomina primitiva, verbaque ex illis orta, ſecus quam ſentiunt, eandem omnibus verbis legem ferentes, grammatici.

חָנַךְ *habena coercuit equum, domuit, intellexit, prudentem reddidit, inſtruxit, educavit, imbuit, initiavit, rexit.*

Verbum, quod *initiare*, e. g. *templum*, *altare*, vertere ſolent, hoc quidem ſine dubio ſignificat, ſed et alia multa, nec poſſum expedire ſine Arabicis Hebraica. Significationes verbi ſunt, ut jam dixi, omnes a nomine ortae. Arabibus quidem

1) حَنَكَ eſt, *habena coercuit, equum exercitavit*, nempe quod ori equi habena inditur. Huc et refer احتنك in octava, *in poteſtatem redegit*, proprie, *fraenum injecit*, *domuit*, cujus exemplum pono Sur. XVII, 64.

2) *Intellexit*, *percepit rem*, Aethiopibus idem, atque adeo Luc. IX, 45. pro Graeco αἰσθάνομαι ab interprete Aethiope poſitum. Nempe a palato guſtus dicitur, a guſtu, *ſapere*, *intelligere*. Huc et referendum videtur, quod lexica Arabum habent, *firmavit*, *expertum reddidit*, *et uſu rerum confirmavit aetas*, atque حُنْكَة *experientia:* niſi forte volueris ad חנכין dentes maxillares referre, quos Arabes *dentes* dicunt *ſapientiae*, quod confirmatiore adoleſcentiae tempore erumpunt, atque virum quem experientia prudentem reddidit, مُحَنَّك *dentes habentem*. (Chreſtomath. Ar. pag. 38. not. 2.).

Ad

Ad hanc ſignificationem et retulerim Chaldaicum חנך *inſtruere puerum*, *erudire*, aliis ad ſequentem ſignificationem *imbuendi* referentibus.

3) *dactylo*, *melle*, *ſimilive re in palato fricuit infantem*, ut percepta titillatione vel dulcedine adpetentior ſugeret. Hinc fuerunt, qui erudire puerum dictum volunt tanquam, *imbuere diſciplina*.

Jam ad Hebraica transeamus:

1) Notiſſima verbi et nominis inde derivati, חֲנֻכָּה, notio, *initiare*, e. g. *templum*, 1 Reg. VIII, 63. *altare* Num. VII, 10. &c. Hanc fuerunt, qui ab *imbuendo* dici cenſuerunt, ipſeque, magnus ſententiae auctor, Albertus Schultenſius, quod primo victimarum ſanguine altare imbuatur. Perquam illi veriſimiliter, poſſimque addere inſignem Joſephi locum, non illis obſervatum, id quod 1 Reg. VIII, 63. Hebraice legitur, ויחנכו את בית יהוה, Graece ſic eloquuti, τὸν γὰρ ναὸν τότε πρῶτον ἔγευσεν ἱερουργημάτων, *primis imbuit*, proprie, *prima guſtare fecit templum ſacrificia*. Ant. VIII, 4, 5. Quin et haec paulo melius placet verſio, non ab infantibus, quorum ori mel illinitur, ſed a guſtando, quae mihi ſecunda fuit ſignificatio, ducens phraſin. Nec tamen vel ſic emendata etymologia dubio caret, obſtare enim videtur, quod non de templo ſolum altarique חנך ponitur, ſed et de domo privata Deut. XX, 5. de muro Neh. XII, 27. Meminerimus vero, uſum verborum latius aliquando etymo patere, quodque in templo et altari proprium fuerat, transferri etiam ad alia aedificia potuiſſe.

2) Prov. XXII, 7. חנוך לנער על פי דרכו de prima pueri inſtitutione, et vero morum, poſitum, ad primam ſignificationem Arabicam retulerim, ut ſit 1) *fraeno regere* 2) *adſueſacere et exercere*, ab equo ad hominem translatum.

3) יְחָנְךָ Genes. XLIII, 29. de quo pag. 839. dixi, Josephus ad radicem חנך retulisse videtur, יְחָנְךָ adpellatum, non malo sensu, licet vix credam, Mosen de eo cogitasse: Ant. II, 6, 6. *θεὸν ἐπὶ πᾶσιν, εἶπεν, εἶναι πρεστάτην Deum, dixit, res omnes moderari ac regere.* Nempe primam significationem, *fraeno regere* equum, aut equos currui junctos, transferri ad regimen mundi existimavit, ut non raro Graeci Deum, mundum regentem, *aurigam* dicere ausi sunt.

חנוך *Henochus, Arabum Idris*, Genes. V, 21–23.

De etymologia nominum propriorum quaestio plerumque supervacanea, nec tamen hic negligenda, cum ex ea ratio reddi posse videatur, cur Arabibus Idrisus sit, qui Hebraeis Henochus.

Nomina quidem eorum, qui ante diluvium vixerant, non putem eadem sono ac literis fuisse, quae Genes. V. leguntur, quis enim tam aut stipes sit aut vecors, ut sibi persvadeat, jam ante diluvium linguam Hebraicam, ex qua sunt omnia derivata, id est, eam quam a Chananitis patriarchae acceperunt, cum omnibus adeo anomaliis, mutationibusque literarum, viguisse? sunt illa, ut in grammatica monere soleo, pro more Orientalium, retenta significatione nominis, in eam linguam versa, qua Moses pentateuchum scribebat.

Quid ergo חנוך significaverit adpellative? Multa equidem reponere possim; initiatum, exercitatum, fraeno adstrictum, nempe virtutis, aut quidquid velis: haec tamen omnia abdico, cum Henochum Arabibus videam إدْرِس (Edris) esse, quod ex nullo horum etymorum expediri potest. Locus est de Idriso primarius in Corano, Sur. XIX, 57. 58. ubi et in coelum sublatus, pro communi opinione, dicitur.

חנוך et أنس mihi quidem interpretatio sunt et versio ejusdem nominis proprii, quales innumeras linguae Orientales habent. חנוך, *doctus*, *eruditus*, a secunda verbi significatione, quam p. 841. proposui: أنس, *eruditus* a نس *trivit librum*, *perlegit studiose*, *didicit sub alio.* Ex Golio haec excerpo, vide et supra sub דרש.

De Philone quaerere possis, quid spectans, in libro de *posteritate Caini*, T. I. edit. Mangeyanae p. 232. 233. interpretationem nominis dixerit esse, χάρις σου, *gratia tua*, multa ludens in duplici Henocho, bono ac malo, Cainita et Sethita, ex his verbis exsculpendo? Malus grammaticus, Hebraicaeque linguae imperitus, ad חן *gratiam* referebat, ך suffixum putabat, hocque pro more Syrorum *Och* efferebat, חֲנוֹךְ pro חִנְּךָ, quae indicasse, id vero est, refutasse.

חֲנִיכִים Genes. XIV, 14. *bello adsuefacti? an, educati? nutritii?*

Ἅπαξ λεγόμενον in quo copia laboramus bonarum explicationum. Recentiores fere, *bello adsuefactos*, *usu armorum tritos et exercitatos* interpretantur, perquam filo orationis apte, qui enim ejusmodi expeditionem suscipere, inque plura divisi agmina hostem adoriri potuerunt, non sane armorum tractandorum, disciplinaeque bellicae imperiti. Nec ab *initiando*, ut fere volunt, dictos putem, sed ab *exercitando*, prima verbi significatione ab equis ad homines translata. Est tamen in hac ipsa tam verisimili interpretatione, quod suspensum ab adsentiendo animum tenet. Equos antiquissimis, atque Abrahamicis temporibus Palaestina non habebat: ab equisne ergo translata in hoc antiquissimo historiae fragmento ad bello exercitatos servos loquutio? Nec quisquam, quod ipsum rem suspectam facere possit, veterum praeivit.

Horum aut aliqui, aut plerique *alumnos* ab Abrahamo *educatos* intellexisse videntur, quam sententiam si vel nemo antiquorum praeiret,

 ret,

ret, verisimiliorem tamen recepta recentiorum ducerem. Secunda, quam supra dedimus verbi significatio ad *educationem* puerorum pertinet, quin et a *palato* dici potuerit, *alere*, *nutrire*. Huc quidem vix dubitans refero Onkelosum, עולימוהי et Syrum ܒܢܝ̈ ܒܝܬܗ: forte et LXX Arabemque Erpenii, sed de his ambigere liceat, ergo de illis deinceps. Sic ergo חניכיו iidem, qui statim ילידי ביתו, *nati domi ejus*, obsoletum vocabulum, ex antiquiore monumento sumtum, per consvetum sui temporis Mose interpretante, quod cum et alias in hoc ipso capite XIV, fragmento antiquissimo historiae faciat (*), novus jam hinc accedit verisimilitudinis numerus explicationi.

De duabus me versionibus ambigere dixi. LXX ἰδίους verterunt, hi possint esse, *vernae ab ipso Abrahama educati*, sed potuerint etiam simpliciter ἰδίων nomine *servos* intelligere, a fraenando dictos, unde, ut supra monuimus, احتنك est, *in potestatem redigere.*

Arabs Erpenii صبيانه vertit, quod possit esse, *juvenes suos*, alumnis domus intellectis: quam quidem veram puto Arabis sententiam. At sunt et Arabibus صبيان *duo latera maxillae:* dentesne intellexerit, عدّن صبيانه *paravit dentes suos?* Non puto, ac ne grammaticam quidem concinere arbitror, صبيان enim, ubi *maxillas* significat, duale mihi videtur, licet lexicographi non moneant, scribendumque ante suffixum صبيا ه fuisset.

Nolim, postquam de aliis interpretibus antiquis sermo incidit, Arabem omittere Polyglottorum. Hic ergo مُحَنَّكِيهِ *fidos suos*, vertit, forte ex Arabico مُحَنَّك *probatus.*

Haec deliberanti et dubitanti ea sententia verisimilior videtur, quae *alumnos*, *educatos* ab Abrahamo intelligit: lectoribus forte aliter. In dubio versamur, et obsoleto vocabulo, suo quisque statuat arbitrio.

חנך

(*) v. 2. *rex Belae*, *haec est Soara.*

חנן *gemuit, supplex fuit, misertus fuit, gratia amplexus est.*

Plerosque significatus ex lexicis ut notes sumo, de solo anquirens etymo, de quo mihi sic videtur. Prima vis verbi in *arguto sono*, et, *gemitu*, quo me deducunt, Arabicum حَنَّان *tinnitum edens arcus*, حَنِين *arguta camelae vox*, *amoris in pullum testis*, (quem significatum verbo etiam حَنَّ tribuunt) حَنُون *cum sibilo spirans ventus.*

Hoc fonte ortae significationes 1) *miserationis* ab ingemiscendo dictae, 2) *amoris impensi*, maxime apud Arabes, quibus in materno amore verbum proprium, deinde et ad alium amorem omnem impensiorem translatum, 3) *gratiae*, quae apud Hebraeos maxime usu invaluit. Denique et a gemendo et suspirando 4) התחנן est, *suppliciter precari*, unde תְּחִנָּה *preces*, proprie, *suspirium.*

חֵן *gratia, venustas formae, supplices preces.*

Ex his, quae praemisi, et חֵן expediendum, hoc uno addito, *gratiam, amorem*, etiam pro *gratia vultus*, *forma amabili* poni: sed haec ex lexicis nota. Duo sunt, quae, illis neglecta seu potius ignorata addo.

חן Zach. XII, 10. per seriem orationis vix esse potest, ut volunt, *gratia*, sed, *gemitus:* verto, *effundam .... spiritum gemitus et supplicationis.* Lege modo ea quae sequuntur: *intuebantur eum, quem transfixerant, et lugebunt propter illum:* quisquis demum ille sit, intelliges, non de *spiritu gratiae et precum*, sed de *spiritu gemitus ac tristitiae* eum loqui, qui haec cecinit.

Zachar. VI, 14. חֵן plerisque interpretum nomen visum est proprium Josiae, versu 10. commemorati, ut idem, eadem orationis serie jam יאשיה dicatur, jam חן. Syrus adeo reponere nomen ܝܘܫܝܐ ausus.

ausus. Id mihi quidem perquam creditu difficile: adpellative malim vertere, *et in gratiam* (honorem) *filii Sophoniae.* Sic et LXX καὶ εἰς χάριτα υἱοῦ Σοφονίου.

חֲנָמַל Pf. LXXVIII, 47.

Ἅπαξ λεγόμενον *grandinem* interpretari solent recentiores, Hieronymus, *frigus*, LXX. Vulg. Chald. Syr. citatusque Kimchio Saadias, *pruinam.* Frigore quidem aut pruina in Aegypto sycomoros necari posse, vix mihi verisimile: grando necandis vitibus suffecerit, num vero et sycomoris, arbori magnae et validae? Insectum arboribus noxium intellexit Symmachus, ἐν σκώληκι vertens. Id mihi paulo probabilius, ac si in ignoto reliquis etiam linguis orientalibus vocabulo conjecturae locus detur, de *formicis majoribus* cogitare ausim, quadrilitero ex נְמָלָה, *formica*, praeposita Chet litera, facto: Arbores necare formicae dicuntur, quarum multae sunt et majores in Aegypto species. Ipsaene eas formicae necent, an alia insecta, quibus vesciturae arbores scandunt formicae, ut hortulanis non paucis placuit, non mea quaestio, sed naturae curiosorum. Poeta ex eo, quod vulgo creditur, phrasin sumit.

חָנֵס Jes. XXX, 4.

Urbis Aegyptiae nomen, si modo vera lectio, de hac enim in bibliotheca Orientali (T. XIV. Adpend. p. 92.) dubitavi, חָנֵם (*frustra defatigantur*) praeferens. Vera ergo si lectio, verisimillimam Vitringa dixit sententiam, *Anysin* esse, urbem, a qua rex Anysis, in ea natus, nomen acceperit: cui, quae in bibliotheca Orientali opposui, jam abdico. Coaevus certe Anysis Hoseae regi Israelitarum, legatos in Aegyptum mittenti, ac forte ille ipse סוא, ad quem legatio missa, (2 Reg. XVII, 4.) SO suo nomine, ANYSIS ab urbe dictus. Vide Herodotum libr. II. §. 137. ubi Anysis regnare incipit, pellitur

a

a Sabacone quinquaginta annos regnaturo, ſed hoc recedente in Aethiopiam, poſt quinquaginta annos iterum regno potitur, §. 140. ſecundum temporis ergo rationes, ſed quas lexicon non capit, aut ad illum, aut ad ſucceſſorem ejus Sethon, legati miſſi. Forte in urbe natali habitavit, unde hanc adire legatis neceſſe fuit.

Vitringiana quidem ſententia reliquis facile omnibus palmam praeripit, maxime ob ſynchroniſmum quem dixi, audiamus tamen, ut in re obſcura, et alios.

1) Hieronymus in commentario: *Hanes, urbem Aegypti, in alio loco non legimus, ſed ex eo, quod ait, usque ad Hanes pervenerunt, intelligimus, ultimam juxta Aethiopas et Blemmyas eſſe Aegypti civitatem.* Ingenua ignorationis confeſſio, ſed conjectura neutiquam probabilis: nihil de, USQUE AD, in Hebraicis, nec veriſimile, ut jam monuit Vitringa, ultimos Aegypti verſus Aethiopiam terminos adiiſſe.

2) Chaldaeus תחפנחס i. e. *Daphnas propè Peluſium* reponit, perquam audacter, tribus literis תפח additis, nominique inſertis.

3) Forſtero p. 35. literarum ad me datarum, Thennis eſt, inſula et urbs in lacu cognomine, de qua vide Abulfedae Aegyptum num. 65. Nomen Arabice تنّيس ſcribitur. Qui, ſi lectionem mutaret, תנס, pro חנס, veriſimilia conjicere mihi videretur: at per Chet ſcriptum nomen *Chennis*, idem eſſe poſſe quod *Thennis*, non perſvaſit.

4) Pater meus in nota manuſcripta ad Simonis onomaſticon pag. 596. ſuſpicabatur, חנס *ſolem* ſonare, quod Hebraeorum חמנים *ſtatuae ſolares*, חנסנסיא ſint Chaldaeis. Id mihi cum legerem, valde arriſit, ſuſpicarique coepi, ipſas pyramides, ſoli illas ſacras, intel-

intelligi. Sed ſententiam mutavi, videns, Chaldaeis חנכנסיא non ſolis ſtatuas, ſed adyta ſignificare. Vide pag. 818.

חנף *claudicavit, profanus fuit, ſuperbe deſpexit*, cum derivatis.

Verbum חנף de ſimulatione atque hypocriſi accipere cum lexica ſolent, tum interpretes recentiores. Nec deſunt ex veteribus, qui praeiverunt, LXX. Job. XXXIV, 30. XXXVI, 13. Aquila Jeſ. XXXII, 6. aliisque locis, quae dabit Bielii lexicon, Symmachus Pſ. XXXV, 16. aliisque locis, a Bielio indicatis, Hieronymus et Vulgata prope ſemper, forte et Chaldaeus pſalmorum interpres, ſed valde recens, Pſ. XXXV, 16. חנפי vertens, שׁעיעותא, cujus verbi vis in oblinendo eſt et incruſtando. Ex Vulgata in Reuchlini lexicon recepta ſignificatio, addita tamen conjectura, uſu linguarum orientalium plane deſtituta, quae ad generaliorem notionem refert: *omnia hujus vocabuli derivata ſignificant maliciam et dolum, acceptionemque perſonarum:* (hanc ubi?) ex Reuchliniano in alia lexica immigravit, Caſtello tamen veriorem ſignificationem conjungente, atque primo loco ponente: *contaminatus, profanatus fuit, profane egit, profanus fuit &c.*

Mihi quidem hypocriſis ſignificatio perquam ſuſpecta, ſeu potius plane abdicanda videtur: licet praeſtare ei, quod defenſores ei non praeſtiterunt, etymon poſſim, a حنف enim et خنف, quod utrumque eſt, *claudicare*, ſimulatio atque hypocriſis dici potuerint. Verum obſtat, primo, quod omnino caret uſu linguarum Orientalium, ſola excepta Rabbinico-Chaldaica, Syris, Arabibus, Aethiopibus ignota: deinde quod locis prope omnibus, ubi legitur, manifeſtum ſcelus impietasque aptior, quam ſimulata pietas, illis vero maxime, ubi de terra ponitur, ſanguine effuſo polluta, ut Numer. XXXV, 33. Pſ. CVI, 38. Caedes ubi graſſantur, manifeſtum ſcelus, non ſimulatio eſt pietatis, non hypocriſis. Fuit quidem qui et hic commento lexicographorum

phorum in succum et sanguinem verso opem laturus, comminiscere-tur, terram sanguine innocentum perfusam ὑποκρίνεσθαι, id est, alium simulare colorem, rubrum pro nigro, sed hoc retulisse, est refutasse: in illo quidem rubro colore quid magni mali? nec eo solum innocentum, sed et reorum sanguine effuso tingitur.

His jam missis verbum Hebraicum ope sororiarum dialectorum explicabimus. Arabibus duplex est, حنف et خنف, ad prius etiam Syriacum ܚܢܦ referendum.

1) Prima significatio, physica et sensibus percipienda, quae in lexicis se Arabum offert, *vitii est pedum*, et *claudicationis*. Habent lexica, sed, quod doleo, nullo exemplo addito, nec equidem defectum supplere possum, خَنِفَ *loripes fuit; digitis pedum introrsum versis, super externo latere pedis incessit, ac tanquam claudicavit*, et per Cha خَنَّفَ *tarsum pedis flaccidum habuit, inter eundum pedem convertit extrorsum*. Forte utrumque, atque etiam quae deinde notabitur, *nasi contorsio*, ex aliqua priore *contorquendi* et *obliquitatis* notione, sed quam certis indiciis non adsequimur. Gratissimum etiam philologis, (nomine eorum spondere ausim) fecerit, si quis exempla significationis, quam Golius et Giggeus ex Arabum lexicis habent tralatitiam, ex ipso usu linguae dederit.

Haec forte prima significatio loco dubio, cui omnes quae sequuntur, aptare possis, Ps. XXXV, 16. apta, ubi *claudi malevole irridere claudicantem* Davidem dicuntur, id est, miserrimi ejus tamen gaudere infortuniis. Sic in prima editione versionis bibliorum acceperam, sed postea aliud placuit: sunt enim, ut dixi, omnes verbi verae significationes versui obscuriusculo aptae.

Hanc primam verbi significationem spectarit forte Chaldaeus, Jerem. XXIII, 12. reddens גְּבִיבוֹ אֳרְחָתְהוֹן incertum, utrum, *declinant*

nant a viis ſuis, an, *claudicant viis ſuis*, a جنب *latus*, unde جَنِبَ Arabibus inter alia eſt, *claudicavit.*

2) A claudicatione dicitur, *profanus*, ſive, quod claudi templis locisque ſacris arcebantur, erantque proprio ſenſu *profani*, (fanorum ingreſſu prohibiti arcendique) ſive ex conſveta phraſi Arabum, qua *claudicare in religione* dicunt errantem, abnegantem, non credentem. Syris ܚܢܦܐ *ethnici*, *idololatrae* Matth. VI, 7. X, 5. XVIII, 17. Marc. VII, 26. Joh. VII, 35. 1 Cor. V, 1. &c. ܚܢܦܘܬܐ *ethnicismus*. Sic et Arabibus chriſtianis nomen accipitur, ipſeque adeo Perſa, ex eorum uſu Matth. VI, 7. ἐθνικοὶ حنيفيان reddidit. Aethiopes *haereticum* hoc nomine dicunt.

Haec frequentiſſima Hebraici verbi in codice ſacro ſignificatio, ita quidem, ut *profanus*, et de profano animo ejusque ſententiis dici poſſit, ſive alios deos colentium ſive irreligioſorum, et de *impuritate* atque profanatione terrae. Num. XXXV, 33. *ne polluite terram veſtram ſanguine*, *ſanguis enim polluit terram* (Samaritanus hic verbum retinuit, *polluere* ponunt Vulg. Syr. Arabs uterque) Jeſ. IX, 16. *totus eſt profanus* (irreligioſus vel polytheus) *et omne os loquitur ſtultitiam* quo nomine irreligioſorum et ethnicorum errores notari ſolent: XXXII, 6. eadem cum ſtultitia compoſitione, *ſtultus ſtultitiam loquitur*, *ad faciendam* (חֹנֶף) *profanitatem*, *loquendumque contra Jehovam errorem*, (ἄνομα LXX. i. e. *apoſtaſiam*, Chald. שְׁקַר *mendacium*) XXIV, 5. *profanata eſt terra* (LXX. ἠνόμησε, quod verbum de apoſtaſi ac defectione a lege proprium) Jerem. XXIII, 11. *profani et ethnici facti ſunt*, (ſic plane eodem verbo retento Syrus, ܐܬܚܢܦܘ, paraphraſtice LXX. ἐμολύνθησαν, Vulg. *polluti ſunt*) v. 15. *a prophetis Hieroſolymae in totam terram egre-*

ditur

ditur חֲנֻפָּה *superstitio ethnica*, aut *religionis abnegatio*, (retinent hic Syrus et Chaldaeus, *pollutionem* vertunt LXX et Vulg.) Prov. XI, 9. *ore suo irreligiosus corrumpit socium*, cui deinde scientia justorum opponitur. (LXX. ἀσεβεῖς, *impios*, reddiderunt.) Dan. XI, 32. de Antiocho Epiphane, verissime et historia consentiente, *desertores foederis* יַחֲנִיף *ethnicos faciet*. (Pessime hic Hieronymus, ex hypocrisis notione, *testamentum simulabunt fraudulenter*, quasi vero desertores Judaicae religionis, quam publice et cum contemtu abnegabant, ac ludibrio habebant, simulassent divini foederis studium. Melius LXX, μιανοῦσι, *polluent foedus*).

3) Plane aliam apud Arabes Muhammedanos significationem accepit, *orthodoxae fidei, cultusque unius dei*, unde Islamismum amplexus, unumque deum pie colens, حَنِيف, et vero jam in ipso Corano, Sur. III, 60. *Abrahamus* كان حنيفا مسلما *fuit Chanif et uni se deo tradens, non fuit ex adsociantibus*, (plures Deos colentibus) Sur. X, 105. XXII, 32. XXX, 29. Nempe videntur jam diu ante Muhammedem, qui idola spernebant, unumque deum credebant, nec christiani modo et Judaei, sed et secta philosophica unitaria, *profanorum* nomine notati fuisse, ut christianos *atheos* vocatos ex historia ecclesiastica recordabimur: id vero nomen, ut plura sectarum alia, ex convicio in honorem versum est, maxime cum gladio etiam ac victoriis unitatem dei Muhammedes satis demonstraret feliciter. Hujus significationis, multo ortae serius, nullum in Hebraismo sacro vestigium reperiri, non mirum

4) خَنَف non contorsionem modo pedis, sed et vultus ac nasi notat, unde خَانِف *nasum attrahens, seu suspendens nasum prae superbia et arrogantia.* Haec mihi significatio, ob compositionem

nem cum לְעֵג, aptissima visa est Ps. XXXV, 16. mutatis tamen punctis, בְּחֹנְפֵי לַעֲגֵי מָעוֹג *inter despicientes me arroganter, et subsannantes obliquato vultu.* Vide versionem germanicam, edit. 2. et quae infra sub עוג dabuntur.

Syrum saepius pro חנף habere, ܚܠܡܐ (*dubium, dissentientem*) sed errore librarii, pro ܚܢܦܐ, in grammatica Syriaca p. 6. adnotavimus, dedimusque exempla, Jes. XXXII, 6. Job. XIII, 16. (certissimum ex reliquis, quia Arabs Syrum vertens نجيل *profanus*, habet) XXXVI, 13. itemque Jes. XXX, 4. ubi Syrus pro חנס legisse aut conjecisse חנף videtur.

חנק Job. VII, 15. 2 Sam. XVII, 23. Nah. II, 13. *suffocare.*

Suffocandi verissimam significationem, in vulgus notam, ex Arabico خنق ad locum Jobi Schultensius confirmavit, addo, et Syris ܚܢܩ idem significare, nec ad solam, quae laqueo fit, sed ad omnem suffocationem pertinere. Sic in chronico Edesseno, pag. 49. chrestomathiae nostrae de his ponitur, qui aqua mersi pereunt, p. 70. de his, qui terrae motu: *noctu concidit Antiochia, ac sepelivit,* ܘܚܢܩܬ *et suffocavit incolas suos.*

חֶסֶד *στοργή*, et *incestus cum sorore.*

Ad diversas, ut putabant, vocabuli significationes, *pietatis, sanctitatis*, et *stupri incesti*, sub unam redigendas, sumtum a non paucis, atque adeo vulgatum percrebuit, primam vim verbi esse, in *summo*, aut, *excessu*, inde et summam significare pietatem, et summum scelus: quod a doctioribus etiam repetitum fuisse, miror. Nil hujusmodi linguae habent Orientales, nec est, nisi conjectura aut effatum Maimonidis, a Pocokio, in notas ad portam Mosis p. 20. recepta, ac nescio quo fato eruditis probata. Certe illa minime opus, ad hanc antiphrasin

ſin explicandam, quae vel hac ſola ex linguis noſtris obſervatione ad orientales translata diſparuiſſet, AMORIS nomen etiam ad vetitum *amorem* transferri, atque in *aliquo inceſtus genere* proprium fieri poſſe.

Mihi quidem, vel ſolis collatis Hebraicis exemplis, necdum conquiſita ex reliquis linguis orientalibus ope aut derivatione, de חֶסֶד ſic videtur. *Amoris* ſignificationem habet, et vero ejus, quem Graeci proprio nomine στοϱγὴν, latini (ſed non aeque late patente vi verbi) pietatem vocant. Sic poni ſpeciatim videas de amore conjugali, Jeſ. LIV, 10. Jerem. II, 2. Hoſ. II, 21. Ad στοϱγὴν vel maxime refertur

1) mutuus parentum ſobolisque amor, paterna indulgentia, filiorumque pietas. Hoc ſenſu accipio, ubi חסד, ejusque derivatum חסיד, deo erga homines tribuitur, aut noſtra erga deum officia adfectusque complectitur: de deo poſitum eſt, non tam *gratia*, quam, *paternus amor*, *quo nos deus complectitur;* de hominibus, *filialis amor*, ſeu, ut latine recte dicimus, *pietas*. Gratiae ſignificatio his quidem locis plane inepta.

2) *fraternus amor*. Huc refero cum regi erga regem חסד (certe non *gratia*, quam id abſurdum!) ſed amor fraternus tribuitur, 2 Sam. X, 2. multoque ſaepius חֶסֶד, *amor ſocii*, *amor fratris*, ita ponitur, ut omnia hominis erga hominem officia complectatur.

3) *pietas erga patriam*, ſive ſit natale ſolum, ſive quae nos benevole recepit, incolisque patriae vices praeſtitit. Geneſ. XXI, 23.

Hinc Levit. XX, 17. *inceſtus cum ſorore*, חסד dicitur, plane ut nos *amoris* nomine in deterius quoque abutimur. Eſt id peculiare hujus inceſtus vocabulum, ut alia aliorum, de quibus vide jus Moſaicum §. 265. aut, ſi plura cupis, *Abhandlung von den Ehegeſetzen Moſis, welche die Heyrathen in die nahe Freundſchaft unterſagen*, §. 19. Forte et in hac deteriore vocis ſignificatione aliquae partes fuerunt ambi-

guita-

guitatis vocabuli, subiitque, *incestum* ita vocantes, recordatio חֶסֶד *probri*, de quo postea: sed hoc in incertis relinquere malim. Retulerunt tamen illuc veterum non pauci, de quibus deinceps.

Redeamus ad consvetam nominis notionem. Loca relegenti, vel ea pauca quae excerpsi, absonum videbitur, quod *gratiam* vertunt, a *στοργῇ* valde diversam, non hominibus erga homines, multo minus erga Deum, Abrahamo erga regem, in cujus regno hospes erat, aut regibus erga reges tribuendam. LXX *ἔλεος* vertere solent, sine dubio latius sumto vocabulo pro maximo amore: aliquando tamen, ubi *ἔλεος* aures offenderet, aliud substituunt ut Genes. XXI, 23. *δικαιοσύνην*.

Unde *amorem*, *στοργήν*, Hebraei ita dixerint, non liquet, estque illa significatio Hebraeis prope peculiaris: Arabes plane non habent, Syri paucis modo locis ubi interpres Hebraicum vocabulum retinuit, Esther II, 17. 1 Paral. XIX, 2. Conjecturae si locus detur, orta videtur ex, حَشَدَ *convenire*, *confluere*. Arabum lexica habent, حَشَدَ *convenit*, sed ita ut maxime ad *confluxum fluidi* pertinere videatur, de quo deinceps: a *conveniendo* et *coeundo* egregie possit amor mutuus dici, et si in confluxu aquae vox propria, meminerimus insignis dicti Salomonis, instinctum quo homines ad amandum homines feruntur describentis, Proverb. XXVII, 19. *ut aqua ad aquam ita cor hominis ad homines.*

חסד *locus ubi restagnat aqua?* Job. XXXVII, 13.

Locus est difficillimus, Job. XXXVII, 13. quem ex receptis in lexica interpretationibus vocabuli חסד aegre expedias. Imber a deo missus pertingere, deo jubente, dicitur, *jam ad tribum* (unam, unius modo tribus agros irrigans) *jam ad terram ejus*, (universam dei terram, pluvia magnas regiones foecundante) *jam ad* חסד. Quid hic in praecedentibus vocabulis tentarint interpretes, ultimo non intellecto,

nolim

nolim repetere, ipſos, atque adeo Schultenſium adeant, qui diſcere volunt. Licetne his omnibus praetermiſſis novi quid tentare? حشد, ut vixdum dixi, ab Arabum lexicographis exponitur, *convenit*, ſed ex derivatis manifeſtum, maxime de fluidis poni, quae *confluunt:* ut حَشْدٌ *perennis fons* (in quem ſemper confluit aqua) حَشَّانٌ *ex pluvia fluxum mittens terra*, حَشُودٌ *lac in uberibus colligens*, (camela, vel quodcunque animal).

Haec cum ita ſint, mihi quidem veriſimile, חסר eſſe *locum ubi aqua reſtagnabit*, agros nullos quidem rigabit, ſed in deſerto valles mutabit in ſtagna. Sic quidem in verſione germanica reddidi. Praeter linguae Arabicae concentum et filum orationis, reique naturam, nihil adferre poſſum, ſignificationi ſtabiliendae, ſed haec prope ſufficere arbitror.

חסר *probrum*, *dedecus*, חִסֵּד *probro adficere.*

Syris ܚܶܣܕܳܐ *probrum* eſt et *dedecus*, unde ܚܰܣܶܕ *contumelia adfecit*, *conviciatus eſt:* exempla non adſcribo, quod ex Caſtelli et Schaafii lexicis peti poſſunt. Nolim hanc ſignificationem cum ſuperioribus in ſocietatem cogere, (ut quidem illi fecerunt, qui חסר ſummum in quaque re comminiſcebantur, Schultenſiusque, cui חסר eſt ex prima vi, *turgeſcere*, atque inde conviciari, quaſi, *turgidum erumpere in aliquem:* vide illum ad Prov. XXV, 10.) meminerimus enim, in חסר Hebraico plura concurrere verba Arabica poſſe, praeter حشد, quod ſuperioribus reſpondebat, haec tria, حسد, et, quae in lexicis non leguntur, ſed forte Arabibus fuerunt ſuntque uſitata, خسد et خشد. Ex his quidem unum, quod habemus, حسد *invidia*, quaerenti non ſatisfacit, nec enim eadem ſunt, *invidere*, et, *probro adficere:* fateamur, aliquid hic nos Arabicae linguae, quod nobis periit, ignorare, Aramaeam ſignificationem dicamus.

Ex hac ergo, plerisque agnoscentibus, verbum occurrit, Proverb. XXV, 10. *noli revelare alienum arcanum,* פן יחסדך שׁומע *ne contemnat* (probrosum habeat te) *audiens*, idem verbum utroque Aramaeo interprete reponente, et LXX. *μή σε ὀνειδίσῃ ὁ φίλος*: ac nomen, חֶסֶד, ut aliqui, in Stockii lexico memorati, (Junius, Piscator, Belgae, Seb. Schmidius) Chaldaeusque adeo חסודא harmonice vertens, Proverb. XIV, 34. *virtus exaltat gentem*, וחסד לאומים חטאת *sed opprobrium populorum sunt vitia.* Mirum, hic verum non vidisse veteres, sed nisi fallor aliam lectionem, חסר exprimebant, LXX. *ἐλασσονοῦσι φυλὰς ἁμαρτίαι*, illisque consone, ut in hoc libro fieri solet, Syr. Chaldaeus, Arabs: Vulgata, *miseros facit populos peccatum.* Huc et ex lectione XXIII codicum Kennicottianorum למאס, (non ex consveta למס) retulerim Job. VI, 12. לַמָּאס מרעהו חסד, verterimque, *spernenti amicum suum sit opprobrium, ille et timorem Dei relinquet.*

Ad hanc et חסד Levit. XX, 17. significationem retulerunt, LXX. *ὄνειδος*, Chaldaeus, קלנא, Saadias, عار, vertentes, forte et Syrus ac Samaritanus, idem nomen retinentes, ita ut incestus cum sorore generatim *res turpis* dicatur: cum tamen incestis conjugiis sua apud Hebraeos Arabesque nomina sint juris propria, זמה, תבל, נדה, مقت, (§. 19. *der Abhandlung von den Ehegesetzen Mosis*, aut si malis, juris Mosaici §. 265.) velim et hic proprio et angustiore significatu, quem p. 853. prodidi, accipere.

חָסִיד *pius.*

Formam passivam Peil habet, quod adfectus Orientalibus, ut sunt, *πάθη* videntur, nec tam agimus, iis perculsi, quam patimur. Quae de חֶסֶד num. 792. diximus et huc transferenda: non est, ut mediae latinitatis ecclesiastico vocabulo reddere solent, gratiosus, sed

1) de deo positum, *intenso nos amore et στοργῇ complexus*

2) de

2) de hominibus, ſive, *filialiter deum amans*, ſive, *ſocios φιλοστόργως amans*, ſive, utrumque, ut omnem erga deum et ſocios complectatur pietatem.

Tempore Maccabaeorum חסידים nomen factum ſectae, quae pietatis erat ſtudioſior, ejusdem credo, quae paulo poſt, Phariſaeorum nomine inclareſcit. 1 Macc. II, 42. VII, 13.

חסידה Levit. XI, 19. Deut. XIV, 18. Jerem. VIII, 7. Zachar. V, 9. Pſ. CIV, 17. Job. XXXIX, 13. forte *ardea*, certe non ciconia.

Illis cum avibus a Jeremia adnumeretur, quae vere redeunt, ſuumque tempus norunt, Rabbini, non praeeuntibus veteribus, veriſimilem aliquam ſequuti etymologiam, *ciconiam*, fecerunt, quos cum ſequeretur magnus Bochartus in hierozoico, T. II. libr. II. c. 28. 29. inacceſſae plerisque eruditionis adparatu rem agens et copia, factum eſt, ut prope recentiorum omnes in ciconiae partes tranſirent. Mihi quidem ciconia non modo perquam dubia, ſed et plane repudianda videtur. Primo perquam dubia, idque has ob cauſſas,

1) quod ſolo etymo *pietatis* nititur, a Judaeis et Bocharto arrepto. Pluribus a pietate avibus nomen duci poteſt, ductumque eſt, ut vulturi רחם a *miſericordia*, aliisque paſſim etiam pro חסידה habitis: nec hoc unicum eſt etymon, a linguis orientalibus oblatum, poſſit enim ignota nobis adhuc חסידה et a ܚܣܕܐ opprobrio, *turpis* avis dici, a حسد Arabico, *invida*, a palude confluxuque aquae, *paludoſa*, *paludes habitans*. Etymi defectus opponi quibusdam interpretationibus poſſit, nulla etymo ſtabiliri.

2) quod nemo ex antiquis praeivit, nec tamen veriſimile eſt, nomen tam notae avis omnibus ignotum eſſe potuiſſe. Citat pro ciconia Bochartus Arabem prophetarum interpretem, قعقع habentem, quod quidem nomen, pluribus avium generibus commune,

ne, *ciconiam* interpretatur p. 233. 234. Reliqua ejus argumenta nullius momenti sunt, unum gravius, Camusum قعقع per لَقْلَق interpretari, لقلق ciconiam esse. Non nego, maxime cum ex *Ives* itinerario discam, ciconiam ab Arabibus *Legleg* vocari. At vero quid hic Arabs, prophetarum interpres, ad rem, non Hebraica sed graeca interpretatus, in quibus Zachar. V, 9. ἔποπος, *Upupae*, nomen legitur? Haec certe a varietate coloris Arabice قعقع dici potuit. In Jeremia quidem nunc, Ἀσιδα, sed cum eodem modo quo in Zacharia vertat interpres, idem et legisse videtur. Quidquid sit, Arabicus prophetarum interpres nec ejus aetatis, nec ejus Hebraicarum, quas ne legit quidem literarum, peritiae, ut quidquam in eo auctoritatis resideat. De Syriaco ܚܣܘܕܐ, quod Bochartus pro ciconia citat, infra.

Sed plus asserui, plane videri repudiandam, maxime quidem ob Pf. CIV, 17. ubi *altae abietes domicilium Chasidarum* dicuntur, quod in ciconiis secus. De his quidem quis est, qui non aut audierit, aut viderit, peculiare illis esse, in tectis aedium nidulari? Nec alia ratio tectorum Asiae planorum, quam nostrorum, nam et in illis *Ives* ciconias nidulantes circa Euphratem invenit, ut in itinerario (*Voyage from England to India*) retulit. (Bibl. Or. T. VIII. p. 121.) Nec Zachariae loco apta ciconia: piae avis alae cur dentur mulieribus, injustitiae currui junctis?

Ergo, quae non sit Chasida, id novimus, quae sit, perquam dubium, linguis reliquis Orientis nomen non habentibus, et veteribus valde inter se dissidentibus.

1) Ἔποψ, *upupa*, est Zachariae interpreti

2) Syro ubique, solo loco Jobi excepto ubi pro nomine avis non habet, sed, ܐܬܐ, *veniens*, interpretatur, est ܚܣܘܕܐ quod

nomen

nomen aeque Hebraico obſcurum. *Ciconiam* lexicon Caſtelli interpretatur, ſic et Bochartus p. 333. hac ſola de cauſſa, quod doctiſſimis Maronitarum ita videatur. Quod quidem argumentum, nullum: Gabriel Sionita, quem alias doctiſſimum vocare Maronitam, ejusque uti auctoritate ſolet, in Polyglottis *ciconiam* vertit, ſed ſolet ille ignotis vocabulis Syriacis, maxime ad hiſtoriam naturalem pertinentibus, eam ſignificationem ſubjicere, quam Hebraico dabant vulgaria lexica. Mihi quidem ex Ephraemo Syro certum, ܚܣܝܕܐ *ciconiam* non eſſe poſſe, ſpirituales enim ſenſus in legibus Levit. XI. quaerens, eos hic ſignificari ait, *qui in animo ſuo paſcuntur foetore cupiditatum, et coeno operum mortuorum*: quae in ciconiam minime cadunt, munditiei ſtudioſam. Upupam in animo habere potuerit, ſed nihil definio. Arabibus quidem iisdem literis radicalibus حَسَبُ ſcribitur, nomen avis quae alias *Hubara*, حُبَارَى vocatur. Hanc quidem deſcripſit, iconem adeo adjiciens, Shaw itinerum p. 183. (verſionis germanicae 161.) caſtigans Golium, cui eſt, *otis, tarda avis.* Forte de hac Hobara et Ephraemus intelligendus, milvo enim illam perſequente ſtercus ejaculari dicitur. Sed nihil hic certi.

3) In ἐρώδιον, *ardeam*, plures conſentiunt, Aquila ubique, LXX in Pentateucho et pſalmis, exque illis pſalmorum interpres Arabs بلشوم (*), Symmachus in Zacharia, (niſi id confuſioni verſionum tribuendum, alibi enim Symmachus aliter) Theodotion in Pentateucho et Zacharia, Vulgata in pentateucho, Jobo et pſalmis. Magna teſtium auctoritas, a quibus diſſentire, difficile; maxime cum ea, quae de Chaſida dicuntur, ardeae conveniant: avis eſt migrato-

(*) Vide Bochartum T. II. p. 321. 322. 323.

gratoria (*), (Jerem. VIII, 7.) in arboribus nidificans, Pf. CIV, 17. Obfcurus etiam ac, nifi fallor, adfectus locus, Job. XXXIX, 13. recte ex hac explicatione *ardeam* cum hofte a natura ei dato, *nifo*, componeret. Nec deeft etymon a ftagno, (p. 854. 855.) ad ftagna enim paludesque ardeae habitant. Ardea ergo ciconiae omnino praeferenda: fola nos dubios adhuc fufpenfosque tenere poffit, quae fequitur, nominis interpretatio.

4) *Accipitrem* feu fpeciatim *milvum* non pauci veterum intellexerunt, licet in nomine et fpecie nonnunquam difcrepantes. *Milvum* in Jeremia et Zacharia habet Vulgata, inque pfalmo 104 Hieronymus, ἴκτινον, non ipfum quidem milvum, fed tamen ex accipitrum genere, veris praenuntium veterum, Symmachus in pfalmis et Jeremia, (forte et in Jobo, ubi nunc κύκνος legitur, quod, ne Symmachus ipfe fibi contradicat, in ἴκτινος mutandum Bochartus cenfuit) ambo in Pentateucho Arabes صقر vel سقر. Eodem et illos refero, qui דיתא חוריתא, *milvum album*, vel elliptice, חוריתא *album*, vertunt, Chaldaeos in Pentateucho, Jobo, et Jeremia: nec enim Rafchio aliisque adfentiri poffum, *milvi albi* nomine *ciconiam* intelligentibus. Hanc quis unquam ad milvorum accipitrumve genus retulerit?

Milvo convenit et habitatio in arboribus, et, quod vere redit, ejus index. Etymon, quod fatis placeat, non invenio.

Alias verfiones, aut obfcuras, aut non magni momenti, nec verifimiles, omitto; בְּשְׂרָא (*aquila*) Chaldaei in Zacharia, ותיא vel ותא Chaldaei in pfalmis (quod ipfum milvi nomen puto, quippe in Deuterono-

(*) Narrant, majores hieme aufugere, minores palude fe condere, vere redire. Sic quidem, qui Wabriae, quod oppidulum eft Haffiae, ingentem ardearum populum viderunt.

ronomio ab Hierosolymitano Thargumista pro ראה positum) هام (bubo) Arabis cujusdam apud Bochartum p. 326. Samaritani סנוניתא quod volunt hirundinem (*) esse.

Omnia comparanti, olim milvus verosimilior visus, quem et in versione germanica expressi; jam ardea.

חָסַל *finivit, plane absumsit, ablactavit, adultus fuit.*

Verbum, in Hebraico codice non nisi semel Deut. XXVIII, 38. lectum, sed de quo ob sequens חסיל ejusque diversissimas explicationes dicendum. Cum solis et omnibus Aramaeorum dialectis commune habent Hebraei, Chaldaica, Syriaca, Samaritana, quibus quidem est, (seriem modo significationum pono, reliqua ex lexicis harum linguarum sumo):

1) *finire, ad finem perducere.*

2) *absumere, ita vastare, ut nihil sit reliqui,* quo quidem significatu Hebraicum quoque verbum ponitur Deuteronomii 28.

3) *ablactare,* quasi, *finire,* perficere, prorsus ut גָּמַל et finiendi et ablactandi significatum habet.

4) ܚܣܝܠܐ *robustus,* forte, perfectae ac virilis aetatis, plane adultus.

Duas adhuc addunt lexicographi significationes, sed quodammodo spurias.

5) חֲסוּלִין *retributiones, beneficia,* Ps. CIII, 2. Est indocti ac perquam recentis interpretis Chaldaei versio nimis literalis Hebraici גמולים: nempe cum גמל et חסל in duabus significationibus, *perficere,* et, *ablactare,* convenirent, tertiam quoque ei dedit communem.

6) Sa-

(*) Hirundo, veris quidem nuntia, et migratoria, ideo tamen plane displicet, quod peculiare illi domicilium non arbores altae, sed tecta aedium. Etymon suppeteret, a paludibus, quibus amica.

6) Samaritanum חסלך *absit tibi*, (Genes. XVIII, 25. XLIV, 7.) plane ad hanc radicem non pertinet, sed ad חוס *parcere*, idem Syriaco ܚܣ ܠܟ. Suspicor etiam, quod sine exemplo addito in Syriacis habet Castellus ܡܚܣܠܐ *prohibitus*, ejusdem generis esse, aliquo linguae non satis perito ܚܣܠܟ pro una voce habente, et a ܚܣܠ repetente.

Haec, ne quem impediant, ne quis Hebraicis ac disquisitioni de חסיל obtrudat invita, vel de his dicendum erroribus esse duxi.

חָסִיל 1 Reg. VIII, 37. 2 Paral. VI, 28. Jes. XXXIII, 4. Joel. I, 4. II, 25. Ps. LXXVIII, 46. *gryllus talparum pede? gryllotalpa?* an, *bruchus?*

Lexicographi bruchum inter et locustam divisi: aliqui et utrumque ponentes.

Locustam ex veteribus praeiverunt, Syrus in psalmo 78, ac forte omnes ii qui זחלה *repentem* sc. locustam, volanti oppositam habent, Chaldaeus Ps. 78. Syrus 1 Reg. 8. et 2 Paral. 6. quem locum ex ipsius versione totum adscribo, ܩܡܨܐ ܦܪܚܐ ܘܪܚܫܐ, *locusta volans, et repens*. Mirum, harum partium et Bochartum esse potuisse, nec dubitantem, hieroz. P. II. libr. IV. c. 1. p. 445. Locustae plane repudiandae, quod חסיל ab ארבה, *locusta*, distinguitur 1 Reg. VIII, 37. Joel, I, 4. II, 25. quod miror Bochartum non vidisse. Nec ita consuli potest sententiae, ut in partes Syri transiens *locustam repentem* intelligas, id est, quae ante quartas cutis exsuvias adhuc humi repit, post quartas enim exsuvias fit alata volatque: obstat, primo quod in Joele plane ab ארבה, locusta divellitur, aliis duobus insectis interpositis: deinde, quod 2 Paral. VI, 28. locustae alatae contra rei naturam postponitur, (*locusta volans ac repens*). Atqui dicendum fuisset, *locusta repens ac volans*.

Bru-

Bruchum habent, Vulgata, in libris regum, chronicorum, psalmis et Jesaia, LXX in Paralipomenis, Aquila in psalmo 78 estque haec interpretatio multo verisimilior: in Joele enim, quae reliquit ילק, absumit חסיל: ילק vermiculum esse infra dicemus, ex quo bruchi post metamorphoses suas exsistunt, alas accipientes, recte ergo vermis, et bruchus adultus componerentur. Nec destituimur etymo, possit enim nomen habere, a חָסַל *perficere*, ad adultam aetatem translato, *adultus*.

Unius hic aut conferenda, aut praeferenda Syri versio, interpretibus non intellecta, in Joele ܨܪܨܘܪܐ *gryllum* ponentis, a stridula voce et tinnitu ita dictum: nam et Arabibus صَرْصَرٌ *gryllus est*, a صَرْصَرَ *striduit*. Nec vero gryllus communis intelligendus, non valde noxius, sed illa grylli species, pestilens segeti, quam a pedibus talparum pedi similibus, quibus terram diruit, sibique per eam viam aperit, *gryllo-talpam*, *gryllum talparum pedibus*, dixerunt, Germani, *Maulwurfs-Grille*, *Feldgrille mit Maulwurfs-Füssen*, *Kürbswurm*, *Werre*, *Erdwolf*, *Erdkrebs*, *Schrotwurm*, *Reutwurm*, *Rietwurm*. Julio mense ex ovis sub terra ingenti multitudine absconditis erumpit, perquam minutus, nec formica major, segetis, graminis, aliorumque vegetabilium radicibus vescitur, admorsa flavescunt, qua ex rubigine viridium hostis subterraneus agnoscitur, atque a prudente aratore effoditur et necatur; quinquies cutim deponens crescit, nescio post quas exsuvias pedes nanciscitur talparum pedibus simillimos, quibus, plane talpae modo, terram summovet, post quintas exsuvias insequente anno alatus fit. In calidiore climate non potest non multo nocentior esse, quam in nostro, in quo eum saepe frigus et humor cogunt, altius terram subire, quam segetum radices pertinent. Ingens nocentissimi insecti foecunditas: sed cum hac paria quodammodo fecit natura, ipsum enim sibi acerrimus hostis, gryllotalpa gryllotalpam inva-

dit, vulnerat, absumit, aranearum prope modo. Icones ejus fidas dedit (fidei certe testis esse possum, quod ipse insectum vidi, atque ex icone statim agnovi) Augustus Joannes Roesel, in, *Insecten-Belustigung*, T. II. *Heuschrecken und Grillen-Sammlung*, tab. XIV. XV. descripsit idem Roeselius ibidem pag. 89–104. eoque multo copiosior et correctior L. G. Elten, in libello *von dem Reitwurm*, qui typis descriptus est in *magazino Hannoverano*, anni 1769. num. 103. 104.

Eodem et redire videntur LXX, sed male plerisque intellecti, ἐρυσίβην in Joele et psalmo 78. (1 Reg. VIII. non imprudens omitto) vertentes. Opponebat illis Bochartus, T. II. p. 466. *ne animal quidem esse, sed morbum segetum, ἐρυσίβην.* Est vero ἐρυσίβη, rubigo, et morbus, quis neget? segetum, et animalculum, morbi caussa. Suidam testem cito: ἐρυσίβη] θηρίδιον τι ἐν τῷ σίτῳ γενόμενον, ὁ λυμαίνεται τὸν καρπόν. Τινὲς νόσον ἐπιγινόμενον τοῖς σπέρμασιν. Ἢ, ἡ κονιορτώδης φθορὰ τοῦ σίτου: *animalculum, quod in tritico nascitur, et fructum laedit. Aliqui et pro morbo ponunt seminum. Vel etiam est, pulverulenta frumenti corruptio.* Arabs certe insectum intellexit, utrobique graecum ἐρυσίβη قُمَّل vertens (*), quod sine dubio insecti, seu plurium potius insectorum, segetes arboresque vastantium, nomen. Habent inter alias significationes lexica Arabum et hanc, قُمَّلٌ *species insecti, similis locustae:* nempe grylli in multis similes locustarum, ut a non paucis cum illis confundi, a naturae peritioribus, ipsoque Roeselio componi soleant. Quod insectum, frumenta vastans, ἐρυσίβη Graecis dicatur, non prodiderunt lexicographi, naturae plerumque parum periti: sed hic ipse gryllus verisimiliter esse possit,

(*) Sine caussa, et suis serviens decretis, Bochartus, mutari jubet in قمص, quamquam vel sic insectum erit.

possit, quippe qui, ut jam ex Roeselio monui, terram perrepens radicesque admordens rubiginem segeti et gramini inducit, hacque ipsa rubigine proditur.

Possit quidem hic pestilens agris gryllus recte חסיל dici, ab *absumendo* et *finiendo*, nec solum quod agris perniciem adfert, radices absumens, sed et, quod ipse secum internecinum bellum gerit. Ergo, *gryllotalpa* cum *brucho* contendat, incerta, fateor, donec aliquid novae lucis ex linguis orientalibus adfulgeat, victoria. In versione germanica gryllum praetuli, jam tamen magis in bruchum vergere sententia incipit, quod multo est frequentior ac notior, et ילק, *vermiculo bruchi*, eximie jungitur.

Est et de aliis veterum dicendum versionibus:

1) *rubiginem* vertit Vulgata in Joele, Hieronymusque ibidem et 2 Reg. VIII. ubi et LXX. ἐρυσίβην habent: quod *rubiginis* nomen latinisne etiam animalculum designaverit, rubiginem agris inducens? an sit sine mente et cogitatione ex LXX. expressum? non definio.

2) μυζήτης Symmacho est in Psalmo 78, quod nomen hucusque in dubiis, a lexicographis aut omissum, aut sine alio exemplo positum. Possit enim esse, sive a μύζω sugo, ut vult Bielius, omnibus frumenta arrodentibus insectis aptum, sive a μύζειν, *sonum omittere*, *stridere*, ut sit grylli nomen a stridore inditum. Posterius mihi verisimilius: sic jam tertium habemus grylli testem.

3) ذُبَّاب *muscas* 1 Reg. 8. habet Arabs.

4) שמוטא, quod ponit Chaldaeus in regum libro et Joele, quid sit, non intelligo: quae enim Buxtorfius in lexico Chaldaico 2546 habet שמוטא, *bruchus*, *locustae species*, ipsa sibi repugnant, insignemque produnt naturae inscitiam aut incuriam.

חסם Deut. XXV, 4. Ezech. XXXIX, 11. Pſ. XXXIX, 2. *occludere os, naſum, iraſci, invidere.*

Male in hoc verbo, ejusque, ut volebant, nomine מחסום, rem egerunt lexicographi, forte ne intelligentes quidem, quae ſcribebant. Ex Deut. XXV, 4. cum didiciſſent, חסם eſſe, *obturare os* bovis, ſeu ut recte et latine habebat Vulgata, *os ligare*, peritusque linguae latinae Reuchlinus, *os occludere*, primo, alieniſſimo verbo uſi, *capiſtrare* verterunt: hinc progreſſi, מחסם Pſ. XXXIX, 11. *capiſtrum* faciunt, conſtructioni cum שמר *ſervare*, parum apte, *injicere ori capiſtrum* recte dixeris, non, *ſervare ori capiſtrum*: denique ne quid nugarum in ſcriniis relinqueretur, in Ezechiele vallem nobis confinxerunt, *tetro odore capiſtrum injicientem praetereuntibus.* Verbum a primis initiis retractandum.

Eſt vero, ut quisque vel antea ſuſpicari poſſit, duplex, ſono et ſignificatu diverſum, حشم et خشم.

I) خشم, a quo incipiam, denominativum eſſe videtur, a naſo, ut collatio omnium ſignificationum docet. Verbum vertitur, *fregit cartilaginem naſi, odoratu caruit naſus, foetuit:* nomina ſunt خشّام *Naſo, magni naſi homo,* خَيْشُوم *ſummitas naſi, os ſeu cartilago naſi, naſus ipſe:* nomen primitivum, forte خَشْمٌ concipiendum, nobis periit. Hinc

1) Hebraeis חסם *os* bovis *obligare* Deut. XXV, 4. Nempe os et naſum boum, equorum, &c. conjunxit natura, unde non raro uno eodemque nomine vocantur.

2) In Ezechiele, *naſum obturare*, i. e. cogere, foetore, ut naſum obtures, (neutiquam fraenare) *et illa vallis* (ubi Gogus ſepultus) חסמת היא את העברים *praetereuntes coget, naſum occludere.* Sic et Arabibus, ut vixdum dixi, eſt, *foetere*, proprie, *naſum*

ſum occludere alii. (Mirum veterum neminem id vidiſſe, pro denominativo tamen ab, *ore*, LXX habuiſſe videntur, περοικοδομήσουσι τὸ περιστόμιον τῆς Φάραγγος: id voluiſſe eos puto, muro circumdatum iri vallem impuram. Sic et Syrus. Reliquos ne excerpo quidem.

II) Syris ܚܣܡ, verbum notiſſimum, cum derivatis ſuis *invidiam* denatat, idem cum Arabe حَشَمَ, quod tamen de *ira*, cognato adfectu, poni ſolet, Aethiopico latius patente, omnemque malitiam et malevolentiam complexo. Jam Pſ. XXXIX, 2. mutatis malim punctis אשמרה לפי מַחְסוֹם *ſervabo os meum ab iraſcendo*, aut, ſi malis, *invidendo* (utraque enim ſignificatio argumento pſalmi apta) id eſt, *felicitatem malorum videns ſervabo os meum, ne iracunde aut invide loquatur*, deoque haec permittenti obmurmuret. Mutationem punctorum ipſe membrorum ſvadet parallelismus: ut enim in priore fuerat, *ſervabo vias meas* מֵחֲטוֹא *ne peccem lingua mea*, ſic et in ſequente exſpectandum, *ſervabo os meum* מֵחֲסוֹם *ne iraſcatur*, inque mutandis punctis concinit Syrus, licet חסום latiore ſignificatione accipiens, ܐܶܛܰܪ ܦܘܡܝ ܡܢ ܥܘܠܐ *ſervabo os meum ab iniquitate.*

Ergo vocabulum

מַחְסוֹם *capiſtrum* Pſ. XXXIX, 2.

in lexica receptum, inducendum videtur, meliori explicationi cedens. Indico tamen ex antiquis, qui hic nomen habent: LXX. φυλακὴν, exque illis Vulgata, *cuſtodiam*, Hieronymus, *ſilentium*, Symmachus φίμον, Chaldaeus, ſed in pſalmis valde recens, זְמָמָא *fraenum*, Raſchi Gallice *emmuſelement.* Satis bene ſive fraenum ſive chamum res ipſa ferret, ſed obſtat, ut dixi, conſtructio cum אשמרה, ubi imponendi verbum exſpectaſſes, ac parallelismus membrorum.

חסן cum derivatis.

Duplicem verbi ac derivatorum inde nominum significationem lexicographi habent, recte illi quidem, sed verbis expresserunt, quae rem suspectam facere possint. Sumamus, quae illi habent, sed paulo digesta aliter, et linguis Orientis reliquis collata.

I) Ad *fortitudinis* notionem non dubitans refero, Jes. I, 31. הֶחָסֹן *fortissimus eorum erit ut stupa*, Amos. II, 9. Ps. LXXXIX, 9. Est illa Syris sub ܚܣܢ *fortis*, *robustus fuit*, ejusque derivatis frequentissima ac notissima. Arabes habent, sub خَشُنَ *asper*, *duris moribus*, *valde armatus*, *fortis in bello*. Forte Arabica significatio prima, a qua fortitudo bellica dicta, atque inde latius sumto vocabulo a fortitudine et robur corporis, apud Syros.

Monuit jam in lexico Coccejus, אחסן Chaldaeis esse, *possedit*, *hereditavit*, ad secundam significationem verbi Hebraici translaturus. Hocne inde, quod nostra sunt, quae defendimus, tuemur, eorum usu prohibemus alios ut אחסן proprie sit, *sua defendit*? Vide chrestomathiam Arabicam pag. 38. *populus* خُشُنٌ عِنْدَ ٱلْحَفِيظَةِ *asper in defensione suorum*, *sed in pace lenis*.

II) Secundo cum verbum, tum nomen, de thesauris ponitur. Jes. XXIII, 18. insignis locus, ubi cum נאצר componitur, לֹא יֵאָצֵר וְלֹא יֵחָסֵן *non in thesauros redigetur*, *nec* . . . : Estne ibi, *possidebitur ut proprium*, ex Chaldaico, quem praemisi illustravique verbi usu? an, ut suspicatum esse video patrem meum, literarum ז et ס permutatione, significationem mutuatur ex خَزَنَ *recondidit in horreo*, unde horreum مَخْزَن, *magazin*. Vide p. 707. Sic plane synonymum esset praecedenti, *non in thesauros et reconditoria referetur*. Hoc prope praeferre mihi videor.

Jerem.

Jerem. XX, 5. Ezech. XXII, 25. Prov. XV, 6. XXVII, 24. חֹסֶן sine dubio, *thesauri*, opes in thesauris adservatae.

Jes. XXXIII, 6. locus dubius, utraque apta significatione, חסן ישועות, *thesauri salutis*, – – et, *fortitudo*, *victoriae*. Posterius mihi praeplacet, inque versionem germanicam recepi.

מחספס Exod. XVI, 14. *coagulatum ut nix*.

Ἅπαξ λεγόμενον difficilius, in quo ita dissentiunt veteres, ut alter alteri fidem abrogent.

1) LXX. ὡσεὶ κόριον, *ut coriandrum*, ex mera conjectura, quod alibi coriandro manna comparari meminerant.

2) Chaldaeus, Syrus et Arabs Erpenii, *decorticatum*, (מְקַלַּף, ܡܩܠܦ, مقشر) nempe, ut jam alii monuerunt, collato חשף *denudavit*. Possis et Arabicum خشف conferre, a quo, lexica evolvens, intelliges *scabiem* dici, forte a scabendo et decorticando. Versionem tamen, *manna erat tenue*, *decorticatum*, haud Hebraicis melius intelligo.

3) Vulg. *quasi pilo tusum*. Hoc unde? nihil enim de pilo aut tundendo habent sub his radicalibus linguae Orientales.

4) Ar. Pol. مُدَحْرَج *rotundum*.

Recentiores jam ad חֲסַף *lutum* referentes, *friabile* ut *lutum*, vertunt, Simonis, *minutum*, conferens خسف cujus significatum *diminutus fuit*, ex lexico forte ne recte quidem intellecto, arripuit.

Mihi quidem potius خشف *frigore concrevit*, conferendum videtur, unde nomina, خَشَف *nix*, خُشُوف *nix*, et, *frustum glaciei:* hinc מחספס erit, *concrescens*, *nivis in morem*, quae vera est mannae descriptio, sequentique membro versus congrua, ubi cum pruina comparatur. Bis ergo idem dici videtur, imagine modo mutata, *minutum*, *nivi simile*, *minutum ut pruina*.

חף

חף *Apis*, Jerem. XLVI, 15.

In Hebraico codice, ut nunc legitur, nuſpiam occurrit: at LXX Jerem. XLVII, 15. pro נסחף, aliter diviſis in voces literis, legerunt, (*) מדוע נס חף אביךך verteruntque, *διατὶ ἔφυγεν Ἆπις ὁ μόσχος σου*; *cur fugit Apis, bos tuus.* Ingenioſe ſane, et rebus Aegyptiis apte: nec poenitendi ſententiae auctores LXX, in ipſa Aegypto viventes, quibus nomina deorum Aegyptiorum ignota eſſe non poterant. Apis bos erat pro deo cultus, אביר ergo bovem verterunt, eaque acceperunt ſignificatione, quam in אבירי בשן habet. Nec inſolita phraſis antiquis, Deos vinci aut fugere dicens, cum populi fugiunt, qui ſub eorum praeſidio ſunt. Magnifice ſane Apis diceretur ſtare non poſſe contra Jehovam, ſed fugere. Aliquid ſimile habet et vero de ipſa Aegypto, Virgilius Aen. VIII, 698.

Omnigenumque deum monſtra et latrator Anubis,
Contra Neptunum et Venerem, contraque Minervam
Arma tenent.

Perquam veriſimilis interpretatio, nec tamen auſus ſum in verſione germanica eam ſequi, neſcio enim quid me ab illa retrahebat. Vide bibliothecam Orientalem T. XVII. p. 183. 184.

חבא 2 Reg. XVII, 9.

Ἅπαξ λεγόμενον, quod lexicographorum plerique ad חפה referre, ſub eoque habere ſolent. Deſtituit nos hic, a qua ſola in verbis tertiae rad. א opem petere licet, Arabia, حفاء aut خفاء cum Eliph Hamzato non habens, ut vel ea conſulta neceſſe nobis ſit, verbo tert. rad. Eliph quieſcentis contentis eſſe. Valde diſſident interpretes,

1) non

(*) ſingulariter, ut 48 codices Kennicottiani, cum noſtrae editiones אביריך pluraliter habeant.

1) non pauci recentiorum, *occultarunt*, a חפה *texit*. Male sane: nec enim clam et tecte idololatrae fuerant Israelitae, sed publice.

2) Chaldaeus, Syrus, Arabs, *dixerunt verba contra deum*. Mera conjectura, ex דברים arrepta, nulli enim linguarum orientalium sive חפא sive חפה tale quid significat. Possis tamen conferre Muhammedis dictum de infidelibus, licet manifestis: أسرّوا النجوى *clam colloquuntur*, Sur. XXI, 3. &c.

3) *offenderunt*, Vulgata. Conjectura.

4) LXX. ἐμφιέσαντο λόγους, *vestiverunt verba contra dominum deum suum*. Quid autem sit, *vestire verba*, non liquet; forte, ornare orationem.

5) Coccejus a חפה obduxit, e g. auro, argento, *oneraverunt* (volebatne, *ornaverunt?*) *deum verbis*, *rebusque non rectis*, i. e. aliena ei adfinxerunt.

Licetne et meam conjecturam adferre? حفّ Arabibus aliquando idem quod حفّ *concinnare*. Verterim ergo, a LXX et Coccejo non multum diversus, *concinnarunt de Jehova verba, quae non vera erant*, novam religionem, ipso invito, artificiose excogitarunt.

חֹפֵף Deuteron. XXXIII, 12.

Ἅπαξ λεγόμενον, cui lexicographi plerumque tegendi, obtegendi significationem dederunt, ut ex eorum sententia idem fere sit, quod, praetermissum a me, satisque notum חפה. Nempe thalamum conjugalem חֻפָּה dici videbant, hic a tegendo dici potuerit, ergo חפף est tegere. Nec novitatis versionem damnaverim, habent, Theodotion σκεπάσει, atque, cum aliqua forte ad Chuppam, thalamum nuptialem, allusione, Aquila, παστώσει *thalamum ponet*, LXX. ὁ Θεὸς σκιάσει ἐπ' αὐτοὺς πάσας τὰς ἡμέρας, Onkelos, יהי מַגֵּן עלוהי. (Memor sis velim loci Lucae, I, 35. ἐπισκιάσει σοι, ubi et Syrus

verbum أَلْبِي posuit, sensu quodommodo nuptiali.). Clarius etiam Vulgata: *quasi in thalamo toto die morabitur.*

Interrogemus potius linguas orientales reliquas, non, quid esse possit? sed quid sit חפף? Habent autem duplex Arabes verbum حفّ et خفّ, nos jam de illo dicemus. Ergo حفّ duas maxime habet significationes, quae quomodo inter se conjunctae sunt, ignoro, nec hariolari velim:

1) *obeundi, circumeundi:* quam et lingua Samaritana servat. Potest hoc *circumire*, sive maxime proprie accipi, de motu aliquo circumeuntis, unde et Arabum lexicographi per حول exprimunt, sive generalius poni pro *circumdare:* sic et Arabibus est, *operuit, cinxitque veste.* Jam vides, haec non procul abesse a tegendi notione, quam verbo tribuerunt lexicographi Hebraeorum, nec tamen prorsus eadem. Et hoc addo, de *intenso* aliquando *amore* verbum Arabibus poni.

Haec quidem omnia loco Hebraico unico egregie apta, *circumdat*, *impense amat*, Benjaminem deus: sed aliquid specialius expresserunt veteres, ad avem circumvolitantem nido pullisve referentes. Syrus ܒܟܠܗܘܢ ܢܓܢ. ܥܠ ܫܘܦܢܘܗܝ, Saadias يطوف (*circumibit*) Samaritanus ירפרף עליו, eodemque verbo usus Arabs Samaritanus, يرفرف عليه *super eo motitabit alas.* Nempe eandem putabant imaginem institui, quae Deut. XXXII, 11. aquilae, nido suo supervolitantis, illumque curantis impense et tuentis. Eximia sententia, quae tamen demta avis supervolitantis imagine possit et consvetae explicationi fieri paulo similior. Sed non video, cur altera elegantior magisque poëta digna significatio atque imago sit repudianda. Ergo illam praefero.

2) *fricuit, glabrum reddidit, rasit*, unde et ortum videtur, *concinnare circumcisa ora barbam, mystacem* &c. Habent et Syri

ܣܚܦܐ

ܡܫܚܦܐ *frictio*, *lotura*, *detersio*, quin et a frictione, أسحف *voluptati se dedit.* Hanc quidem indico, primo quod ea usus est Schultensius ad sequens חף explicandum: deinde, quod חוף, *litoris* nomen, si ad verbum mediae radicalis geminatae referatur, a frictu maris idem dictum voluit. Vide pag. 689. Ad me quidem nihil haec significatio, sed fas non duco aliorum subticere perquam verisimiliter dicta.

Jam supra professus sum, non me expedire utriusque significationis genealogiam: potuit a circumeundo frictio dici, is enim, qui in balneo fricat lotum, eum totum circumeat necesse est; sed et fricandi significatus inverso ordine primus esse potuit. N. L.

Aliud plane verbum خف *levis fuit*, quo forte ad sequens nomen opus habebimus.

חַף Job. XXXIII, 9. *innocens*.

Innocentem significare, eundem qui antea זך, *purus*, dictus fuerat, ipsa nos series orationis docet, praeiveruntque veteres, LXX. ἄμεμπτος, Vulg. *immaculatus*, Chald. שׁזיג *lotus*, Syrus, ܚܦܝܐ ܡܢ ܚܛܗܐ *ereptus* vel *liber a scelere*. Sed quomodo Hebraicum vocabulum id significare possit? unde dicta innocentia? de eo non aeque liquet.

Fuerunt, a Schultensio jam in commentario in Jobum notati, qui *tectum* a scelere putabant innocentem dici. Ipse opponit, tegendi significationem non esse primariam, sed, ut existimabat, denominativam a חפה. Id quidem parum ad rem, posset enim et a secundaria verbi denominativi significatione innocens dici. Ego vero huic derivationi opposuerim, חפף non esse *tegere*, sed *circumire*, *circumdare*, licet circumdare aliquando et sit, tegere: *circumdatum* a peccato nemo dixerit innocentem.

 Schul-

Schultensius a *fricando* dictum putabat purum a scelere, tanquam, *tersum, nitentem*, idque et mihi olim adrisit. Nec tamen, ut in re lubrica fortiter adsentienti, sed dubitanti ac circumspicienti, duplex se mihi aliud etymon obtulit:

1) Monui jam supra a fricando et lotionem Syris ܚܘܦܝܐ dici, ejus enim lotionis, quae in balneis peragitur, potissima pars ac gratissima frictione corporis absolvi in Asia solet; quamquam omnino vix ulla lotio, sordes detergens, sine frictione. Quid ergo, si, *lotus*, vertamus? id est, *purus*. Sic equidem in vers. germanica, praeiveratque, quem vixdum citavi, Chaldaeus.

2) Reum consveta phrasi Arabes *suum onus portare*, suo reatu *oneratum* dicunt: كُلُّ نَفْسٍ تَزِرُ وِزْرَهُ *unusquisque suum onus portabit*, multoties in Corano recurrit. خَفَّ Arabibus significat, *levis fuit*, unde et nomen خَفٌّ *levis*. *Levisne*, *sine peccato*, dicatur, qui nullo peccato reatuve oneratus est?

Ipse ambigo, arbitri sint lectores: prius tamen etymon, ex Syriasmo, quodammodo praeplacet.

חֻפָּה *thalamus nuptialis*.

Thalamum nuptialem Ps. XIX, 6. Joel. II, 17. non tam a tegendo dictum arbitror, quam, a *circumdando*: lectum, nempe, velis circumdatum, aut cui velum certe praetensum est. Jesaiae tamen IV, 7. paulo latius de omni velo et tegumento nomen ponitur: nempe, jam supra fassus sum, *circumire*, *circumdare*, aliquando et esse, *tegere*.

חָפַר *fodit*, *scrutatus est*, *exploravit*.

Diversissimae, quas verbum habet, *fodiendi* et *erubescendi* significationes, neutiquam artificiose ad unam eandemque revocandae, sed

duo

duo inter verba, ſono, Arabibusque adeo ſcriptione diverſa, diſpertiendae. (Vide collegium criticum in Pſ. XL, 15.)

1) حفر *Hhafar* eſt, *fodit*, eandemque vim Hebraicum חפר cum Syriaco ܚܦܪ communem habet. Exempla non adſcribo, quod omnia illis lexica abundant.

Hoc fodiendi verbum latius etiam transferunt, ut generatim ſit, *ſcrutari*, (e. g. alicujus ſententiam.) Vide Giggei lexicon. Hinc explicandum, Job. XXXIX, 29. de aquila dictum: משם חפר אכל *inde* (ex cacumine petrarum) *explorat cibum: procul oculi ejus proſpiciunt.* LXX. ζητεῖ Vulg. *contemplatur.*

2) خفر in prima et quinta conjugatione, *pudoris* notionem habet, apud Arabes quidem plerumque in bonam partem, *verecundus fuit, pudica fuit mulier,* ſed latius apud Hebraeos, Syros, Chaldaeos Aethiopas.

Ex Pſ. XXXIV, 6. ופניהם אל יחפרו ſuſpicari poſſis, proprium verbi uſum ad vultum pertinere, ac quaerere de etymo. Et de hoc reſpondebo, viam mihi ad alia facturo. Nempe

3) idem خفر vertitur quoque, *protexit*, videturque prima ejus in tegendo vis eſſe. A tegendo vultu pudor dictus. Sed ſuſpicor et hac prima tegendi ſignificatione ſemel in codice Hebraico legi: languet Pſ. VII, 16. בור כרה ויחפרהו *foveam fodit, et effodit illam;* mallem, *foveam fodit, et obtexit illam,* inſidioſe, ut incautus in illam incidat.

חפרפרה Jeſ. II, 20. *ſepulcrum.*

Ex conſvetis editionibus in duas voces לחפר פרות, diſpeſcitur, pleriſque tamen interpretum unica viſa eſt, quinquelitera, a חפר radicalium geminatione orta, habentque ut unam quinque codices Kennicottiani, לחפרפרות. Sunt, fateor, non multi, ſed haec quaeſtio

ex judicio interpretis pendet, non ex codicum auctoritate, cum certum sit, antiquos sine interstitiis vocum scripsisse, haecque recentioris aevi esse.

Ἅπαξ λεγόμενον recentiores *talpas* vertunt, quas a fodiendo ita dictas volunt, etymon satis verisimile adferentes. Praeivit jam Vulgata, et vero ex emendatione Hieronymi, qui in commentario ad hunc locum: *Theodotio ipsum verbum Hebraicum posuit, PHARPHAROTH. Est autem animal absque oculis, quod semper terram fodit, et humum egerit, et radices subter comedens frugibus noxium est: quod graeci ἀσπάλακα vocant.* Ex Vulgata in lexicon recepit Reuchlinus, ex Reuchlino reliqui; placuit Bocharto, nil dubitanti, postque eum prope desierunt dubitare interpretes. Sunt tamen talpae, nonnisi unius Hieronymi auctoritate sumtae, perquam dubiae, atque alteri ex duabus constructionibus, (quae quidem mihi verisimilior,) cum ישליך, plane ineptae: talpis enim, sub terra degentibus quis projiciat aut abjiciat idola aurea? defodienda, non projicienda sunt, si ea ad talparum velis adyta pervenire. Haec tamen objectio Vulgatam non premit, cum להשתחות construentem: *ad adorandum talpas.*

Neminem praeter Hieronymum talpas vidisse dixi. *Idola* intelligunt LXX, (ματαια) Syrus, (ܨܠܡܐ) Chald. (לטעותא), ad חפר *puduit*, nisi fallor, referentes, *pudenda*, ut Baalem בשת vocare Hebraei solent. — — Symmachus, *infructuosa* vertit, ferte a חפר *erubuit*, et פרי *fructus*: quorum fructus pudefaciunt exspectantes Aquila, ὀρυκτα, *fossilia*, (sed quae?) Koppius nuper *murem bipedem jaculum* intellexit, sed huic muri duo obstant

1) quod illi non magis quam talpae *projici* idola possunt, sub terra habitanti, et tamen cum projiciendi verbo Koppius construxit.

2) idem, quod talpis opposuit Koppius, aliud eas apud Hebrae-

os

os nomen habere: ex verisimillima Bocharti sententia *mus biceps* שְׁפָן.

Mihi quidem, si vera lectio, verisimile, חפרפרות *sepulcra* esse, a fodiendo dicta: Syris quidem ܚܦܝܪܐ, Arabibus, omissum a Golio, حُفْرَة sepulcrum est. Vide chrest. Arab. p. 122. In sepulcris certe, quae in Palaestina haud raro sunt cryptae seu cellae in petram effossae, nidulari vespertiliones solent: egregieque ex utraque constructione locum sepulcra tuentur,

1) cum ישליך, *idola aurea sua projiciet sepulcris et vespertilionibus*, id est, fugiens, in sepulcrum juxta viam, vespertilionum domicilium, idola, et vero ex pretiosiore metallo, abjiciet, ne ipsi oneri sint. (Hoc praefero)

2) cum השתחוות, *ad odorandum sepulcra et vespertiliones.* Infamia superstitionibus Phoenicum, necromantarum, aliorumque, sepulcra in sacris literis, excubiae quoque in illis superstitiosae actae: jam in sepulcris, qualia in Palaestina erant, nidularentur vespertiliones, has superstitiones abominaturus aut risurus, invidiose eas interpretari poterat, ac si vespertiliones, turpissima numina, ac sepulcra ipsa colerentur.

Fuerunt ex Judaeis, quibus nomen volucris visum est, noctu volantis interdiu latentis: sic Abenesra, male Koppio intellectus, qui eum עטלף et חפרפרה pro synonymis habuisse refert. En ipsa Abenesrae verba, latine versa: *nomen est avis, quae noctu volat, ut faciunt vespertiliones, interdiu se abscondit.* Forte de aliquo noctuarum genere cogitabat.

Est tamen hic ipse festinantioris Koppii error proximus conjecturae criticae, quae animum meum solicitavit et suspensum tenuit. Syris vespertilio ܦܪܚܘܕܐ quod nomen in ipso Jesaiae loco Syrus pro עטלף

עַטַלֵּף reposuit. Quid ergo si scripserit Jesaias, לפרחדרים ולעטלפים duo vespertilionum componens nomina, nec tamen plane eadem, sed species diversas indicantia? Ita quidem conjiciebam, sed nullus codex conjecturae suffragabatur.

חפור פרות, ut alii divisis vocibus praeferunt, quaere sub פר, quamquam vix placitura existimem, quae ibi, non ex mea sed aliorum sententia, adferentur.

חָפְרַע *Apries.* Jerem. XLIV, 30.

פרעה חפרה, *Pharao Hofra* quin sit *Apries* vix dubitandum, ipsa illum historia ac chronologia poscente. Herodoto haec est series regum Aegypti: 1) Nechos 2) Psammis 3) Apries, qui XXV annos regnavit. l. II. c. 161. In manum hostium suorum datum eum iri, praedicit Jeremias, non, ut plerumque fingunt, Nabochodonosaris, sed Amasis, rebellis, in cujus manum gravi pugna victus venit, strangulatusque periit, teste Herodoto, et Diodoro Siculo l. I. c. 65.

Apries cum Graecis dicatur, malles forte חֲפְרַע *Hafra*, quam חָפְרַע, *Hofra*, aliam certe nominis adpellationem audiit a suo magistro Hieronymus, cui in Vulgata est *Ephree*. Nec tamen ausim quidquam mutare, LXX. quibus in rebus Aegyptiis praecipua fides, utramque vocalem, obscuram et claram habentibus, Οὐαφρῆ.

Pharaonem claudum habent Chaldaeus et Syrus, quo nomine illis Pharao Necho venire solet: perquam absurde, quo enim tempore haec in Aegypto vaticinatus est Jeremias, Pharao Necho dudum, non solum victus ad Cercusium, sed et mortuus erat, nec poterat in manum hostium suorum tradi. Historiae ignorantia hanc pudendam Nechonis Apriisque confusionem peperit.

חפש,

חפשׂ, חפשׁ, התחפשׂ.

Plures ſub his literis radices concurrunt, magna apud Arabes varietate ſignificationum, ſed quas difficile aliquando eſt, Hebraicis, atque adeo ipſa Hebraicis Hebraica, ſatis comparare.

1) Verbi חָפַשׂ per Sin ſcripti, certiſſima et in omnia lexica, omnes in commentarios recepta, ſignificatio, *ſcrutandi.* Hanc quidem ſub חפס Aramaei habent, Chaldaei et Samaritani, quibus primo eſt, *fodit*, a fodiendo dictum, *explorare*, *ſcrutari.* Arabia nihil habet, quod ſatis concinat: ergo hanc notionem Hebraicae et Aramaeae lingua ſoli relinquamus. Mirari equidem ſubit, has linguas ſub iisdem literis ſignificationem habere, quam ſub quatuor Arabicis, حفس, حفش, خفس, خفش, fruſtra quaeras: ſed fateamur, verborum et vocabulorum cauſſas nos hic aliquando ignorare, nec etymon comminiſcamur artificioſe, donec ultro ſe offerat, pacemque ſororiis linguis conciliet.

2) حَفَسَ Arabibus eſt, *comedit*, *voravit.* Hujus verbi ſignificationisque nullum in lingua Hebraica veſtigium, nullus uſus.

3) حَفَشَ *fluxit*, *confluxit undique aqua.* Hoc quidem verbum emoto, quod et figurate eſt, *in curſum effudit ſe equus*, qua ſignificatione in Ezech. XXVII, 20. ex varia lectione uti poterimus.

4) خفس duas potiſſimum habere ſignificationes videtur, alteram cum ſequente خفش communem, *proſtravit*, indeque, *luctando vicit*, *inebriavit:* alteram ſibi propriam, *turpitudinis* ut reor et *impuritatis*, unde eſt, *obſcene loquutus eſt*, et quadriliterum خنفس *abhorruit.* Hujus quidem veſtigium ſupereſſe videtur in Chaldaico חִפּוּשְׁיָא *ſordities ollae.*

5) خَفَشَ et خَفَّشَ *jecit*, *projecit*, *humi proſtravit*, quin et

et intransitive, خفش *debilis* (humi prostratus) *fuit*, quam significationem psalmo LXXXVIII, 6. enoto.

התחפש saepius de eo poni, qui ne agnoscatur, alias vestes, rex privatas aut sordidiores, sumit, ex lexicis notum: *dissimulavit*, *mutavit se*, vertere solent: vide 1 Sam. XXVIII, 8. 1 Reg. XX, 38. XXII, 30. 2 Paral. XVIII, 29. Haec significatio, caeteris linguis Orientalibus ignota, unde? Conjecturae si locus detur, suspicor, a sorditie, num. 4. *sordidavit se*, i. e. sordidas vestes sumsit. Eximie aptus locus 1 Reg. XX, 38. ויתחפש באפר על עיניו *sordidavit se cinere super oculos*, ut agnosci vultus non posset. — — — De Job. XXX, 18. יתחפש לבושי, nolo hic sententiam dicere, est enim exegetica potius quam lexicographica quaestio, quae ex notis verbi significationibus illi loco sit aptior. 2 Paral. XXXV, 22. de veritate lectionis, כי להלחם בו התחפש dubito. Video, verti et hic posse, *alias vestes sumsit*, *depositis regiis*, *praelium cum eo initurus*: sed nec favet filum orationis, nec quisquam veterum praeivit, qui tamen, quid spectarint, conjectantes potius, dictu difficile, LXX. πολεμῶν αὐτὸν ἐκραταιώθη, Syrus, *ad bellandum cum eo*, ܥܡܗ ܢܐܙܠ *abibat*. Vera si lectio, possis forte ex num. 3. vertere, *effudit se ad bellum*: sed vix possum non suspicari, auctorem scripsisse, ויתחבש *accinxit se ad bellum*, פ et ב, ut saepe fit in Hebraicis, non sola literarum consonantia, sed et similitudine figurae Samaritanae, confusis ac permutatis librariorum errore.

חָפְשִׁי Ps. LXXXVIII, 6. *stratus*.

Cum alias חפשי *manumissus*, *libertus*, sit, hanc significationem et loco nostro satis unanimiter aptant: *ut manumissus*, vel, *ut liber*, *inter mortuos*. Displicet sententia: primo enim quid est, *manumissus inter mortuos*? si molestiis hujus vitae, longaque servitute liberatus, addo

addo secundum, quis lugubriter queratur, se manumissum esse inter mortuos? Denique ipsum חָפְשִׁי *manumissus*, reliquis ignotum linguis Orientalibus, ex alia fluxerit significatione necesse est, quae nisi fallor in psalmo locum habet.

Meminerimus verbi significationis quartae et quintae, *prosternere, humi sternere*, jamque בַּמֵּתִים חפשׁי cum his, quae sequuntur, vertamus: *stratus inter mortuos, ut confossi, cubanter in sepulcro.*

חָפְשִׁי *manumissus, libertus.*

Significatio certa, sed nec prima, (quis id vel suspicari possit? quis non potius anquirat, unde manumissio dicta?) nec reliquarum linguarum ulli, praeter Thalmudicam, usitata. Etymon incertum, duae tamen paulo verisimiliores se conjecturae offerunt

1) a خَفَشَ *debilis fuit.* Servo senectute debili videtur immunitas ab operibus, quibus impar erat, concessa. Sic ubi servus *exire*, aut *dimitti a domino* dicitur לַחָפְשִׁי, Exod. XXI, 2. 26. 27. *pro debili* i. e. *tanquam debilis dimittitur*, eodem jure liber est, quo, senio debilitatus.

2) a praecedente חפשׁי, quatenus *prostratum, mortuum*, significat. Mors omnis servitutis finem facit, plenissimo ergo jure liber, est, liber ut mortuus, *pro mortuo dimissus.* Thalmudicorum de lege adeo Mosaica sententia, his ipsis verbis concepta, כשמת האדם נעשה חפשי מן המצוה *cum moritur homo liber fit a praecepto*, quam ad christianos per mortem Christi a lege liberos transfert Paulus, Rom. VI, 1-4. Sic et Job. III, 19. *ibi* (in sepulcro) עבד חפשי מאדניו *servus est liber a domino suo.*

חֹפֶשׁ Ezech. XXVII, 20. *tapetia humi ſtrata? inſtrata equo?* an, *citiſſimus curſus.*

Dedanitae, nec vero illi Chamo orti, de quibus Moſes loquitur Geneſ. X, 7. de horum enim commerciis verſu jam 15 egerat Ezechiel, ſed alii, Abrahamo orti, ac cum Idumaeis conjungi ſoliti, (Jerem. XLIX, 8. Ezech. XXV, 13.) Tyrum adportare dicuntur, בִּגְדֵי חֹפֶשׁ לְרִכְבָּה *veſtes Choſeſch ad equitandum.* Obſcuriſſima verba, ac quibus lucem, niſi mutata lectione, vix ſperem poſſe adfundi.

1) Recentiores *veſtes* fere *libertatis* vertere ſolent, antiquorum nemine praeeunte, nec me facile habituri adſeclam: quae enim quaeſq veſtes ſunt libertatis? aut qua ex orbis terrarum parte advehuntur? Addunt aliqui interpretationem: *Triumphales* Coccejus, nimis Romane, *nobiliſſimas et magnificas, quae decent ingenuos et liberos* Simonis. Sic quidem jam Chaldaeus, לְבוּשׁ דִּיקָר לִרְתִיכִין, *veſtes pretioſas pro curribus.* Et hi veri diſſimillime. *Liberos, ingenuos,* nobiles dici poſſe, multarum linguarum uſu concinente, neutiquam in dubium vocaverim, itemque, veſtem pretioſam, veſtem nobilium: ſed multum intereſt inter *manumiſſum,* et *ingenuum* ſeu *nobilem,* veſtesque manumiſſorum ac veſtes nobilium. *Veſtes manumiſſorum* legens non ſane de ſplendidis veſtibus cogitaverit, aegriusque adeo adſequatur, quid illae ad equitandum. Ergo haec parum opinabilis repudiator explicatio.

2) Vulgata, ab Hieronymi manu, in ſua verſione concinentis, habet, *tapetia ad ſedendum: (Dedan inſtitores tui in tapetibus ad ſedendum).* In commentario praeter morem jejunus Hieronymus, ſola prope ſpiritualia (nugas) ſpectans. Id quidem vel illo tacente video, de tapetibus cogitaſſe, humi ſtratis, in quibus Orientales conſident, לְרִכְבָּה de *ſeſſione* accepiſſe, et בִּגְדֵי חֹפֶשׁ de *ipſis tapetibus*

tibus

tibus humi stratis. Video, quid pro hac interpretatione dici possit, a docto fortassis Rabbino accepta, sed cujus rationes ignorabat discipulus Hieronymus: בגדים non vestes solum esse, sed et omnino *vela majora*, خفش Arabibus *humi sternere*, hinc בגדי חפש *tapetia humi strata.*

Fateor, hanc mihi verisimillimam videri lectionis receptae versionem, seu potius si lectionem receptam interpretari statutum habeas, unice veram, atque hic quoque, ut saepe alias, Vulgatam omnibus aliis versionibus palmam praeripere. Hanc et sequutus Lutherus, *Dedan hat mit dir gehandelt mit Decken darauf man sitzt.*

Haec quidem versio aut vera, aut

3) quod faciunt LXX et Syrus, lectio mutanda. Hi quidem pro בגדי *vestibus*, nomen jumenti habent, *κτηνῶν ἐκλεκτῶν*, (*jumenta lectissima*) ܒܥܝܪܐ ܓܒܝܐ (*jumentum excellens*). Aliud pro בגדי legisse videntur, incertum, utrum בכרי *dromedarii*, an פגרי *fraenati*, quod vide suo loco. Prius malim. Jumentorum aliquod aut dromedariorum nomen si praecedat, חפש optime *effusum ac citissimum cursum* interpreteris, a tertio حفش *in cursum effudit se equus.* Sic Dedanitae Idumaei Tyriis vendiderint *dromedarios cito currentes*, proprie, in cursum effusos. Haec quae olim in praelectionibus dixi, a S. R. Schultzio in Cocceji lexicon recepta video, auctore, quem commilitones noverant, non indicato. Verisimillima sententia, sed lectio nullo codicum Kennicottianorum firmata suffragio: ut dubitandum adhuc, ac pene Hieronymi et Lutheri versio, ab anonymo Hieronymi magistro tralatitia, timido praeferenda, videatur. Possis forte

4) sic et mutare et emendare, ut sint, *tapetia equis instrata, in quibus sedeat eques:* idque mihi verisimillimum.

חפשית 2 Reg. XV, 5. *noſocomium leproſorum (Lazareth).*

Uzzias, lepra percuſſus, ſecluſus usque ad mortem dicitur, בית החפשית, id vero manifeſte eſt, in *noſocomio*, quale nos *Lazareth*, vocare ſolemus. Nomen accepit, ſive ab *impuritate*, (n. 4. p. 879.) ſive a debilitate, n. 5. p. 880. *domus infirmorum.* Unicus ex veteribus aliquid veri prodidit, Chaldaeus: *fuit clauſus, et habitavit* בר מן ירושלים *extra Hieroſolymam:* ſolent enim leproſorum noſocomia extra urbem eſſe.

Syrus, ܡܛܫܝܐܝܬ *occulte*, ſicque anonymus in Hexaplis graecus, *κρυφαίως*, ex mera conjectura, nullo linguarum Orientalium conſenſu. Symmachus, *ἐγκεκλεισμένος*: et hoc conjecturale. Ignorantiam faſſi LXX nomen retinuerunt, *ἐν οἴκῳ* Ἀφφασώθ.

Turpiſſime errarunt recentiorum plerique, *domum libertatis* vertentes, quaſi vero libertatis domus dici poſſit, in qua leproſus incluſus, atque a conſortio libero hominum ſecluſus. Primo debetur turpis error Aquilae, nimis etymologico interpreti, et tamen etymologiae parum perito, qui *ἐν οἴκῳ ἐλευθερίας* vertit, ex illo Hieronymus, *in domo libera*, ex Vulgata recentiores. Habet tamen et ſimile quid in lexico Kimchius, quem forte alii ſequuti, *vocari* ita ratus *domum in qua ſolitarius degebat, ac ſi manumiſſus eſſet a ſociis.* Quod phraſis portentum!

Idem Kimchius et alias attulit Judaeorum interpretationes, ut 1) Rabbi Jonae, *domum parvam*, Arabes enim domum parvam חפשי vocare. Ignotum mihi vocabulum 2) Thalmudis Hieroſolymitani, *fecit ſibi domum in ſepulcro, quemadmodum dicitur,* במתים חפשי (Pſ. LXXXVIII, 6. Eandem et habet Raſchius, interpreti ſuo, Breithaupto, hic male intellectus. חפשי *mortuum, ſepultum*, ſignificare volebat, non, ut Breithauptus vertit, manumiſſum.

חפוש cognomen Jonathanis, 1 Macc. II, 5.

Jonathani, quinto ex Matthathiae filiis, cognomen a rebus gestis Ἀπφοῦς inditum esse, 1 Macc. II, 5. legimus, quod in Hebraico libro his literis scriptum fuisse, חפוש, vel, חפוס, Syrus nos interpres docet, ex Hebraico exemplo vertens, et ܚܦܘܣ scribens. Nomen *astutum* significare credo, a חפש Chald. חפס *scrutari.* Id nisi placeat, possis et ad خفش *prostravit*, referre, ut sit, sive active, *prostrator* hostium, victor, sive passive, *prostratus*, ob fata viri, ab hostibus perfide occisi, 1 Macc. XII, 48 – 53.

חצב *caedere*, *jaculari*, *humi projicere.*

Notissima *caedendi* significatio, ut, *arbores*, *ligna*, *lapides*, nec in dubium vocanda: mirum tamen, cum pro nostro quatuor verba Arabes habeant, حصب, حضب, خضب et خصب, in nullo eorum superesse. Habent tamen Arabes, sed צ in ט mutato, sub حطب *lignari*, *ligna caedere.*

Caeterum haec nota, exque lexicis in lexica tralatitia significatio, non omnibus locis convenire videtur, estque, ubi Arabicum חצב aliquid lucis hucusque ignotae impertiri Hebraico reor.

Vix placet, Pf. XXIX, 7. קול יהוה חצב להבות אש *tonitru Jehovae caedit flammas*, hoc enim quid? nec, *caedit flammis igneis*, sic enim scribendum בלהבות fuisset. Huic vero loco Arabici حصب, in tempestatibus ac procellis gravioribus proprii, aptissima significatio. Habet Golius, *silicuiis*, *seu glarea petivit*, *projecit*, *conjecit in ignem* &c. Demtis exemplis rei, quae projicitur, vides, notionem verbi esse, *jaculari*, *jacere.* Idem et habet participium حاصب *vehemens*, *et glaream spargens ventus.* Nec tamen solam glaream, sed et fulmina jaculans turbo hoc nomine dicitur. Sodoma fulminum jactu deleta, nec id

id ex Moſe ſolum aut Tacito ſumo, ſed ex ipſo Muhammede, qui lapides سجّيل in Sodomitas projectos dicit: de hac autem urbis internecione idem Muhammedes Sur. LIV, 34. ارسلنا عليهم حاصبا *immiſimus illis ſpargentem*, certe non, ventum glareas ſpargentem, his enim urbs non incendio periiſſet, aut ſubmerſa eſſet, ſed *procellam fulmina ſpargentem.* Hinc jam verba Hebraica interpretemur: *tonitru Dei ſpargit fulmina* (flammas igneas). Quid obverti mihi phyſice poſſit, non ignoro, non tonitru fulmina ſpargere, ſed fulminum ſonum eſſe tonitru: at phyſice et philoſophice vera quis a poeta exigat? Condit phraſes, non ut ſcholis philoſophorum, ſed ut ſenſibus verae videntur. Sententia, demto ſenſuum errore: *Deus tonans ſpargit fulmina.*

Jeſ. LI, 9. legimus de brachio dei, המחצבת רהב, quod verti quidem non male poſſit, *caedens* (concidens, vulnerans) *terrorem*, i. e. hoſtes terribiles. At cum in loco maxime parallelo, Pſ. LXXXIX, 11. habeamus, רכאת כחלל רהב *contriviſti ut confoſſum in pulverem terribiles*, malim et hic, collato Arabico حصب *projecit*, *vertere*, *projiciens* i. e. *proſternens terribiles.* Hoc tamen in veriſimilibus habeo, non in certis.

חֹצֶן *ſinus.*

Nomen ter obvium, Jeſ. XLIX, 22. Pſ. CXXIX, 7. Nehem. V, 13. recte a lexicographis *ſinum* verti, vel ſolus pſalmorum locus ex Graeca et Arabica verſione certiſſimo argumento eſt: quod enim ibi in Hebraicis legitur, חֵצְנוֹ, LXX. τὸν κόλπον αὐτοῦ, exque Graecis Arabs, non inſpectis Hebraicis, eodem vocabulo reddidit, حُضْنَهُ. Idem vocabulum حِضْن pro Graeco κόλπος, ubi Hebraicum חיק exprimit, repoſuit Arabs verſionis Graecae interpres, pſalmis (Hebrai-

cis

cis eos numeris cito) XXXV, 13. LXXIV, 11. LXXIX, 12. LXXXIX, 51. Ponitur etiam pro Hebraico חֵיק, 1 Reg. III, 20. XVII, 19. his quidem vocalibus, حُضْن quas enoto, quod punctis etiam masorethicis חֹצֶן respondent. Caeterum definiunt Arabum lexicographi, حضن sinum, *quod inter axillas est, et inferiores costas*, sed et addunt, pro *ulna*, quae illi e regione est, sinumque cum corpore facit, poni, qui significatus ad seriem orationis Ps. 129. aptior. Ad Jesaiae locum c. XLIX, 22. et hoc notari velim, verbum حضن denominativum, esse; *suscepit infantem in ulnas*, indeque et *nutricem*, et *educatorem infantum*, حاضنة ac حاضن dici. Posterius vocabulum, Golio praetermissum, vide Num. XI, 12.: positum pro Hebraico אֹמֵן.

חצן Ezech. XXIII, 24. sub He (הצן) pag. 566–568. evolves.

חצץ *celer fuit, sortitus et partitus est.*

Verbum, quod mihi quidem denominativum videtur, non nisi ter in Hebraico codice occurrit, Jud. V, 11. Proverb. XXX, 27. Job. XXI, 21. Veteres relegens, miraberis, vix aliquem ex illis aliquando in aliqua veri vicinia versatum, plerumque nil illos, praeter conjecturas habere, nullo linguarum orientalium suffragio comprobatas. Ex recentioribus, quos in diversa abeuntes excerpere nolim, longum enim, solos nomino meliores, qui aliquid veri viderunt, licet non ubique illis adsentiar, Schultensium ad haec loca omnia, et Lettium ad canticum Deborae.

Ipsa Arabicae linguae copia fraudi hic esse anquirenti possit, quatuor sub iisdem literis radices offerentis, حصّ *celeriter ivit*, atque, plane ut videtur diversa significatione, *partitus est*, حضّ *incitavit*, خصّ *proprius fuit*, خضخض *ornavit.*

Missis ambagibus, et longa multorum divergiorum enarratione, id promam quod mihi videtur verisimillimum, praeivitque, licet non in omnibus his quae dicam consentiens, Schultensius.

Arabicum حصّ in tertia et sexta conjugatione, (حاصّ et تحاصّ) est, *partiri cum aliquo*, in quarta (احصّ) *portionem suam alteri dare*, et حصّة *portio, sors*, (exempla vide, a Castello collecta), denominativa erant a חֵץ *sagitta*, sagittis enim, seu baculis, sortiri solebant. Vide quae ad Jobi locum habent Coccejus et Schultensius, quaeque infra sub פס dabimus. Sagittae nomen ductum a celeritate, est enim idem verbum حصّ et, *celeriter ivit*, حُصَاص *vehementia cursus*. Haec ergo ut ita dicam significationum genealogia, 1) *celer fuit* 2) *sagitta* 3) *sagittis partiri*, *sortiri*. Accedamus jam ad tria codicis sacri loca.

Jud. V, 11. מחצצים בין משאבים verto, *dispertientes inter haustra* vel, canales, i. e. pastores, qui greges suos magno et laeto clamore dispertiuntur ad bibendum, inter aquaeductus stantes ex quibus bibitur. Vide versionem germanicam. Nempe ubi multi greges conveniebant, non omnes promiscue, sed suo ordine, ac sorte ad canales aquae admittebantur, erantque, ut ita dicam, adaquationis leges, Genes. XXIX, 7. 8. 9. 10. quod dum fieret, carmen bucolicum canebatur. Jam chorus epinicium canentium incipit a loco, ubi pastores solebant inter greges adaquandos carmina canere, pergit deinde, sed quo? id jam non ex lexico, sed ipsis bibliis discere velis.

Videtur haec notio distributionis inter canales, olim verbo ejusque derivatis perquam frequens ac pene propria fuisse. Samaritanus quidem הצצון תמר, nomen proprium, Genes. XIV, 7. vertit, quam vere? id non dijudico, sed tamen ex aliquo usu linguae, פלוג כרי divisionem, i. e. *canalem hoedorum*.

Mira-

Mirari hic poſſis veterum, non ſolum a ſe invicem, ſed et nonnullorum ab omni uſu linguarum orientalium diſſenſum! De ignoto verbo conjecerunt.

LXX. *φωνὴν ἀνακρουομένων* habent, i. e. *pſallentium*, cytharas aliaque inſtrumenta muſica pulſantium. Poſſit, fateor, verbum hoc ſignificare, per Cha adpellatum, quadriliterum enim خضخض eſt, *commovit:* nec tamen ulli reliquarum linguarum orientalium usquam muſica notione uſurpatur.

Vulgata, *ubi colliſi ſunt currus*, a manu Hieronymi. Hic quidem, quo jure ſibi videbatur חצץ *collidere*, et משאבים *currus* vertere, ſuſpicatu difficile. Prius quidem ope linguae Arabicae expedire poſſis, cui et حصّ eſt, ut dixi, *celeriter ire*, et حصّ *incitare*, a citato curſu colliſio dici potuerit: ſed ex Arabica eum lingua hauſiſſe, plane ipſi incognita, non ſuſpicaberis, nec quomodo משאבות *currus* eſſe poſſint, expedies. Rabbino ſuo credidit, qui unde interpretationem arripuerit, quomodo ornarit, ignoro.

Chaldaeus ita paraphraſtice, ut de illo loqui, ac de ambagibus quas erravit conjicere, moleſtum et mihi et lectoribus.

Syrus, ܒܨܘܝܐ *ſcrutatores* habet, exque illo Arabs: ܡܢ ܡܠܐ ܕܒܨܘܝܐ ܕܒܝܢܬ ܡܠܦܢܐ *ex verbis ſcrutatorum, qui ſunt inter doctores*, et, عَن كَلَام الذين يَتَدَبَّرُون الكُتُب العُلَمَاء *ex verbis illorum, qui ſcrutantur ſcripta eruditorum.* Inepta filo orationis ſententia, et vix ſine longis ambagibus expediendum, unde extundere eam interpres potuerit.

Recentiorum aliqui, *jaculatores* intellexerunt, putantes tonitrua dici, *vocem jaculantium inter hauſtra*, i. e. inter nubes. Sed hos enumerare longum, multa enim divergia.

Job. XXI, 21. חֻצָּצוּ verto, *ſorte definiti ſunt*, totumque verſum: *nam quid ſuos curet* (ſceleratus) *poſt ſe? et cum menſes ejus forte definiti ſunt?* i. e. poſtquam mortuus eſt? Vide iterum, quae infra ſub פס ad Pſ. XII, 1. de ſorte mortis dicemus. Eodem pene redit verſio Alexandrina, *ἀριθμοὶ μηνῶν αὐτοῦ διῃρέθησαν*, Chaldaeusque, אתפליגו, *diviſi ſunt*.

At חצץ et חצה hic idem putabat, Aquila, Theodotion, eosque ſequutus Hieronymus, *ἡμισεύθησαν*, *ſi numerus menſium ejus dimidietur*: ex mera illi adliteratione, (quamquam in hac et ex recentioribus vel erudiſſimos nacti ſunt aſſeclas) et a filo orationis aliene. Id enim vult dicere Jobus: nihil curare ſceleratum praeter ſe ſolum, non poſteros, dummodo ipſi bene ſit. Syrus quid voluerit, ܡܢܝܢܐ ܕܝܪܚܘܗܝ ܢܛܝܪܝܢ ܠܒܢܘܗܝ? *numerus menſium ejus ſervatur filiis ejus*, exque eo Arabs, وَعَدَدُ شُهُورِهِ يُحْفَظُ لعقبه *et numerus menſium ejus adſervatur poſteritati ejus*, difficile dictu: id unum, forte ad Arabicum خصّ *profecit*, *tribuit proprium ac ſuum*, retulit, hoc ſenſu: *et cum computus delictorum quae per omnes vitae menſes commiſit*, *poſteris retribuitur*, cum poenas delictorum ejus luunt. Recentiores quae hic conjecerunt, non excerpo, cum, quod eorum nec alias eandem quam veterum curam ſuſcipio, tum quod hic ad ditiſſimum ablegare lectores magni Schultenſii commentarium poſſum.

Proverb. XXX. 27. חֹצֵץ, *ſortiens*, verto, i. e. ſuum locum ſortiens, ſuis ordinibus et tanquam compoſito agmine incedens: *rex nullus eſt locuſtis et tamen omnes ordine tanquam militari incedunt.* Vide Joel. II, 7. 8. Nempe recto ſemper tramite pergunt locuſtae, altera alteram non impedientes, atque adeo ab orientalibus exercitui comparantur. Rem habent et imaginem, non ipſam phraſin, LXX. *ἐκστρατεύει ἀφ᾽ ἑνὸς κελεύσματος εὐτάκτως.*

Syrus et Chaldaeus, ex conjectura, ut videtur, מִתְכַּנְשִׁין *congregantur:* recentiorum conjecturas, aut adliterationes cum חצה, disces ex Schultensio, aliquas plane damnante, tam vera sententia ac justa, ut nec dignae sint, quae repetantur.

חָצָץ *lapillus, glarea*, Proverb. XX, 17. Thren. III, 16.

Vera, ac pervulgata jam inde a Kimchio et Reuchlino vocabuli significatio, quod praetermittere potuissem, nisi et rationes ita vertendi indicandae essent, et de etymologia dicendum. Ergo ex antiquis Prov. 20. Vulgata *calculum* habet, in Threnis LXX. ψῆφον, lapidem (male intellectum Arabi, qui eum حُكْم, *judicium*, vertit) Syrus ܟܐ̈ܦܐ *lapides*, Chaldaeus פְּרִידָן *lapillos*. In Proverbiis uterque Aramaeus harmonice, חֲצָצָא et ܚܨܨܐ Arabes quidem sub radice alia حصي habent, حَصَي، حَصَاةٌ *lapillus*, مَحْصَاةٌ *glareis abundans terra*, et quadriliterum, حَصْحَصٌ *lapides*. Putant haud pauci, a *minuendo* nomen ductum, *lapillo minuto*, nec obnitor; quamquam haec *minuti* et *minuendi* significatio, quam lingua habet Aethiopica, Arabicae filia, matre eam ignorante, denominativa potius a lapillis videatur. Sed hoc utcunque sit, aliud mihi ea verbi حصّ significatio, quam p. 887. posui, offerre videtur: a *celeritate*, jactus, ut sagittarum, unde et sagittae dictae; quid? si et a *jaculando* ac *spargendo*, lapilli et glarea? Sed hic jam in incertis me versari video, nec sententiam, sed conjecturam promere existimari velim.

Dicendum et de Vulgata, quae Thren. III, 16. *ad numerum* vertit, (*et fregit ad numerum dentes meos*, i. e. dentes meos omnes). Nempe a calculis et numeri dici potuerunt, quod calculis in numerando uti solebant, estque Arabicum حَصَي non calculus solum lapillusque, sed et, *numerus*.

חצים

חֲצָיִם num *lumbi?* Num. XXIV, 8.

Non placent eo, quem dixi, loco חִצָּיו *sagittae*, licet וְחִצָּיו יִמְחָץ, opitulante Arabico مصحص, vertere possis, sive, *poliet acuetque sagittas suas*, sive, *quatiet*, *et in vulnere agitabit sagittas suas*. Turbat totum orationis filum, imaginemque quae institui coeperat, sagittarum mentio: quis enim sagittae locus, ubi victores (Israelitae) bestiae carnivorae, leoni, comparantur?

Ergo malim cum Syriaco ܚܨܳܐ, *lumbi*, *dorsum*, conferre, cujus supra sub חלצים facta mentio, (p. 797.), *et dorsum ejus* (hostis) *percutiet*, vel *franget*. Sic praeivit Syrus, ܘܚܨܘܗܝ ܢܒܙܥ. Nempe, חֲלָצַיִם חַרְצַיִן, ܚܨܳܐ, idem, ex quibus quid primum sit? quid ab altero ortum? non expedio.

חצר, verbum, הֶחְצֵצֵר *tubis cecinit*.

Unius verbi Hebraici loco Arabes quatuor habent, sono, atque apud illos punctis literarum diacriticis, diversa:

1) حصر *circumdedit*, quod apud historicos maxime de urbium obsidione usitatum. Hinc et حصار *sepimentum*, *castellum*, *munimentum*, Aethiopesque *vallum*, urbiumque obsessarum *circumvallationem* dixerunt.

2) حضر *praesens* fuit, *incoluit*, unde حَضْر *locus habitatus*, &c.

3) خصر *friguit*, cujus apud Hebraeos quidem vestigium nullum reperi.

4) خضر *viruit*, unde خَضِر et خَضُور *virens*, خُضْرَة *viror*, أَخْضَر *viridis* (Abulfedae Aegypt. p. 28.) itemque nomen gemmae viridis Exod. XXVIII, 17. مخضر *viridarium*. (Abulf. Aeg. p. 7.) Huc et suspicor referendum Syriacum ܚܨܪܳܐ *calamus scripto-*

ſcriptorius, (chreſt. Syr. p. 106.) calamo a virore dicto, quod ex arundine ſumitur Arabibus Syrisque.

Hebraice quidem ut verbum non occurrit, niſi in conjugatione inſolita, הַחֲצֹצֵר *tuba cecinit*, 1 Paral. XV, 24. מַחֲצְצְרִים 2 Paral. V, 12. (ex 19 codicibus Kennicottianis, impreſſi enim מחצררים habent, alii mſcr. מְרַצְּרִים vel מְחֲצְצִים) VII, 6. XIII, 14. XXIX, 28. Denominativum a חֲצוֹצְרָה, *tuba*, verbum conjugationis Arabum duodecimae افنوعل: formae inſolentia multae lectionis varietati, quam ex Kennicotto diſces, jam צ omiſſo jam ר bis poſito, occaſionem dedit, notaeque maſorethicae, יתיר צ *ſuperfluum Tſade*, ſuperfluum dicentibus maſorethis anonymis, quod aut a punctatore neglectum erat, aut cujus ipſi rationem reddere pro ſua grammaticae ignorantia non poterant.

Caeterum videtur et hoc verbum, et nomen tubae חֲצוֹצְרָה, referendum ad num. 2. خضر *praeſens fuit*, unde أخضر in quarta eſt, *praeſentem ſtitit*, *adduxit*, *adeſſe juſſit*: tuba inde dicta, quod ejus ſono congregabatur populus, quaſi, *adeſſe jubens*. Vide Num. X, 2. 3. 4.

חֲצֵרוֹת, חָצֵר *atrium.*

Facilis et obvia ultro ſe offert notiſſimi vocabuli derivatio a primi verbi حصر ſignificatione, *circumdedit*: locus ſubdialis, muro, aut, ut atrium tabernaculi conventus, aulaeis circumdatus.

חֲצֵרִים חָצֵר, *pagus*, inprimis *portatilis Nomadum ex tentoriis in orbem poſitis*,

Pagum recte vertunt lexicographi, nec tamen haec ſola vocabuli, ac forte ne prima quidem ſignificatio, ſed et *portatiles Nomadum pagos* ſignificat, *tentoriis in orbem poſitis conſtantes*, quos Tatarico vocabulo, a Mogolis ante quinque ſecula late per Aſiam Europamque victo-

victoribus accepto, *Horde* dicere ſolemus, medii etiam ſeculi latinitate *hordam*. Sic quidem et Arabes ſuum حَاضِر ponunt (*Arabum campeſtrium vicum aut familiam majorem* vertit Golius) et Hebraicum vocabulum ſine dubio accipiendum, ubi de gentibus Nomadicis ſermo, ut Geneſ. XXV, 16. de Iſmaelitis, Jeſ. XLII, 11. de Cedarenis, hac orationis ſerie, membrorumque parallelismo, *exclamet* DESERTUM, et *urbes ejus*, HORDAE (ab urbibus ut videtur diverſae) *quas habitant Cedareni*. Sic et, ubi duabus tribubus Nomadicis trans Jordanem, Rubenitis et Gaditis, tribuuntur, עָרִים וְחַצְרֵיהֶן, *urbes et circumjecti pagi*, erratici nempe ac Nomadici: Joſ. XIII, 23. 28. In pſalmo etiam decimo v. 8. בְּמַאְרַב חֲצֵרִים *inſidias pagorum*, hordas intellexerim Nomadûm Arabum, Davidi illis in deſertis cum rege Neſibeno bellum gerenti infeſtorum, ex quibus Iſraelitis inſidiabantur, eosque imprudentes invadebant atque opprimebant.

Medio aliquo ſignificatu habemus Nehem. XII, 29. ubi cantores, alibi patriam habentes, feſto inaugurationis murorum *circa Hieroſolymam aedificant* חֲצֵרִים, non quidem illa ex tentoriis, non hordas, quippe quibus aedificandi verbum non aptum, nec tamen ſtabiles pagos, ſed extemporaneos, ex tabernis.

Hoc tamen idem vocabulum et ad pagos ſtabiles tranſiit, qui forte ex erraticis vagisque ſenſim conſtiterunt. Sic ipſum, quod adferebam, Arabicum حَاضِر eſt et, *oppidanus*, *paganus*, *fixum habens locum*, حَضْر *locus habitatus*, ſpec. *fixus*, *et extra campum* حَضَر *habitaculum urbanum et fixum*, حَاضِرَة *domicilii fixi locus*, *urbs*, *aut pagus*. Videas et urbes non paucas, forte initio hordas, nomen a חָצֵר habere, ut, חֲצַר שׁוּעָל, חֲצַר אַדָּר et alias, quarum nomina in indice onomaſtici Simoniani legi, quam hic, malim.

Caeter-

Caeterum orthographia Arabica duce nomen referendum ad verbum secundum حضر praesens fuit, incoluit locum, unde et حضر generatim, locus habitatus, حاضر populosus (Nubiensis, p. 10. 11. textus Arabici). Ab incolendo pagi dicti, quasi, habitationes.

חָצִיר *gramen, habitatio.*

חציר, ubi *gramen*, aut *porrum* significat, ad خضر *viruit*, referendum. De חציר *porro*, Num. XI, 5. fuerunt quidem, qui dubitarent, nec certi quid attulit, qui eo de vocabulo egit, Celsius, Part. II. hierobotanici, p. 263 – 269. Nititur significatio auctoritate veterum, LXX, Vulg. Syr. Chald. et Arabis utriusque.

Jes. XXXV, 7. חציר *arundinetum* esse videtur a virore dictum, plane ut supra monui, Syros calamum a virore dicere.

At hae significationes plane non aptae loco Jes. XXXIV, 13. ubi vastata terra fit חציר לבנות יענה, *Chatsir pro struthionibus*, non viridia, sed candentes arenas habitantibus. Hic ergo ad حضر relatum, *habitaculum* verterim.

חֲצַרְמָוֶת *Hadramaut* Genes. X, 26.

Nomen regionis Arabiae Felicis, *Hadramaut*, seu, ut iisdem literis Arabicis scribitur, حضرموت, quam in tabulis Asiae d'Anvillianis ad mare Indicum invenies post gradum longitudinis 65, latitudinis 15, quamquam in Niebuhriana delineatione jam a gradu lat. 13. incipit. Vide de ea plura in Spicilegio geogr. T. II. p. 156 – 159.

חקה *sculpere, figuram imprimere.*

Licet reliquae linguae Orientales verbum hac significatione non habeant, pro certo tamen sumo, quod tradunt lexica, חקה esse, *insculpere, figuras imprimere.* Loca Ezechielis VIII, 10. XXIII, 14. ita clara, ut dubitari nequeat, ex quibus posterior et hoc docet, חקה et

חקק ut synonyma poni, illo forte ex hoc per confusionem radicum orto. Praeiverunt et magno consensu veteres, quorum auctoritatem addo: in Ezechiele utrobique habent, Vulgata, *depicta*, Chald. מְצַיְּרִין, Syr. ܨܝܪܐ (*picta*, vel, *formata*) LXX. c. 8. διαγεγραμμένα et c. 23. ἐζωγραφομένα: 2 Reg. VI, 35. (quo de loco, paulo obscuriore, dicemus sub ישר) LXX. ἐκτύπωσιν, Chald. צוּרְתָא *effigiata*, Syrus ܡܨܠܡܐ *sculpta*.

De solo valde dubitari posse video versu 27 capitis XIII Jobi, עַל שָׁרְשֵׁי רַגְלַי תִּתְחַקֶּה, quid enim hoc est, *radicibus pedum meorum figuras* (characteres) *insculpis?* Pleraque quae ibi habent interpretes, displicent: Clerici, *circumscribis pedes meos, ut nequeam extra ambitum procedere*, (quasi vero circumscribere et pingere eadem sint, lineisque ductis captivi detineantur) aut Schultensii, *statuta tua pedibus meis imprimis, i. e. humi projecto verbera sub plantis pedum infligi jubes*, quis probet? Ex veteribus ergo duo aliam plane notionem verbo dederunt, Vulgata, *considerasti*, Syrus ܐܬܒܩܝܬ, forte חקה idem putantes quod חכה, sed nec haec filo orationis apta. Consvetam retinuit Origenes, Hebraica in Hexaplis περιχαράττεις vertens, Chaldaeusque תִּרְשֵׁם.

Mihi quidem, si alia quaerenda significatio, ipsa se ultro offerre recepta Arabibus *ligandi* videtur, quibus حَقْوٌ est, *succinctorium, quo in balneis corpus revinciunt*, itemque, *locus corporis, ubi illa adstringuntur.* Verbum quidem ipsum حَقِيَ est, *doluit*, sed frequens Orientalibus, *vinciendi* verba ad dolorem transferre. Sic sententia erit: *pedibus meis circumligas catenam, quasi cippus custodiendo non sufficeret.* Quod si objicias, non plantis pedum injici catenas, promta responsio, *radices pedum*, non plantas esse, sed talos. Vide infra sub שׁרשׁ.

Sed video, multo etiam aptiorem, modo recte intelligatur, consvetum verbi significatum esse, atque adeo inter duo perquam verisimilia

lia ambigo. Id ante omnia תתחקה non active vertendum videri, *insculpis*, *figuras imprimis*, sed, cum reciprocum, *insculpis tibi*, hic aegre locum tueatur, ex prima vi conjugationis passive, *figura*, *nota*, *character imprimitur*. Jam ergo esse possit,

1) *plantis pedum meorum notae ac stigmata inuruntur*, ut in sceleratissimis fieri nebulonibus solet, quo, si vel aufugiant, cipposque et vincula rumpant, agnosci et prehendi possint. Egregie apta morbo Jobi imago: tumores et exulcerationes pedum in elephantiasi his infamiae notis comparabuntur.

2) Compedum et cipporum attritu pedes vinctorum exulcerari, atque si diuturna vincula, ita notari solent, ut deleri per omnem vitam vestigia catenarum nequeant: verte ergo, *cipporum vinculorumque attritu pedes mei crudescunt ac notantur*. Aliquid hujus explicationis jam alii viderunt a Schultensio citati: *cippi vinculorumque figuras pedibus imprimi* volentes: id vero solum non expediebant, quomodo radicibus, id vero est, plantis pedum imprimi possint, quas cippus non laedit, non magis quam calcei lignei, quibusque circumdari vincula non possunt. Sed omnia expedita, modo radices pedum, *talos* interpreteris, aut, quidquid *inter talos et genua* est: (Vide שׁרשׁ). Et haec explicatio historiae morbi aptissima: elephantiasis maxime talos adficit, in quibus foeda ulcera, et monstrosi tumores.

Hanc ergo non dubitans praefero versionem, *nota imprimitur*, dubius inter duplicem ejus quam vixdum proposui interpretationem, praeplacente tamen posteriore.

Ad hanc radicem et retulerim, sed mutatis punctis, יֻחַקּוּ *insculpantur*, Job. XIX, 23. sed masorethae ad חוק retulerunt, idem cum חקה significaturo, יֻחַקּוּ, nec obstrepo, cum 37 codices Kennicottianos adeo יוחקו habere videam.

חקק, חק, Pſ. CV, 10. מחקק Num. XXI, 18.

De radice חקק, cujus prima vis in *caedendo*, *incidendo*, pergit ad *ſcribendum*, *ſtatuendum*, *ſanciendum*, verum jam ab initio viderunt lexicographi. Duo modo ſunt, quae addere velim.

Pſ. CV, 10. ubi non de praeceptis, ſed promiſſionibus divinis ſermo, *promiſſum* firmatum et verum interpretari velim, ex notiſſimo Arabum حَقٌّ *veritas*, et حَقَّقَ *firmavit dictum: ſtare fecit Jacobo* לחק *in firmam promiſſionem.*

Num. XXI, 18. מְחֹקֵק nolim *legislatorem* intelligere, qui nihil ad fontes, (abſurda ſententia, *foderunt fontem principes cum legislatore baculis ſuis*, quaſi baculis fontem effodere poſſis!) ſed *portiones diſtribuentem*, ut denominativum a חק, *ſtatutum*, *demenſum*, *portio*, ſeu potius מְחֻקָּק paſſive, *ipſam portionem diſtributam.* Aqua novi fontis per portiones bibentibus in utres ſuos diſtribuenda. Sed vide plura, quae hic locum non habent, ſub משׂעבות *utres.*

חָקַר *ſcrutari.*

Scrutandi ſignificationem, indubiam illam quidem ac frequentem, nec Arabica lingua nec Syriaca habet, nec ulla dialectus orientalis, praeter Chaldaicam, forte non a matribus Chaldaeis acceptam, ſed a magiſtris, exque Hebraismo tralatitiam. Ab hac radice,

מחקרים Pſ. XCV, 4. *cuniculi foſſorum metalli.*

Nempe dei in poteſtate eſſe dicuntur מחקרי ארץ, ad literam, *ſcrutationes terrae.* Hae vero quae? Cuniculos intelligo alte in terram actos, quibus metalla inveſtigantur. Favet interpretationi ſequens membrum, ותועפות הרים לו *et labores montium* (metalli fodinae) *ſunt ipſius*, de quo vide ſub יעף.

חקר *contempsit.* Proverb. XXV, 28. XXVIII, 11.

Ea, quam dixi, ſcrutandi ſignificatio, et ad haec loca translata a lexicographis eſt et interpretibus, non ſine aliqua vi atque artificio, maxime c. XXVIII, 11. Non vacat jam, ea deſcribere et ad examen revocare quae tentarunt interpretes: ſufficit omnia perſpicua eſſe, atque adeo pulcra, collato Arabico حقر *contempſit.* Hinc vertes, ut a poſteriore loco Prov. XXVIII, 11. incipiam, *ſapiens ſibi videtur dives, ſed pauper prudens* יחקרנו *contemnit illum:* et c. XXV, 28. paulo aliter diviſis in voces literis, וְחֵקֶר כָּבוֹד מִכָּבוֹד *et contemnere honorem, ipſo majus honore eſt.* Vide verſionem germanicam, notasque ad illam.

Ad hanc contemnendi ſignificationem referendum quoque videtur,

חקרה *caſtellum invictum.*

In codice quidem Hebraico non occurrit, ſed eſt in hiſtoria Judaica celeberrimum. Caſtellum, quod Syri ſub Antiocho Epiphane in monte Sione aedificarunt, templo imminens, ejusque aditu Judaeos prohibens, Ἄκρα dicitur, 1 Maccab. I, 33. graeco forte nomine, quod Graeci condiderunt. Thalmudicis tamen et Rabbinis חַקְרָה ſcribitur, quod ipſum nomen *caſtellum invictum* denotat, *contemnens omnes oppugnantes*, fere ut Syri caſtellum invictum, ܡܪܘܕܐ, مارد, *rebelle* vocare ſolent. Caeterum haec arx Acra, temporibus Maccabaicis celeberrima, non ſita fuit in monte a ſeptentrione templi, qui nunc hoc nomine vocatur, errore ex figmento Joſephi orto, ſed in Sione monte, qui multo eſt Moria altior. Plura vide in notis ad 1 Macc. I, 33. pag. 30-34. Haec ipſa quoque pauca non ſcripſiſſem de nomine in ſacris literis non obvio, niſi me radix חקר eo deduxiſſet. Ignoſcant, ſi male factum illis videtur, lectores παρέργως.

חָרָא *merdam ejecit, cacavit.*

Verbum ex commentariis doctiorum ſatis notum, ſed in plerisque lexicis, etiam vel nuper editis, male omiſſum, nec tamen omnibus: habet enim, quem inſpicio, nec poſſum non laudare, Simonis. Omisſurus ergo prope eram, et ad illum remiſſurus, cum tamen ſit nonnihil addendum, plerorumque lexicographorum defectum ſarciam.

Habent ergo Arabes, et vero ſoli, خَرِيَ *depoſuit alvum* (mallem ob formam ſemipaſſivam per Kesre, *laxatus fuit alvo*) *cacavit*, tertia radicali א ex Hamza manifeſta, ſed ob praecedens Kesre ſemipaſſivorum in י mutata. Hinc خُرْءٌ *merda*, خَرْءُ كَلْب رُوم *ſtercus canis graeci*, i. e. *album graecum* (Vide Forskålii deſcriptionem animalium p. III. n. 3.) Verbum in Hebraicis non occurrit: ſed inde

חֲרָאִים *ſtercora*,

in Kethib 2 Reg. XVIII, 27. Jeſ. XXXVI, 12. his vocalibus inſtruenda חֲרָאֵיהֶם, pro quo mollius viſum צוֹאָתָם Judaei ſubſtituerunt.

חריונים *ſtercus columbarum*, 2 Reg. VI, 25. in Ctib. i. e. *cicer frixum*, ob ſimilitudinem ſtercoris columbarum ita dictum: de quo ita egit copioſe Bochartus in Hierozoico P. II. l. I. c. 7. ut nobis quidem otium, lectores ad eum ablegandi. Unum de ſcriptione monendum: cum Jod duplici חרייונים in duas voces diſpeſcendum videtur, ut habent XII codices Kennicottiani, legendumque חֲרֵי יוֹנִים Aleph tert. radic. ut Arabes in ipſo verbo faciunt, in Jod mutato; cum Jod unico, ut XXI Kennicottiani codices habent, חֲרְיוֹנִים efferendum. חַר, quod Simonis habet, non ſatis ad leges grammaticas fictum, tertia rad. א rariſſime prorſus excidente: habet tamen et unus Kennicotti codex (202) חר יונים.

מַחֲרָאוֹת 2 Reg. X, 27. *latrinae* idem Arabico مَخْرَأَةٌ *latrina.* Hic quoque Judaei, mollius ipsis visum מוצאות, ut Keri substituerunt. Syrus harmonice, ܒܝܬ ܡܚܪܝܐ, ex quo discimus, radicem et Syris eadem significatione usitatam fuisse, LXX. λυτρῶνα, Vulg. *latrinas;* anonymus, κυπρῶνα. (Solus Keri interpretatus est Chaldaeus, בֵּית מַפְּקַת אַנְשָׁא *domum ejectionis hominum*, dubium, quo sensu, utrum, quo merdam ejiciunt homines? an, in quam impuri e. g. leprosi ex civitate expelluntur? Prius praefero, namque et 2 Reg. XVIII, 27. Jes. XXXVI, 12. 27. ubi צואתם nil aliud esse potest, quam, stercora, Chaldaeus vertit, מַפְּקָתְהוֹן)

חרב *siccavit*, *bellum gessit*, *debellavit*, *vastavit*,

Non duplicem modo, ut plura verba Chet radicale habentia, significatum, sed et plures legentibus offert.

I) Frequentissimus apud Hebraeos est, et certus, *siccandi*, *exsiccandi*, sed reliquis linguis Orientalibus, si a Rabbinico-Chaldaica discesseris, ignotus: apud Hebraeos unde ortus, non liquet, ac vix conjectura suppetit. Generatim quidem de omni siccitate usurpatur, at ubi verbo יבש opponitur, minus significat: vide Genes. VIII, 13. 14. ubi decrescente diluvio, primo die mensis primi חרבו המים מעל הארץ *siccatur aqua a terra*, i. e. non amplius in terra restagnat, terra non mersa aqua est, sed exsistit, coenosa tamen, mensisque demum secundi vicesimo septimo die יבשה הארץ *exaruit terra.* Hinc et explicandum, quod in compositione utriusque verbi חרב praecedere, יבש sequi ut majus solet Job. XIV, 21. Jes. XIX, 5. נהר יחרב ויבש *fluvius exsiccatur* (coenoso tamen adhuc alveo) *et arescit.*

Voluerunt non pauci, ubi vastitatis notionem habet, hanc a siccitate siticulosorum poni desertorum. Dubito, primo quod ex propria signi-

ſignificatione non aridam ſiccitatem notat: deinde, ut infra docebitur, חרבות non tam deſerta ſunt, quam vaſtatarum urbium aediumve rudera.

II) حَرِب (Hharab) primitivum, quid ſignificaverit, plane non liquet, periit illud nobis, nec verbum habemus, niſi denominativum, a חֶרֶב حَرْب *gladius*, *bellum*, quod vide infra, ſub numero, 838. Hinc ortum, quod habent Arabum lexica, *acuit gladium*, *bellum geſſit*, *ſpoliavit*, ſeu, ut melius dixiſſent, *diripuit*: Syrorum, ܚܪܒ *bello vicit*, *expugnavit* urbem, nonnunquam et, quod cum expugnatione conjunctum ſolebat eſſe, *diripuit*, (Chreſt. Syr. pag. 73. ſeu chronici Edeſſeni anno 850. ܚܪܒ ܠܨܘܒܐ ܘܠܚܠܒ *expugnavit*, aut, *diripuit*, utrumque enim factum, *Soram et Aleppam*: p. 81. de Bagdada anno 1288 a Mogolis expugnata et per ſeptem dies direpta, ܚܪܒܘܗ̇ ܫܠܝܛܐ) *vaſtavit*, *occidit*, *excidit*.

Hinc apud Hebraeos *vaſtandi*, et *vaſtitatis* notiſſimam ſignificationem fluxiſſe arbitror, et quas infra adferam חרבות, *ruinas*.

Huc et referendum putem, ſed aliis inſtruendum vocalibus, Eliphazi dictum Job. V, 15. ויושע מֵחֶרֶב מפיהם *ſalvat victum*, ſeu debellatum, *ex ore illorum*: diſplicent enim puncta, מֵחֶרֶב, ex quibus manifeſta gradatione ſermonis, ſed deſcendente atque elumbi, haec prodit ſententia, *ſalvat a gladio*, *ex ore illorum*, *et ex manu potentis*, *pauperem*. Inverſo ordine dici oportuiſſet, *ex manu*, *ex rictu*, *a gladio*. — Itemque 2 Reg. III, 23. נֶחֶרְבוּ הַמְּלָכִים *praelium commiſerunt reges*: (quod ibi praecedit החרב tripliciter exponi poteſt, ſive, ut habent puncta הָחֳרֵב (in Hophal, ſed anomalice poſito Tſere) ſive in Niphal, הֵחָרֵב, utrumque, infinitivus in reduplicatione verbi: ſive, הֶחָרֶב, conſtructum cum praecedentibus, *ſanguis eſt praelii*.

Gla-

Gladius, unde nomen acceperit, quae prima vis verbi fuerit, ignorare me fassus sum: quod enim habet in lexico Simonis, *proprie cecidit, excidit*, mere est conjecturale, non certo linguarum orientalium usu firmatum, خرب *findere, perforare*, sub خ habent Arabes, non sub ح.

III) Haec ipsa radix حرب Arabibus aliquoties, solita literarum B et M permutatione, confusa cum חרם, *sacer, prohibitus fuit*, quod infra habebimus: hinc مِحْرَاب *gynaeconitis* Sur. II, 32. (idem quod alias حَرَم) *coenaculum*, a reliqua domo seclusum, *conclave regis, sanctior in templo locus.* Hac significatione verbum nuspiam in Hebraicis occurrit, sed notanda est, ob nomina derivata, forte hinc expedienda.

IV) خرب duplicem Arabibus significatum habet, 1) *deserti, inculti, vastandi, desolandi*, quem et in linguis Hebraica Syriacaque habemus, habuimusque jam supra num. II. 2) *findendi*, et *perforandi*, e. g. *aurem*, unde et خُرْب *foramen.* Acciditne, ut حرب et خرب idem significarent? Nihil certe hic novi, praeter *fissionis* notionem. Id unum notemus, ad hanc radicem et *siliquae* nomen Arabicum Syriacumque, خَرُّوب et ܚܪܘܒܐ, vel nostris notum botanicis, (*Charuba*) referendum, nescio, unde ducto nomine.

Vastandi notionem verbum Hebraicum saepissime habet, utrum ad hanc radicem, an ad حرب referendam? interrogari nolim.

חֶרֶב *gladius, bellum.*

Gladii significatio notissima, in qua mirum, et hoc et alia gladii nomina, ܣܝܦܐ, حَرْب, سَيْف, sub masculina terminatione generis esse aut feminini aut communis. Hoc unde? cum gladius vel maxime masculus sit?

A gladio et *bellum* dici, ex lexicographis melioribus notum, ut Exod. V, 3. Levit. XXVI, 6. Jerem. XIV, 12. 13. 15. 16. XLIII, 11. (*). Sed his multo insignius exemplum, Genes. XXXI, 26. *abegisti filias meas*, כשביות חרב *ut bello captas* (ubi ne possis quidem, *gladio captas*, vertere, gladio enim viros, non feminas captivas facimus) et, si mecum a punctis masorethicis secessionem facias, 2 Reg. III, 23. דם זה הֶחָרֶב *sanguis hic est praelii.* In secessione a punctis mecum consentiunt, sed nimis literaliter vertunt, LXX. *αἷμα τοῦτο τῆς ῥομφαίας*, Vulg. *sanguis gladii est.* His vero locis, aliisque illustrandis, notandum, Arabibus حَرْب simpliciter, atque ita ut ne construentes quidem cum aliis verbis de etymo cogitent, *bellum* esse, ut in fabula Locmanni decima, *inter aquilas et lepores aliquando* وَقَعَ حَرْبٌ *incidit bellum,* quod nemo sanae mentis verterit, *incidit gladius.* Alia exempla probantia receptae in lexica Arabica significationis حَرْب *bellum*, ex bibliorum versionibus dabit Castellus, in quibus pro מלחמה et *πόλεμος* ponitur.

חָרֵב et חָרְבָּה *loca vastata, ruinae, templum, mausoleum.*

Jam supra innui, nomen non deserta significare ab ariditate ita dicta, sed *vastata* bello loco, ruinas, rudera. Sic manifeste quidem de urbibus vastatis temploque ponitur, masculinum חָרֵב Jes. LXI, 4. femininum חָרְבָּה Levit. XXVI, 31. 33. Jes. XLIX, 19. LI, 3. LII, 9. Jerem. XXV, 5. XXVII, 17. XLIV, 2. XLIX, 13. Ezech. XXXV, 4. XXXVI,

(*) Haec quidem exempla, quod gratus fateor, ex Stockii lexico excerpsi. hunc enim evolvebam, quod est reliquis omnibus in colligendis significationum exemplis diligentior: sed mirari subiit, a viro tam diligente et haec adlata esse exempla, 2 Sam. XII, 10. Jes. I, 20. Ezech. XXI, 8. 9. 10. quibus locis propria gladii notio aptior. Ps. CXLIV, 10. dubiis adnumerari possit.

XXXVI, 10. quibus ex claris atque illuſtribus locis et reliqua interpretari fas eſt, niſi quid obſtet.

Notandae etiam phraſes, *reaedificare ruinas*, quam non uno verbo Hebraei exprimunt, Jeſ. XLIV, 26. חרבותיהם אקומם *ruinas earum reſurgere faciam*, LVIII, 12. בנו חרבות עולם *aedificabunt ruinas antiquas*, LXI, 4. bis in eodem verſu, בנו חרבות עולם et paulo poſt, חִדְּשׁוּ עָרֵי חֹרֶב *reſtaurabunt urbes vaſtatas*, Ezech. XXXVI, 10. 33. *habitatas faciam urbes* ונבנו החרבות *et reaedificabuntur ruinae*, Malach. I, 4. נבנה חרבות, Ezr. IX, 9. העמיד את חרבותיה *reſurgere facere ruinas ejus.*

Jam et intelliges Ezech. XIII, 4. in ruinis enim vulpes habitare amant, nec Pſ. CII, 7. כוס חרבות legens, avem quaeres deſertorum, ſed ruderum incolam.

Haec tamen ſignificatio vix ſufficit, uni loco, Job. III, 14. expediendo, ubi ex ſerie orationis de magnificis regum ſuperborum ſepulcris poni videtur, הבונים חֳרָבוֹת למו. Conjeceram olim: *qui aedificant rudera ſibi* in ſepulcrum, id eſt, qui ex ruderibus vaſtatarum urbium ſepulcra ſibi exſtruunt. Magnifice dictum, ſed nullum ejusmodi ſepulcri, tyranno et vaſtatore orbis terrarum digni, rerum uſpiam geſtarum hiſtoria habet: qua parte laborare audaciusculam interpretationem fateor. Poſſis forte tentare: *qui deſtructas ac vaſtatas urbes inſtaurant*: ſed id a filo orationis alienum, de ſepulcris enim, tutoque in illis cubili agi videtur.

Eckermannus in verſione Jobi Germanica, ſepulcra in rupem excavata intellexit, a خرب *perforare.* Non obſtrepo, multa in libro Jobi inveniens Aegyptia, in ſuperiore enim Aegypto alte per rupes adactae ambages ac labyrinthi ſepulcrorum. Diffido tamen: خرب eſt, *acu perforare*: num vero et, foramina per petras et ſaxa adigere?

 Hujus

Hujus significationis, lexicis ignotae, exempla expetierim, antequam adsentiri ausim. Nec video, quomodo sepulcra per rupes adacta et excavata *aedificari* dici possint: excavantur, effodiuntur, non aedificantur. Ergo nec haec mihi satis probatur sententia.

Hic quidem eam, quam sub verbo חרב tertio loco posui, significationem, a חרם (حرم) ortam, adsciscendam suspicor, ut sit, *qui aedificant sibi templa*, vel, *adyta*. Magnifica sepulcra, mausolea, templorum nomine dici possint: et vero pyramides, Pharaonum sepulcra, verissime adyta sunt, intus in medio aliquod adyton habentes, in quo regum corpora deposita. Id mihi jam verisimillimum: verterim ergo, *templa*, *mausolea*.

Subticere nolim conjecturam, cujus mihi, non quaerenti, in mentem venit. Scripseritne auctor libri per He הרבות? hocne sit idem, permutato et hic ב atque מ, Arabico هرم, quod est *pyramidum* nomen? Vertendumne: *qui aedificant pyramides sibi?* Puer sit, si quis obverterit, non ejus aetatis pyramides esse, sed multis post seculis, Davidis circiter tempore aedificare coeptas. Is quidem historicos non intellexerit, qui si pyramides ad Davidis tempora referunt, id volunt: circa Davidis tempora primam a Graecis mentionem fieri pyramidum, magnarum nempe, quae in miraculis numerantur, suntque historiae mentione dignae. Ante haec vero mundi miracula pyramides fuisse minores, quis dubitet? quis ita sit stupidus, ut credat, primam, quam condere tentabant pyramidem, ejus fuisse magnitudinis? Abdicavi tamen conjecturam, nullo eam codice firmante.

חרג *egressus est*, et חגר *claudicavit*. 2 Sam. XXII, 46. Ps. XVIII, 46.

Vix datur, alterum verbum ab altero, licet diversissima sint significatione, sejungere, quod supra p. 672. monere, atque lectores de

חגר interrogaturos, huc ablegare oblitus ſum. Utrumque aut bis aut ſemel obvium, magna lectionis varietate. 2 Sam. XXII, 46. in pleriſque legitur, ויחגרו ממסגרותיהם, (uno tamen codice, decimo nono Kennicotti, ſed perquam recenti, anno 1483 ſcripto, transpoſitis literis ויחרגו habente) contra in loco parallelo Pſ. XVIII, 46. ויחרגו, decem tamen Kennicottianis, et hic, ſive in textu ſive in margine, ויחגרו habentibus. Interpretes etiam antiqui has inter lectiones diviſi, ut non pauci a noſtris recedant editionibus.

Fuerunt, qui utrumque verbum unum eſſe putarent, metatheſi literarum altero ex altero orto, quod multos in commentarios multa in lexica fluxit: ſic jam aliqui, Kimchio in libro radicum memorati, ſic et Reuchlinus: male, ut mihi videtur, cum linguae Orientales cognatae חגר et חרג ſignificatione diverſa verba habeant. Nos ergo de utroque ſeorſim agemus.

I) חָגַר ex notiſſima Hebraeis ſignificatione, de qua ſupra quidquam dicere opus non duxi, eſt, *cingere*, *accingere*, unde חֲגוֹרָה *cingulum*. Reliquas dialectos ſi conferas, primam vim verbi in *ligando* eſſe, non ſuſpicaberis, ſed certum prope et exploratum habebis. Hinc Arabibus, cingendi notionem ſpecialem non habentibus, حَجَرَ *impedivit*, *prohibuit*, unde et aggerem lapideum obicemque aquae حِجْر atque حِجَار dicunt, indeque generatim omne ſaxum ac petram حِجْر, quae maxime uſu invaluit ſignificatio, multis et verbis et nominibus denominativis luxurians, ut تَحَجَّرَ *lapidavit*, أحجر *lapidoſa fuit terra* &c. Haec quidem nihil ad nos, de Pſ. XVIII, 46. anquirentes: dicendum tamen de illis duxi, ne toto hic coelo diſſidere ab Hebraeis Arabes videantur, aliamque omnino notionem verbo ſubjeciſſe.

At ab hoc ipso ligando Syri faciunt, ܚܓܝܪܐ *claudus*, proprie ligatus, ܚܓܪ *claudicavit*, atque alia, quae cupientem, additis etiam exemplis, Castelli et Schaafii lexicon docebit. Thalmudicis quoque חגר est, *claudicare*. Vide Buxtorfium. Sic equidem et hic חגר *claudicare* interpretor, unum monens, claudicare Hebraeos eum dicere, qui male rem gerit, interior et victus discedit: *claudicabunt ex claustris suis*, i. e. victi et humiles ex castellis suis prodibunt.

Nec pauci sunt ex veteribus, qui hanc claudicandi significationem viderunt: LXX. in psalmo ἐχώλαναν, exque illis vulgata, *claudicarunt*, quod in lexicon suum receperat Reuchlinus, male a recentioribus eliminatum; iidem in libro Samuelis σφαλοῦσιν ἐκ τῶν συγκλεισμῶν αὐτῶν, *labentur ob vincula sua*, quibus in eundo impediuntur, Syrus utrobique harmonice ܢܚܓܪܘܢ. Primus adeo lexicographorum praeivit Kimchius, sed מסגרות vincula intelligens: *vacillabunt in vinculis suis*, *nempe*, *ob gravitatem et pondus vinculorum vacillabunt*. Sed diu ante illum, Raschio ad psalmos citatus, R. *Dunes* ita senserat, Chaldaicumque חגירא, *claudicatio*, contulerat.

II) חרג. Duplicem hic linguae Orientales, pro diversitate adpellationis primae radicalis, حرج et خرج interpretationem offerunt, utramque veri perquam similem, siloque orationis aptam, ita tamen, ut, si מסגרות, quod ipsum anceps est, *claustra*, *castella*, vertas, prior, sin, ut alii, *compedes*, *vincula*, posterior sit paulo verisimilior, alterique palmam praeripiat. Nempe

1) Arabicae linguae vel mediocriter, atque a primis initiis, ex ipsis adeo, quas tirones legere solent, Locmani fabulis perito, non potest non in mentem venire Arabici خرج *egressus est*, quod et ego in versione germanica sequutus sum: *filii peregrini populi ut*

poma

poma matura et marcescentia defluunt, ויחרגו ממסגרותיהם *egredienturque ex castellis suis*, id est, *deditionem facient*, hanc enim qui faciunt, *egredi ex urbe* vel *castello* Orientalibus dicuntur, qua de phrasi vide infra sub יצא dicenda. Munimentum expugnatu facile, pomo maturo comparabitur, sua sponte ex arbore deciduo.

Ex antiquis nemo hac tam obvia interpretatione usus, praeter solum Chaldaeum, qui in psalmis, יטלטלון מן בירנתהון, *migrabunt*, vel, *ejicientur ex castellis suis*. Nec ea usi lexicographi plerique, ne excepto quidem, qui reliquis omnibus et doctior fuit et perspicacior, Castello. Eo magis laudandus Simonis, qui lexico suo, forte primus, intulit.

2) حَرِجَ per Hha, intransitive est, *arctus*, *angustus fuit*, in secunda حَرَّجَ et quarta أَحْرَجَ *arctavit*, *in angustias redegit*, unde حَرَجٌ *angustia*, Muhammedi, *difficilia et molesta praecepta religionis*, quasi diceres, *coarctationes* Sur. XXII, 77. Hinc et Chaldaeis חרגא, ut vertere lexicographi solent, *horror*, *timor*, *trepidatio*, seu potius magis proprie, *angustia*, e. g. pro אימה Deut. XXXII, 25. חַרְגַּת מוֹתָא *timor mortis*, et pro מות Thren. I, 20. חרגת כפנא *angustia famis*.

Ex hac equidem significatione si mihi locus cantici nobilissimi explicandus, verterem, *filii peregrini populi marcescunt et coarctantur vinculis suis*, in vinculis consenescunt et tabescunt.

Non plane eodem modo veteres et lexicographi, sed hac ipsa tamen notione, a Chaldaeis tralatitia, plures, Arabicarum quidem literarum imperiti, usi sunt. Hieronymus utrobique, sed quod in libris Samuelis et Vulgatae intulit: *contrahentur in angustiis suis*. (Contrahi pro coarctari dixit.) – – Kimchius in radicum libro, ver-

vertit, ויפחדו *trepidabunt*, ipsum adferens Thalmudicorum usum — Coccejus eodem modo vertit, sed, eheu quam degener! alienissimum verbum חרד confert, Chaldaica tamen, Kimchio debita, addens. — — Nec subticendus, qui pro hac versione adferri potest, locus Michae parallelus, VII, 17. ירגזו ממסגרותיהם, ibi tamen paulo vertendus aliter, *trepidabunt ex castellis suis*, i. e. trepidi egredientur, quomodo et recentiorum non pauci יחרגו in psalmo acceperunt.

Liceat, cum copiosius de verbo dicendum fuerit, et reliquos veterum addere, de quibus non plane liquet, ad quam classem referendi sint.

1) Symmachus in psalmo, ἐντραπήσονται. Crediderim eum ad Chaldaicum חרג, *timuit*, retulisse.

2) Chaldaeus in libro Samuelis, יזועון מן בירניתהון *commovebuntur ex castellis suis*. Hocne est, ut fere Judaei volunt, *intremiscent*, a Chald. חרג? an, *ejicientur*, a خرج?

חרגל *locusta nondum alata, post tertias cutis exsuvias.*
Levit. XI, 22.

Ex serie orationis, de qua plura sub ארבה dicam, *locusta tertiae aetatis*, id vero est, cum quinque aetates locusta habeat, omissa prima ante primas exsuvias qua vix vermiculus est, *locusta post tertias cutis exsuvias, nondum alata*, (alas enim post quartas exsuvias accipit, חגב dicta).

Notum fuisse videtur in toto Oriente vocabulum, quippe quod Onkelos, Syrus, amboque Arabes in versione servant: Samaritanus, una demta litera, sed tamen harmonice, הרולה vocat.

Habent Arabum lexicographi, et quidem sub duplici forma,

1) حُرْجُل *agmen equorum*, et, *locustarum*. Nempe solent Arabes equis locustas comparare, cum ob saltum, tum vel maxime ob

ob capitis similitudinem. Hinc et verbum faciunt, حرجل *saltitavit cum contumacia et alacritate.* Vide Giggeium.

2) aliqua mutatione ultimae radicalis, حُرْجُوَان *locustarum genus impenne*, ἀσίρακος Dioscoridi, II, 57. De nomine Ἀσίρακος egit Bochartus, P. II. Hieroz. p. 450. ex Dioscoride narrans, locustae speciem esse, circa Leptim Africae, sine pennis, magnis cruribus, *quae incolarum patrio sermone, (id est, Punice)*, ἀσίρακος *vocatur.* Hoc quidem, quod de Africano nomine tradidit, non habet Dioscorides: Dioscoridis sententiis suas inseruit attexuitque Bochartus. Habe ipsius Dioscoridis verba, libr. II, c. 57. ἡ δὲ λεγομένη ἀκρὶς, ἀσίρακος, ἢ ὄνος, ἄπτερός ἐστι καὶ μεγαλύκωλος (*) *illa locusta, quae Asiracos et Onos* (asinus) *vocatur, sine pennis est, sed magnis cruribus.* Est ergo, *locusta, nondum alata, maxima tamen, majoresque jam pedes habens*, cum proprie sic dictos, tum duos saltatorios. Thalmudicum אסקרא, et Syriacum ܐܣܩܪܐ, quod ex *Thoma a Novaria* adfert Bochartus, ex Graeco ortum, ut Syriaca innumera, nec, ut ille audacter, ac ne conjicit quidem sed plane confingit, nihil ejusmodi habentem testem citans Dioscoridem, Punicum est Africanumve.

Ὀφιομάχην LXX. et Vulg. interpretantur, i. e. majores locustas, nempe ut p. 459. ex Aristotele docuit Bochartus, majores locustas serpentes necare posse dicuntur.

De

(*) Quod sequitur, πρόσφατος, editores cum praecedentibus construxerunt, verteruntque, *grandioribus membris dum recens est*, quasi vero deinde minora membra, vel potius crura, nancisceretur. Mallem ad sequentia referre, (omisso δε) πρόσφατος ξηρανθεῖσα, *eum recens exsiccatur, scorpionis morsui medetur.*

De etymo nominis nihil certi habeo, Samaritanis tamen cum vocetur, רגולה, *pedestris*, dici *pedestrem* locustam puto, quae humi adhuc procedit, oppositam alatae: quadriliterum חרגל ex hoc ipso vocabulo et خرج *egressus est*, compositum. Egressa dicitur locusta, quae exsuit cutem, et חרגל ex etymo, *pedestris post* (tertias) *exuvias locusta.* Video et aliud nomen locustae quadriliterum ex eodem חרג componere Samaritanos, quae enim Hebraeis חָגָב est (num. 666.) ea Samaritano interpreti, חרגב.

De Andreae Norrelii, *gallum gallinaceum* interpretati, (quasi vero ille ad insecta pertineat) somnio, hic non ago, sufficiat, de illo retulisse. Vide ejus *diatriben de avibus esu licitis*, *Upsal.* 1746. pag. 46. Quo de somnio sententia si dicenda, servo nomini ultimo ארבה, sub prima rad. ר quaerendo. Πρῶτον ψεῦδος, quod veri illi dissimile visum, locustis quemquam vesci, satis refutatum ab ejus cive, teste locustarum in cibo usitatarum αὐτόπτῃ, *Hasselquisto.*

חרד *tremuit*, *timuit*.

Hoc quidem verbum, cujus veram significationem quis est lexicographorum interpretumve qui non viderit? silere potuissem, debuissem, maluissem, nisi in Zacharia, c. II, 4. novam illi et inauditam vim ex lingua, ut putabat Arabica, sed re vera ex lexicis Arabicis male intellectis, (contra omnem adeo rei naturam, ut vix serio rem agi putes posse, virgines castas a perforando dici ratus,) S. R. *Joannes Henricus Verschuir* invenisset, in dissertatione *de quatuor cornibus et fabris Zachariae*, hunc locum illustratura, octava earum, quae anno 1773. Leovardiae et Franequerae junctim, sub titulo, *dissertationes philologico-exegeticae*, prodierunt: quod quidem mihi novum sed suspectum εὕρημα necessitatem imponit, de verbo notissimo agendi, il-

ludque

ludque cum Arabico conferendi, ac denique, si quid punctorum culpa in loco Zachariae obscuritatis, si possim, suppetias ferendi.

Arabibus quidem duplex cum verbum sit, cui sub hac litera jam adsvevimus copiae aliquando molestae, حرد et خرد (*Hharad*, et, *Charad*), Hebraicum חרד *tremere, timere*, sub خرد habent, sed adstrictiore plerumque in bonam partem, ac molliore notione, *verecundus fuit* unde خارد *silens per verecundiam*, et خَرِيد، خَرِيدَة *virgo intacta*, a verecundia sic dicta, indeque et *margarita virgo*, id est, *non perforata*. Solent nempe Arabes, margaritam, qualis a natura est, et antequam perforetur, filo innectenda, virginem dicere, quae ei virginitas perforatione perit. Haec vero in lexicis legens Verschuirius, nec quid sibi vellet *margarita virgo*, assequens, mire commentus est, primam vim verbi in perforatione esse, a perforando virgines dici. Atqui in ipsis legebatur lexicos, *margarita NON perforata*, licet non negem, et latius aliquando pro omni margarita nomen poni.

Sed hoc pulcrum εὕρημα magis confirmaturus, et alterum adscivit verbum حرد (quasi vero utrumque, sono et significatione discors, idem esset!) ut et de eo dicere necesse sit حرد multa quidem significat, quorum ad unum fontem derivatio paulo difficilior: *propositum sibi habere*, *irasci* &c. sed haec nihil jam ad nos de Hebraico חרד anquirentes. At et est denominativum ab aliquo, quod deinde indicabimus nomine *tendinis pedum*, ut, Golii quintum, *laxum habuit anterioris pedis tendinem*, nomenque أَحْرَدُ *tendinem anterioris pedis laxum habens camelus*. Quae cum ita sint, inque Giggeji lexico pag. 902. Verschuirius inveniret, حَرَدَهُ *illud perforavit*, hoc *perforavit* solum arripuit, lexico credidit, nullo exemplo addito, cum caeteris ipsius verbi Arabici significationibus plane non connexum, suum fecit, atque inde, perforationem, a qua virginem dici putabat, confirmavit.

 Haec

Haec quis Giggejum, eum ipſum quem citat Verſchuirius, inſpiciens, non damnet? quis non aeque, ut virginem perforatam repudiet? Evolve ipſius Giggeji lexicon, Goliano in nonnullis diſtinctius, invenies, ut ordine aliquo et ſerie etymologica diſpertior: أَخْرَبُ *nervus, qui eſt ad nodum pedis* (nervus Achilleus) indeque دابّة حرباء *jumentum ejusmodi nervum habens*, خَرَن *morbus in pedibus poſterioribus cameli, aut in prioribus, vel, cum areſcunt nervi pedis alterius, ita ut aegre incedat nec pedem poſſit extendere. Cum CHORDAE* (majoribus literis ſcribi facio, ut vel auribus judices, unde orta ſignificatio, a reliquis Arabicis plane abhorrens) *pars altera longior eſt*, خَرِنَ ٱلْإِبِلُ *camelus morbo pedum laboravit, nervis aridis pedum fuit*. أَخْرَنُ *camelus hujusmodi*. Jam cum eodem in lexico primo ſtatim loco invenias, خَرَنَهُ non, *perforavit*, ſed, *perforavit illud*, quid quaeſo exiſtimes *illud*, quod perforavit? Utinam vel unicum exemplum adjeciſſet lexicographus! aut ipſum Camuſi lexicon inſpicere daretur! Vel ſic tamen prope certum, eſſe, *perforare pedem juxta tendinem Achillis*, ut victor in Hectore victo feciſſe dicitur Achilles), inque mactatis animalibus laniones facere ſolent, trajectas carnes loro, aut ex unco, ſuſpenſuri. Suſpicor adeo, خربك cum ſuis derivatis, exoticum eſſe ex χορδή: ſed exemplis carens, vocabulumque cum derivatis ex ſolis cognitum habens lexicis, nihil definire auſim.

Ne Zachariae quidem loco apta perforandi haec nova ſignificatio. Quatuor, ut volunt, fabri, veniunt, ſuppetias laturi contra quatuor cornua: quid ergo facient? perforabantne cornua? cui uſui? quidni potius, aut frangant? aut obtundant malleis? Forte ergo melius Syriacum ܚܪܟ *fricare*, conferri potuiſſet, ſi modo verum eſt, quod ex

Bar-

Barbahlul nullo addito exemplo habet Castellus, ܚܪܙ fricavit, scabit, scalpsit. Sed nec hoc in verisimilibus habeo.

Quid ergo, inquies, loco Zachariae faciendum? certe enim parum placent *fabri, cornua terrentes?* In versione equidem Germanica mutatis vocalibus חֹרְשִׁים *aratores*, tentavi, hac imagine: ferociunt per agrum quatuor cornua, duorum nempe boum, tam alto in gramine pascentium, ut sola prope cornua emineant; adventant quatuor aratores, eosque terrent, nempe visis dominis, a quibus aratro adligari consveverunt, timent, ac ferocire desinunt. Sic החריד ex notissima significatione, deterrere. Vide et bibliothecam Orientalem T. VI. p. 62–64.

Caeterum Arabici حرس, Syriacique ܚܪܙ significationes varias ac diversissimas, hic non attingo, cum quod nihil illas ad Hebraicum verbum facere reor, tum, quod eorum concordiam conciliare supra meas vires esse intelligo.

חרה, חרה אף, *contristatus est*, התחרה *contendit cum aliquo.* Jerem. XII, 5. XXII, 15.

חָרָה esse, *exarsit*, חרה אף *exarsit ira*, seu, ut alii malunt, *nasus*, indeque חרה לו *iratus fuit*, satis notum vel tironibus. At quatuor locis LXX. λυπηθῆναι *contristari* vertunt, Genes. IV, 5. Jonae IV, 5. 10. Neh. V, 6. recte, an secus, jam non disputo: id unum profiteor, duobus locis 2 Sam. VI, 8. 1 Paral. XIII, 11. *tristitiae* notionem melius, quam *irae* convenire. Irascaturne David, Deo Uzzam repentina morte abripiente? indigneturne? cui irascatur? Deo? Hic ergo vertere malim, *contristatus fuit David ob stragem Uzzae.* Sunt ira et tristitia ita cognati adfectus, ut soleant non una in lingua in verbis etiam haec pro illa poni. Sic, ut exemplo utar ex lin-

güis Orientalibus petito, עצב *dolorem* Hebraeis denotat, غضب Arabibus *iram*.

Monstra verborum sunt ex punctis masorethicis, Jerem. XII, 5. תִּתְחָרֶה et XXII, 15. מְתַחְרֶה in quibus mirum quid punctorum vocalium auctoritati addicti, cum interpretes, tum lexicographi, et viderint, et non viderint ultro se offerens.

Syris a חרה exarsit ܐܬܚܪܝ est, *iratus fuit, litigavit, contendit*, unde et aemulationem dicunt. Sic et verbum Hebraicum sine dubio ponitur Ps. XXXVII, 8. *remitte ab ira*, *desiste ab iracundia*, אַל תִּתְחַר *noli irasci*, vel etiam, *invidere* felicibus impiis. LXX. μὴ παραζήλου, in quo eos Syrus quoque sequitur. Jam ergo et Jerem. XII, 5. post haec, *si cum peditibus currens defatigaris*, sic perge, his punctis, hac versione, וְאֵיךְ תִּתְחָרֶה את הסוסים *quomodo contendes cum equis?* Haec vel nemine praeeunte confidenter dicere possem, lingua Syriaca et filo orationis auctoribus: verum et haec ipsa, quae literis subjicio, puncta, praeivit codex Regiomontanus secundus, teste, qui illum descripsit excerpsitque Lilienthalio, ac praeterea, Syrus, eodem adeo verbo usus, ܘܐܝܟܢܐ ܡܬܚܪܐ ܐܢܬ ܥܡ ܪ̈ܟܫܐ Vulgata, *quomodo contendere poteris cum equis*, Chaldaeus, לְמִרְהַט כְּלְקֳבֵל סוּסְוָתָא *currere e regione equorum*.

Jerem. XXII, 15. iterum puncta mutanda, כי אתה מִתְחָרֶה בארז vertendumque, *quod contendis cum cedro*. Cedri nomine, magnum regem, Josiam intelligo, hac sententia: *superare vis patrem tuum*, *atque*, *humilis spina*, *cedro te aequas*. Et hic praeivit ex veteribus, Aquila, ἁμιλλῶσαι πρὸς τὴν κέδρον, *certas cum cedro*, Vulgata, *confers te cedro*, Chaldaeus, *putasne te fortiorem rege priore*, *patre tuo?* Credo et Syrum olim sic harmonice et recte vertisse, ܡܬܚܪܐ ܒܐܪܙܐ

ܚܳܐܪܙܐ *contendis cum cedro*, ſed in bibliis polyglottis, punctorum diacriticorum aberratione, prave legitur: ܡܚܕܐ ܐܢܬ ܚܳܐܪܙܐ *exhilaras cedro*, nec id editoris errore, aut recente, ſed perantiquo, ipſe enim adeo Ephraemus Syrus in commentario verba de domo cedrina *in qua laetetur* rex peſſimus accepit.

חרט, verbum, et חֶרֶט *ſtilus? artificium? tornatura.*

Antequam de חֶרֶט, bis in ſacris literis obvio, Exod. XXXII, 4. Jeſ. VIII, 1. agi recte poſſit, aliquid de verbo חרט, Hebraicis libris ignoto praemittendum.

Arabibus خرط duo maxime ſonat, *decorticare*, et *tornare*, quorum illud mihi prius videtur, hac ſignificationum ſerie 1) *decorticare*, *exſuere*, unde et eſt, *ſtringente manu nudavit foliis*, et in octava اخترط *e vagina eduxit enſem* مخترط *ſerpens quotannis ſenectam mutans* (nempe, ut Virgilii verbis dicam, *poſitis novus exſuviis*, *nitidusque juventa*, exſuviis enim poſitis rejuveneſcunt ſerpentes,) et Avicennae, خراطة *raſura inteſtinorum in dyſenteria*, cum ſuis derivatis. 2) a decorticando dicitur, *tornare*, a tornando, *tornata*, ea maxime, quae coni figuram habent, quem ipſum conum مخروط adpellant. – – Syris eſt, *incidit* (media longa) *ſcalpſit*, *ſtigmate notavit*, (forte hoc denominativum a ſtilo acuto) *laceravit*, unde et ܡܚܘܪܛܐ pro ſtigmate poſitum, Lev. XIX, 28. XXI, 5. verbum ad *lacerationem* quoque et *compunctionem* cordis, Chaldaeis transferentibus. – – Samaritani non niſi nomen habent, quod idem illis Arabico قالب *forma*, *exemplum*, *ad quod aliquid effingitur*.

Jam חֶרֶט in noſtris fere lexicis *ſtilus* (ſcribentis et delineantis) verti ſolet: apte ſane utrique loco, in Moſe enim ויצר בחרט, erit, *delineavit* (formam vituli fundendi) *ſtilo*, inque Jeſaia, inſcribe tabulis

lis lapideis *ſtilo hominis*, i. e. ſcriptura vulgari, ſtilo pro ductibus quos eo ſcribimus, poſito. Praeiverunt ex antiquis, LXX. utrobique, ἐν γραφίδι, Vulgata in Jeſaia, *ſtilo*, forte et in Exodo Samaritanus, מרכה, quod Caſtellus veri perquam ſimiliter ad ركب *concinnavit* refert. De Chaldaico זיפא in Exodo, quod ipſum quoque ex Raſchio ſtilum vertunt, (זיוף *inſtrumentum* ſic ille, *artificum, per quod exarant in auro literas et ſigna, Gallice NIEL*), nihil certi compertum habeo. Nec etymo ſtilus deſtituitur, poſſit enim dici ſive, a *ſcalpendo* et incidendo, id eſt, *acuendo*, ſive a coni acuti figura, in quam deſinit. In Jeſaia *ſtilum* pro *ſcriptura* poni, quae eo effingitur, jam diximus: id quoque praeiverunt, Syrus et Chaldaeus, בִּכְתָב, ܒܟܬܒܐ.

Nec tamen haec interpretatio unica veriſimilis, ſed et alias habent veteres examine dignas. Neque ad has refero, quod Exod. 32. non pauci recentiorum חרט idem eſſe voluerunt, quod חריט, *marſupium*, de quo deinceps; *conſtrinxit aurum in marſupio*: nempe quod conſtringere, ſtilo non competere putarent, aliter ſenſuri, ſi ſciviſſent צור et *formandi* ſignificatum habere. Nec ad veriſimilia refero, quod in Exodo habet Vulgata, *opere fuſorio*, nullo linguarum orientalium uſu, nullo etymo. At in Exodo non pauci fuerunt, qui *formam* ſeu *exemplum* operis ligneum, ad quod bos aureus fundendus, intelligerent, quod ipſum recte a tornando dici potuerit, eſtque filo orationis egregie aptum: *formavit formam ligneam, fecitque eam vitulum fuſilem.* (*Er machte ein Modell, und goſs dieſes ab*). Sic Syrus, ܛܘܦܣܐ (typum) atque Rabbinorum aliqui, ut monuit Kimchius, טיפוס, Arabs uterque قالب, *formam.* Supra monitum ex Caſtello, Samaritanis חרטה idem ſignificare, exemplum adferente: *deus creavit omnia*, בלה חרט *nulla forma vel exemplo.* In hoc quidem loco *formam* praeplacere mihi prae ſtilo non diffiteor.

Caeter-

Caeterum חרט אנוש *ſtilum,* ſeu *ſcripturam hominis* Jeſ. VIII, 4. intelligo, ſcripturam communem et notam, ſacrae, hieroglyphicaeque oppoſitam. Partem interpretationis Chaldaeus et Kimchius in lexico praeivit. Ex Lowthi ſententia, חרט אנש *ſtilus viri,* opponitur, חריט אשה ſeu ut aliqui codices ſine Jod habeant, חרט, ornamento feminarum, de quo paulo poſt agemus. Id mihi veri non ſimile, primo, quod ſic non חרט אנוש dicendum fuiſſet, ſed חרט איש, deinde, quod in plerisque certe exemplis utrumque nomen ipſa ſatis ſcriptione diſtinguitur, denique res ipſa jam clamat, ubi literae in lapides inſculpendae, non de ornamento feminarum ſermonem eſſe poſſe. – – Judaeorum aliqua indecora malim in Vitringae commentario quam hic legi.

חריט 2 Reg. V, 23. Jeſ. III, 22. *loculus, coni forma, ex metallo.*

Ad ſolum ablego Schröderum, de ornatu mulierum Hebraicarum, qui c. XVII. copioſe de vocabulo, ante ipſum dubio egit: diviſi enim plerumque lexicographi inter, *acus (crinales)*, a Reuchlino inde ex Vulgata tralatitias, et *loculos argenti,* filo orationis 2 Reg. V, 23. unice aptos, quos Kimchius in lexico habebat, addens, Arabicum nomen idem ſignificare. Fraudi forte fuit veriſſimae ſententiae, quod ipſe linguae Arabicae imperitus, quae a patre, Joſepho Kimchio, ejus perito, audierat, cum aliquo errore retulit: *ſic et ſacculus Arabice dicitur* כרטה, *eſt autem Chet in Arabico Caph.* Jam ſub كرطة nihil ejusmodi inveniebant lexica evolventes, nec ſibi perſvadebant, כ et ח permutari. At خ Arabum Hebraicis literis ſcribentes Judaei per כ exprimunt, idque et pater Kimchii fecerat. Vide gramm. Arab. p. 51. 52.

Lecto autem Schrödero non amplius dubitatum iri prope confido, qui docuit, a خرط *tornare,* primo *conum* dici, deinde loculos, in

quibus argentum gestatur, qui coni figuram habere solebant. In rei summa 2 Reg. V. consentiunt LXX. *θυλακίοις*, Vulg. *saccis*. Unum monuerim, hos loculos vix ex lino solo confici potuisse, cum ob formam conicam, tum, quod sacculum linteum rumpi necesse est, si, ut fieri 2 Reg. V. legimus, talentum argenti ei infundas: ex metallo potius, aere, aut ubi ornamenta sunt mulierum, argento auro, factos hos conos arbitror, ita tamen, ut conus lino obductus esset, possetque ea parte qua angustior fit, vinculo constringi. Vide Chardin, T. IV. itinerarii Persici, p. 204. *les sacs d'argent sont faits de cuir, longs et étroits.*

חרטם *ἱερογραμματεύς.*

Non occurrit, nisi in Mosis libris, et Daniele, cum Hebraico tum Chaldaico: in illis quidem, Genes. XLI, 8. 24. de sapientibus Aegypti quos somnii interpretes consulit Pharao, atque Exod. VII. VIII. IX. de philosophis Aegyptiorum, naturae ut videtur peritissimis, miracula Mosis arte imitantibus, ut demonstrent, non divina ea esse, non vera miracula: in Daniele, c. I, 20. II, 2. 10. 27. IV, 4. 6. V, 11. Quibus ex locis hoc quidem liquere arbitror, חרטמים *magos* non esse, ut fere creditur, nec deteriore vocabuli sensu, quo veneficum, incantatorem notat, nec Persico. Sed haec clarius dicam; consvetumque errorem refellere conabor.

Veneficos non esse, non incantatores, qui daemonis ope miracula faciunt, vel ex capitibus Exod. VII. VIII. IX. liquet: ut enim taceam, neminem mediocriter, non dicam philosophum, sed prudentem virum, sibi persvasurum, daemonis ope ea effici posse, quae Chartummaei ibi faciunt; manifestum, eos miracula Mosis hoc fine imitari, ut ostendant, eum a Deo missum non esse, i. e. non vera ab eo patrari miracula, vires naturae superantia; quod qui faciunt, illi non daemonum opem supernaturalem, sed naturae peritiam profitentur, ma-

giae,

giae, ut aliqui dicunt, naturalis, nostrarum scholarum phrasi, *physicae experimentalis.* Ipsi adeo aliquod ex miraculis Mosis imitari non valentes, fatentur, *opus hoc Dei esse*, Exod. VIII, 15. quod qui dicunt, omnia ea, quae ante fecerant, non vi supernaturali, sed naturae peritia facta dicunt. Addiderim, Danielem רב חרטמיא esse, Dan. IV, 6. V, 11. quem nolim veneficorum sociorumque diaboli praesidem fuisse: quamquam hoc argumento non ut certo utor, cum alias ob caussas, tum quod possint capita Danielis III. IV. et V. reliquum librum recipienti suspecta videri aut spuria.

Nec Persico significatu accipiendum reor, quo Persarum philosophi, naturae etiam peritiam professi, secta Zerduschtiani, proprio et vernaculo gentis vocabulo *magi* dicuntur. In Mose quis Aegyptiorum Chartummaeos legens, diu antequam Persarum nomen, angustis finibus clausorum, in Asia auditum esset, diu ante Zerduschtum, quicunque sit, quo tempore gens Persarum non ignobilis solum, sed et barbara erat, de Persarum magis cogitet?

Egit de חרטמים insigni eruditionis copia Millius in *dissertationum selectarum* (Lugd. Bat. 1743.) decima tertia, aliorum errata, partim et derivationum portenta colligendo otium mihi faciens, verissimamque dixit sententiam, חרטמים ἱερογραμματέας Aegyptiorum esse, i. e. scripturae hieroglyphicae atque eruditionis universae peritos. Magnam adfert Numenii auctoritatem, ex Eusebii libr. IX. c. 8. praeparationis evangelicae, ipsa verba excerpentis: de Janne et Jambre loquitur, Mosi resistentibus, sed ab eo victis, hi ergo, sine dubio ex חרטמים, sunt Numenio, Αἰγύπτιοι ἱερογραμματεῖς.

Quod ipsum nomen ut intelligamus, sciamus, (pluribus id disputavit Jablonskius in prolegomenis Panthei Aegypti) sacerdotes Aegyptiorum in tres divisos ordines fuisse: primi erant, προφῆται, post hos

ἱερογραμματεῖς, *facrae fcripturae periti*, tertii, νεωκόροι, *templorum cuſtodes*. Ἱερογραμματέων erat peritia fcripturae hieroglyphicae, qua, cum omnis arcana contineretur, vulgique oculis fubtraheretur, doctrina Aegyptiorum, theologia arcana, philofophia, phyfica, experimentalis maxime, hiftoria, mathefis quoque et geographia, manifeftum, quidquid erat eruditionis arcanae, totum illud hujus fecundi ordinis fuiffe facerdotum. Ergo, fi quaereretur, miracula quae Mofes patrabat, fuperentne vires naturae, hi interrogandi erant, videnturque phyficae experimentalis curiofi, quam magiam naturalem aliqui dicunt, ac perquam fuiffe periti, ut multarum certe rerum deperditam poftea, ac nunc demum refurgentem fcientiam, antiquiori orbi non equidem abjudicaverim: fomnii, pro divino habiti, interpretationem rex fi cuperet, quem potius confuleret, quam arcanae fcripturae peritos, fperans, illis imaginibus numen fomnia immittens ufurum fuiffe, quas hieroglyphica habebat difciplina?

Unum mirari poffis, fub Nabochodonofare Babylonem habere ἱερογραμματέας, hieroglyphicae Aegyptiorum difciplinae peritos. Quo hi Babylonem modo devenerunt? Sed meminerimus, fecundum Danielis caput, fomniumque magni regis, in annum poft devictam Aegyptum, expeditionemque ad columnas usque Herculeas, incidere, (vide notas ad illud germanicas): potuerit ergo victor, literarum, ut vel ex primo Danielis capite liquet, atque eruditionis amator, ex Aegypto quoque ἱερογραμματέας deportare, atque et victas fuae regiae inferre doctrinae opes, plane ut verius antiquo calendarium ex victa Aegypto Romae Julius attulit Caefar. Quod capitis primi verfu 20 memorantur, non ad prima Nabochodonofaris Danielisque tempora, fed ad totum ejus regnum referendum videtur. Quae nifi fatisfaciant, diftinguendi erunt Mofis חרטמים, *Aegyptii*, et Danielis, qui poffent magi Perfici boreali nomine dicti haberi.

Etymo-

Etymologias aliorum ac ſuam attulit Millius, pleraſque parum veriſimiles: liceat et meam mihi adferre. Idem ex etymo ſignificare nomen videtur, quod Graecum ἱερογραμματεύς, utrumque verſio Aegyptii nominis ac vernaculi, Hebraicum quidem compoſitum, ut reor, ex חרט *ſtilus* (ſcriptorius) et חרם, *ſacrum*, *arcanum*, quod ſuo loco quaere.

Poſt hanc derivationem una omnium veriſimillima ea, quae magnis viris placuit, ipſique adeo *Caſtello*, et *Hydio*, de religione Perſarum (p. 337. vel ſecundae editionis 379.) referens ad Perſicum خردمند *Chardamand*, ſapiens, a خرد *intellectus* et مند *praeditus*, *intellectu praeditus*: vide Caſtelli lex. Perſ. p. 233. 234. 513. Mirari hanc meam in concedendo etymo Perſico facilitatem poſſis, eorum recordatus, quae ſupra de magis Perſarum in Moſis Aegypto neutiquam quaerendis dixi. At enimvero quam nos Perſicam linguam dicimus, ea non videtur propriae ſic dictae Perſiae, minutulae regionis a Cyro nobilitatae, fuiſſe, ſed borealis late patentis Perſici imperii, forte Medorum: a ſeptentrione advenae patriarchae Hebraeorum potuerint et aliqua barbara vocabula vicinarum antea gentium, male ut fieri ſolet adpellata, linguae ſuae intuliſſe, inque his et, *Chardamand, praeditus ſcientia*, mutatum et detruncatum in *Chartom*. Non meam me ſententiam ornare, ſed alienam, quam nollem inauditam damnari, exiſtimari velim. Judicent utcunque lectores.

חרך *cepit praedam?*

Ἅπαξ λεγόμενον Proverb. XII, 27. de quo ad hunc locum evolvendus Schultenſius. Moleſtum, quod hic nos, vereor, linguae Orientales deſtituunt, accedente anomalia generis, חרך maſculini, et רמיה feminini, nulla, quae tantillum opis ferat, varietate lectionis.

 Rece-

Recepta in lexica *aſſandi* ſignificatio ex uſu utriusque linguae Aramaeae petita, cui חרך et ܚܪܟ eſt, *adurere*, videturque prima fronte ad ſeriem orationis aptiſſima, *non aſſabit doloſus ferinam* (fraude captam): ſed repudiant eam quae ſequuntur, non *opes alienas*, *non pretioſum aurum*, quibus aſſandi verbum ineptum. Joſephi Kimchii commentum, cui eſt, *aviculae captae alas adurere, ne aufugiat,* diſplicuit jam aliis ut nimis artificioſum, nec eſt illis, quae ſequuntur, *opibus auroque pretioſo*, aptum.

Arabibus حَرَكَ, notiſſimum verbum, nominum derivatorum magna familia, eſt, *movere*, *commovere* quin et Syris quadriliterum ܚܪܟܫ eſt, *movere*, peculiariter, *caudam*, indeque *blandiri*. Hanc notionem Schultenſius ad Proverbiorum locum transtulit, ſumens, *movere*, eſſe venatorium, *feras ciere*. Ut taceam, nullum ab eo hujus venatorii ſignificatus, *ciendi*, exemplum adlatum eſſe, idem huic explicationi obſtat, quod priori, non aptum eſſe ſequentis membri *opibus* et *auro*, quamquam hoc dubium Schultenſium non premit, poſterius membrum aliter explicantem.

Mihi quidem ex ſolo filo orationis conjicere ſi liceat, unice aptum ac verum, *capere*, *irretire*: *fraudulentus non capiet praedam*, *non opes alienas*, *aurumque pretioſum*: inque rei ſumma conſentiunt veteres, LXX. *οὐκ ἐπιτεύξεται θήρας* exque illis Arabs, لن ينال صَيْدًا *non potietur vel aſſequetur*, *praedam*, Vulg. *non inveniet lucrum*, Syr. et Chald. ܠܐ ܢܡܛܐ. Unum moleſtum, quod hunc ſignificatum linguae orientales non praeeunt. Habent quidem Arabes, quadriliterum حَرْكَلَ ſed contrario ſignificatu, *nil cepit venator*, Gol. 2800. Notaverat ſibi pater meus Aethiopicum מחרך (Ludolphi lex. p. 57.) *cepit in bello*, *abegit*, ſed per ח ſcriptum. Mihi quidem in

re

re dubia et obſcura veriſimillimum, verbum eſſe denominativum a ſequente חרכים *retia*, *capere*, *irretire*. Proxime ergo abſum a Fullero, qui libr. VI. miſcellaneorum c. 13. ab eodem nomine verbum derivat, ſed in eo diverſus, quod חרכים *clathros* vertit, verbumque, *avem captam in caveam clathratam includere*.

Caeterum diverſae ſignificationes Arabiae ac Syriae ſuperſtites, *movendi* et *adurendi*, forte ad duo verba, حرك et خرك referendae, quorum poſterius Arabiae periit: niſi aliis praeplacuerit, (haud quidem nobis) ad unam eandemque notionem revocare, quod ignis commovendo accenditur, ferreumque rutabulum quo prunas materiamve movent ut alacrius ardeat, محراك vocant.

חרכים Cant. II, 19. *vela reticulata*.

Et hoc ἅπαξ λεγόμενον. Retia, LXX. et Syrus vertunt, δίκτυα, ܪ̈ܫܬܐ. Intelligunt fere, *cancellos* (*) (ferreos, quibus feneſtrae munitae) praeeunte Vulgata: non negem, et illos rete, reticulatum opus dici poſſe, ſuſpicor tamen, de reticulari potius velo, feneſtris praetenſo, ſermonem eſſe, per quod, non proſpicit, ſed transparet, cernitur et agnoſcitur ab amica, amicus: מציץ מן החרכים. Habentne a mobilitate nomen?

חרול

Vocabulum obſcurius, de quo vide Celſii hierobotanicum P. II. p. 164–168. Plerique urticam, ipſe, paliurum intelligit, nec nego hoc et mihi veriſimilius videri. Jobus, gentem troglodyticam deſcribens, c. XXX, 7. תחת חרול יספחו *ſub Charul fundebantur*, (nullis certis conjugiis promiſcuo concubitu gignebantur): ubi adblandiri legenti *paliurus* poſſit, magnam Troglodyticae partem, ut a Strabone et

(*) Vide Fulleri miſcellanea l. VI. c. 13.

et Diodoro Siculo (l. III.) ex Artemidoro describitur, obsidens: quamquam hi non de Asiaticis loquuntur Troglodytis, sed de Africanis. Est et reliquis locis omnibus paliurus egregie aptus. Nihil tamen certi habemus, linguarum sororiarum ope destituti. Habent Syri ܡܣܟܪܐ, quin et videtur Syrus interpres, male a librariis descriptus, Proverb. XXIV, 31. pro Hebraico reposuisse, sed de significatu vocabuli Syriaci nihil constat.

חרם *sacrosanctum*, *anathema*.

Ante omnia duplex verbum حرم et خرم distinguendum: de illo nunc, de خرم ejusque derivatis postea agemus. Notissima et indubitabilis significatio Hebraici חֵרֶם *anathema*, verbique, *anāthema fecit*: conferendi cum Arabico, حَرَمٌ, حَرَامٌ *sacrum*, *illicitum*, *inaccessum*. Verbi frequentissima vis in *illicito*, sacra enim usu profanis illicita. Est ergo החרים quodammodo synonymum הקדיש *consecravit*, sed multo fortius: ager, quem voto sacraveras redimi poterat, at per חרם sacratum redimere non dabatur. Vide jus Mosaicum §. 73. p. 34. 35. Quae prima vis verbi fuerit, incertum: cum tamen videam, et hanc ejus in conjugatione secunda significationem notari, *firmiter ligavit*, Orientalibusque et alia verba *ligandi*, *solvendique*, sint interdicere, prohibere, licitum facere, hanc esse suspicor notionum stirpem: 1) *ligavit*, 2) *prohibuit*, *illicitum fecit*, 3) *sacravit*.

Ab hoc verbo cum et adytum, templumque, et gynaeconitidem dicant Arabes, Hebraicum ארמון, utrumque significans, ex חרמון ortum esse, mutato ח in א, supra p. 127. 128. monuimus.

Jes. XI, 15. החרים (*anathemate percutiet sinum maris*) LXX. verterunt, ἐρημώσει, Vulg. *desolabit*, Syrus et Chaldaeus *exsiccabit*, nulla hucusque in codicibus varietate lectionis reperta. Videntur verbo חרם significatum חרב *siccus fuit*, in Hiphil, *exsiccavit*, tribuisse, nec erro-

erroris eos adcusaverim, frequentissima apud Arabes literarum B et M permutatione. Optime tamen et consueta ac certa significatio, *anathemate percussit*, locum tuetur, ut eam deserendam vix arbitrer.

חָרֻם *simus*. Lev. XXI, 18.

Ἅπαξ λεγόμενον, de quo vide Fullerum l. VI. misc. c. 20. *simum* explicantem, i. e. cui isthmus nasi inter oculos plane depressus. Judaeos quidem ille et LXX sequutus: ego hanc maxime ob caussam probo, quod خرم est, generatim quidem, *disrumpere*, *perforare*, deinde et speciatim, *findere isthmum narium*.

חרמונים, חרמון Ps. XLII, 7.

חרמון jugum Libani, sub quo Jordanes oritur. Vide Deut. III, 8. 9. et Relandum. Mosis quidem tempore, ut ex hoc ipso loco adparet, paulo latius patente nomine, חרמון, שניר, שריון synonyma erant, eundem montem Amoraeis Senir, Sidoniis Sirion vocantibus: at sensim distingui nomina coeperunt, Senirque et Hermon 1 Paral. V, 23. ut duo diversi montes componuntur: *usque ad Baal Hermon*, ושניר והר חרמון, *et Senir*, *ET montem Hermon*. Nempe cum ab illo Libani tanquam promontorio, alte erecto, quod, *Jordanem fundit alitque* longe Libanus, (Graecis Antilibanus) versus septentrionem extendatur, subsidens in progressu et humilior, ubi Damasco fit borealior, recentioribus adcolis Senir vocatur, ut infra videbimus: at australior usque ad summum verticem, *mons nivis*, جبل الثلج (vide Abulfedae Syriam p. 164.) Chaldaeisque, טור תלגא. Sic saepe in Thargumim. Hoc nomen inde, quod summum ejus promontorium per totum annum, subsidens jugum Damascum usque multos per menses nivibus tectum. Tacitus hist. l. V. c. 6. *praecipuum montium Libanum erigit, mirum dictu, tantos inter ardores opacum fidumque nivibus. Idem amnem Jordanem alit funditque.* Hoc

ſe jugum, nivibus albicans, ex Thabore monte eminus conſpexiſſe teſtatur Maundrell. Nec audiendus *Stephanus Schultzius*, qui p. 471 tomi quinti itinerarii ſui, (*Leitungen des Höchſten*), his contradicens negat ſe, in Libano nives vidiſſe: hoc enim ſummum Libani faſtigium plane non attigit, ac ne eminus quidem vidit, de quo Tacitus et Maundrellus loquuntur, ſed Auguſto et Septembri menſe, quibus nix ardoribus aeſtivis liquefacta, Sidone Damaſcum, Damaſco Tripolim profectus eſt, quo in itinere eum nullas nives vidiſſe haud mirum. Vide bibliothecam noſtram Orientalem T. X. p. 85. 86. 87. Ignorabat homo ignorare omnia ſolitus, qua de parte Libani narraretur, nivalem per totum annum eſſe: atque adeo *Libanum* Graecorum (occidentalem) cum *Antilibano* eorum (orientali, ſub quo Jordanes oritur), confundebat. – – Hunc ergo nivalem Libanum, incertum utrum totum jugum diu nivibus tectum, an ſolum promontorium, aeternis nivibus candens, recentior poſt exſilium Babylonicum uſus, a Sirione diſtinguens, Hermonem dixit.

Nomen mons, licet longius exporrectus ſenſim ſubſidente jugo, a promontorio ſummo aſpere erecto ſupra Jordanem, accepiſſe videtur: eſt enim خرم *prominens montis vertex*, مخرم *ſupercilium montis, prominensque ejus vertex, qua parte abrumpitur deſinitque*, nempe a خرم *rupit, ſecuit.* (Sciant autem philologi, ſi qui naturae minus periti, majorum montium juga ſaepe ſenſim in aliquod promontorium altiſſimum adſurgere, quod aſperius et reſectius in vallem ſubſidit: tale promontorium, ſi Hercyniam ſilvam, pumilionem, cum gigante Libano, comparare fas eſt, Bructerus).

Pſ. XLII, 7. pluraliter nomen occurrit, ex conſveta ſaltem interſtinctione literarum, חרמונים, male in חרמון unius codicis auctoritate mutante Kennicotto in *Remarks on the 42 and 43 pſalms.* Bene

monuit

monuit Seb. Ravius, in exercitatione philologica ad hunc psalmum, longe exporrecta montium juga saepe et pluraliter vocari, ut, *Alpes*, *montes Apenninos*. Hoc quidem vindicandae lectioni suffecerit. Sed suspicor, aliter dispertiendas voces, מארץ ירדן וחרמון ים *ex terra Jordanis*, *et Hermonis maris*, (i. e. ad mare). *Hermon maris* erit humilior sub alto promontorio mons, ad Phialam, ex qua Jordanes funditur, montemque cavato sub terra meatu perfluit, iterum deinde erupturus. Vide Josephum Ant. XV, 10, 3. cujus vel prima mihi Phialam describentis, verba sufficiunt: σπήλαιον ἐν ὄρει περικαλλές ἐστι, *specus in monte eximiae pulcritudinis*, *eique subjectus terrae hiatus et vorago praerupta immensae altitudinis*, *stagnantis aquae plena*, *supra autem mons ingens imminet*, *et infra specum oriuntur fontes Jordanis*. Adde de Jordane sub terra primum labente, ac deinde erumpente, de B. Jud. III, 10, 7. Ergo mihi ים, mare, Phiala, et חרמון ים ipse humilis ille ad Phialam mons, sub quo Jordanes per aliquot stadia labitur, postea erupturus. Conjecturam firmat, primo, quod in ipso summo cacumine Libani nivali, dux belli peritus vix castra positurus fuisse videtur, sed in humiliore ac molliore, ex quo promtus, si potentior hostis ingrueret, in montium ambages recessus; deinde quod statim montis parvi mentio sequitur. Lege et arbiter esto, *ex terra Jordanis*, *et Hermone maris*, *ex monte parvo*.

Caeterum caveant sibi, sacras scripturas legentes, ubi Hermonis nomen repererint, ab illo, quem nunc in πεδίῳ μεγάλῳ peregrinis monstrare solent, Hermone, de quo vel eruditos aliquando cogitasse video. Perquam ille mediocris, recteque mirabatur Kortius, (itinerator non eruditus, verumque Hermonem ignorans) qui fieri posset, ut montis tantilli in antiquis monumentis frequens fieret mentio: pag. 230. itinerum. Suspicor adeo, nomen confictum esse ab his, qui

 ter-

terram Sanctam peregrinis monstrant, cum de Hermone interrogarentur, verumque Hermonem, metu Arabum jam inaccessum, ignorarent. Is certe parvus mons, ad quem David Absalonum fugiens castra habuit, non est hic, πεδίου μεγάλου, trans Jordanem enim fugerat, πεδίον μέγα cis Jordanem, in psalmo Hermonis mentio cum terra Jordanis conjuncta, totusque psalmus aliquam habet Libani ad Phialam imaginem. De uno ambigere loco possis Ps. LXXXIX, 13. ubi *Thabor* et *Hermon* junguntur: sed et hic meminerimus, utrumque victoriis clarum esse Israelitarum, atque Thaboro inde verum Hermonem supra Phialam prospici. Minuti certe montis, nulla victoria celebris, quamquam vicini, cum Thabore conjunctio parum verisimilis: minute dictum, *Thabor et Hermon de nomine tuo gloriantur*, si hunc humilem, nec ullo magno eventu nobilitatum intelligas.

חָרָן. 1) urbs et regio Mesopotamiae, 2) Arabiae felicis.

Duae hoc nomen urbes in sacro codice memoratae, commune habent.

I) Hharan Mesopotamiae, (Κάῤῥαι, *Carrae*, clade Crassi nobilitatae) quam in tabulis d'Anvillianis, sub longit. 57, 10″ latit. 36, 40″. invenies, urbs, et regio, (haec quidem plana, arenosa, sterilis, Nomadum vitae conveniens, atque in hunc usque diem a Nomadibus habitata), ex qua Abrahamus, patre ibi considente, Dei jussu in Palaestinam migravit, Genes. XI, 31. XII, 5. quam non diu ante Hiskiam in potestatem redegisse suam Assyriae reges dicuntur, 2 Reg. XIX, 12. populum antea liberum? an regnum? Nec dubitari potest, Syris Arabibusque nomen urbis iisdem literis, ܚܪܢ et حَرَّان, scribentibus. Syrorum scriptores ecclesiasticos, magna copia collectos vide ab Assemano, in indice Tomo II. bibliothecae Orientalis praemisso, itemque in indice geogr. T. III. P. II. sub Haran. Arabum geographi,

Abul-

Abulfedae, cujus aliqua attulit, nec recte intellecta, Assemanus, ipsa verba adscribo: حَرّان *ex computo sub gradu long.* 63′, 25″. lat. 37′, 50″ (*), *regionis Rabia, ex Dijar Modr. Fuit olim Haran civitas magna, sed nunc vastata. Dicitur in Moschtarik* (**), *urbem esse celebrem ex Dijjar Modr, sed quae evanuerit. Ibn Haukel* dicit (***), *urbs est idololatrarum* (****), *inque ea sunt septendecim eorum sacrificuli. Est ibi super colle oratorium idololatrarum, quod magni faciunt, vocaturque oratorium Abrahami. Rara ibi aqua, rarae arbores. Dicit Azizi: ab Oriente australi duarum parasangarum interstitio mons situs: solum habet rubens, bibunt incolae ex aquaeductibus, qui aquam ex fontibus extra urbem, et ex cisternis derivant. Ipsa et Racca, ad provinciam Dijar Modr pertinent.* Fidei faciendae caussa, cum haec pars Abulfedae typis nondum vulgata sit, Arabica subjungo, ut ex codice

(*) Sic in Parisiensi scriptum reperi: videntur tamen alii aliter exhibere.

(**) Haec ex Moschtharik citata non habet Schultensius, in indice geographico ex codice Lugdunensi Abulfedae verba adferens.

(***) Ea, quae sequuntur, ut ipsius Abulfedae verba citat Assemanus: male ille aliquando, Abulfedae tempore Haran vastata, ejus, qui ante eum scripserat, Ibn Haukel, adhuc sacello celebris.

(****) الصابيين Et hoc male vertit Assemanus, *Sabaeorum*, discipulos Joannis intelligens: sicque ipse Schultensius. Quid illi quaeso Carris, in regione arida, cum quotidie flumine mergi opus habeant? quid illorum XVII sacerdotes, cum ne tot quidem laicis aqua suffecisset? صابيون Abulfedae et hic, et alibi, non sunt Sabii, (quos perperam cum gente confundentes Sabaeos vocant) sed idololatrae, ex etymo, *exercitus caelestis adoratores.* Vide nostram bibl. Or. T. XV. p. 131. T. XVII. n. 261. p. 42. 43. Idololatrarum urbs ac sedes cum esset, *Hellenopolis* alio nomine dicta, ut ipse adnotavit hic Assemanus, nihilominus صبيين *Sabaeos*, non, ut oportebat, *idololatras*, vertens.

dice Regis Galliae descripsi (*), belli tempore mihi indulgentissime commodato:

رلة (235) حَرّان قياس سج مه لز ن من الرابع من ديار مضر

وكانت حرّان مدينة عظيمة واما اليوم فخراب قال في المشترك واما حران مدينة مشهورة تعد من ديار مُضَر بالضاد المعجمة قال ابن حوقل وهي مدينة الصابيّين وبها شدمنتهم (**) السبعة اعشر وبها تلّ عليه مصلّا لالصبيّين يعظمونه وينسب الي ابرهيم وهي قليلة الماء والشجر قال العزيزي والجبل منها في سمت الجنوب والشرقي علي فرسخين وتربها حمرا وشرب اهلها من قناة تجري من عيون خارج المدينة والابير وهي ورقة من ديار مضر Praeterea in marginalibus de situ urbis haec habet: من راس عين الي حران ثلث ايام ومن حران الي الرها يوم واحد, *Resaenam inter et Haran tres stationes, Haranam inter et Edessam una.*

LXX.

(*) Habet et Schultensius in indice geogr. vitae Saladini subjuncto, sed ex cod. Lugdunensi, aliqua omittente: quem indicem cum lectores non omnes habeant, gratum me illis facturum arbitratus sum, si ex meo codicis Parisiensis exemplo ederem.

(**) Sic in codice Paris. scriptum, sed legendum censeo سدنتهم, ut habent Assemanus et Schultensius in indice geographico.

LXX. Χαῤῥὰν reddere solent, quod Philo, incertum utrum ad radicem כרה referens, ac si כרן scriberetur, an a חר foramen, *effossa* vertit, atque ex Platonica philosophia de quinque sensibus mystice interpretatur. Sic ille in libro, *quod a deo mittantur somnia*, T. I. Mangeyanae editionis, p. 626. *Est, ut mihi videtur, Charran metropolis sensuum: ἑρμηνεύεται γὰρ, τοτὲ μὲν ὀρυκταὶ, τότε δὲ τρῶγλοι, vertitur enim, sive, effossa, sive specus, unam rem utroque signante nomine. Corpora enim nostra ad sensuum instrumenta quodammodo perfossa sunt, et unusquisque sensus foramen habet, in quo tanquam in specu degit,* (ἐν ᾗ πέφυκε φωλεύων) &c. Clarius haec Platonica dicit Cicero, Quaest. Tusc. I, c. 20. sensus *foramina* vocans *callidissimo artificio a natura ad animi sedem fabricata*, et de Nat. Deor. III, 4. Ex Philone in onomastica receptum: vide Hieronymi Opera T. II. p. 6. *Charran, foramina, sive ira, vel, fodiens eos. Sed et hoc nomen per Heth Hebraicum incipit.* — De etymo quidem si quaeratur, quamvis id exile, dubium esse vix potest, quin arida circa Carras regio, ac solis ardore accensis arenis fervens, a חרר, حَرَّ *ferbuit sitivit*, nomen acceperit.

II) Plane alia חרן quae Ezech. XXVII, 23. commercia cum Tyriis exercuisse dicitur, cumque aliis Arabiae Felicis urbibus, Canna, Adena, Saba, componitur: verisimillime, ut monuit Assemanus T. II. bibl. Or. P. II. p. 562. 563. 564. حران القرين *Hharan El-korain*, quam in tabulis Arabiae d'Anvillianis haud procul a Chaulan inter gradum longit. 58 et 59 circa latitud. $19\frac{1}{2}$ invenies.

חרף, *acutus, mordax fuit, probro adfecit, commercia exercuit, vendidit, desponsavit.*

Notissima verbi Hebraici et certissima significatio, probro adfecit, sed reliquis linguis Orientalibus, praeter solam magistrorum Chaldaicam,

cam, ignota: descendit et ab eadem radice hiemis nomen, indeque novum verbum, *hiemem agere*, quae cum iterum videantur ab opprobrii notione sejunctissima, ante omnia de etymologia dicendum. Alii quid tentarint, hic narrandi non locus, longum enim, magna sententiarum diversitate: sed et mihi tentare modeste liceat. Ante omnia autem, quod neglexerunt alii, quaestio dividenda, ac duo verba sejunctissima, *Hharaf*, et *Charaf* discernenda.

I) حرف (Hharaf) plura Arabibus significat, quae nihil ad nos, at videtur et *acuminis* et *aciei* significationem habuisse, quae in utraque dialecto Aramaea late regnat. Syris quidem ܚܪܝܦܘܬܐ *acies*, *acumen*, ܚܪܝܦܐ *acutus*, *asper*, *penetrans*, (*de ferro*, ut addit Castellus, *ingenio*, *voce*, et *sapore*) &c. Chaldaeis, חריף *acutus*, חורפא *acies cultri*, vel *gladii*, unde et *adolescentiam*, *juventutem*, dicunt. Jam Arabibus et حَرْف *acies gladii est*, et حَرِيف *acris*, *mordax sapore*: ab acie dictum videtur חֶרְפָּה *opprobrium*, *ignominia*, et חָרַף *opprobrio affecit*. Similis figura, ut in aliis verbis Ps. LII, 4. nec Latinis ignota, quam et nostra (Germanorum) lingua usurpat.

II) Idem verbum حرف et significatum habet, ac vero longe frequentissimum, *mutandi*, indeque a permutandis mercibus est, *commercia exercuit*. Haec significatio quomodo cum priore conjuncta, aut unde orta, non jam inquiro, enoto tamen, quod ex ea fluxisse videtur Thalmudicorum usu vulgatum, חרופה *desponsata* (*), proprie, *emta*, vel vendita, solent enim a vendendo emendoque desponsationem dicere Orientales. (Vide infra מכר).

Hoc et sensu Hebraicum נחרפת לאיש Levit. XIX, 20. accipiendum omnino reor, *ancilla*, *desponsata vel juncta viro*: de legis interpreta-

(*) Vide *Buxtorfii* lex.

pretatione et ſententia uberius dictum in jure Moſaico §. 264. Tralatitia jam inde a Thalmudicis ſignificatio, atque in lexica haud pauca recepta, dubia tamen jam Reuchlino aliisque viſa: nempe quod non adſequerentur, quomodo deſponſationem inter et opprobrium concordia coire poſſit. Mihi quidem ipſum eam filum orationis plane poſcere videtur, etymoque invento minus jam erit ſuſpecta.

III) Notanda et, non quidem ipſi Hebraico codici, ſed tamen lexicis commentatoribusque intelligendis, ejusdem verbi in ſeptima conjugatione uſus, انحرف *declinavit, deflexit.* Hunc Joſephus Kimchi, a Davide Kimchio, filio, in lexico citatus, ad Job. XXVII, 5. לֹא יֶחֱרַף לְבָבִי transtulit, edicens חרף idem eſſe quod סוג, *recedere, non refugit cor meum omnem meam vitam.* Huic quidem loco malim, conſvetam et notiſſimam, ſed mutatis punctis, לֹא יֶחֱרַף aptare ſignificationem: *convicia nulla audit cor meum ex omni vita mea.*

Tres hae ejusdem verbi ſignificationes quomodo ad unam revocari, exque communi fonte derivari poſſint, dicere non auſim. Obtulerunt ſe, fateor, aliquae conjecturae etymologicae, ut 1) primam vim in acumine eſſe, 2) a cuſpide dici ſummum, extremum, indeque, 3) *mutationem*, ut in Corano, qui inſtabiles in fide et πρόσκαιροι ſunt, dicuntur eſſe عَلَى حَرْف, in *cuſpide*, vel *margine*, Sur. XXII, 11., a mutando, 4) *refugere, recedere.* Sed haec etymologica ipſe ut incerta refugio; in lubrico nonnunquam verſamur etymologias tentantes, quae niſi ultro ſe offerunt, certis ſimus contenti, ſignificationibus, quas uſus linguarum firmat, ſi vel earum cognationem perſpectam non habeamus.

IV) خَرَفَ (*Charafa*) eſt, *decerpere fructus*, unde autumnum Arabes dicunt, Hebraei hiemem: vide infra חרף. — — Volebat Schultenſius huc calumniam et opprobrium referre, a *carpendo* dictum. Sed praeplacet etymon pagina praecedente datum.

V) Ab autumno multa Arabes denominativa faciunt, cum verba, tum nomina, ut خُرِفَ *pluvia autumnali complutus fuit*, خَرِفَ *deliravit senio*, (nempe senium ab autumno dicunt, sed, quod vel ex hoc exemplo tenendum, in deteriorem partem, decrepitum senium. In Hebraicis quidem semel verbum denominativum habemus, in lexica etiam antiquissima receptum, Jes. XVIII, 6. תחרף, *hiemem aget*, manifesta oppositione ad קיץ *aestatem aget*, ut sunt קַיִץ et חֹרֶף nomina opposita: quam si cogitassent interpretes, Arabumque ab autumno denominativa, non dubitassent, nec ad alia dilapsi essent alii. Bene praeierat Vulgata: *aestate perpetuae erunt volucres, et omnes bestiae terrae super eam hiemabunt.* Sic et Chaldaeus.

Ex nominibus Arabicis, ab autumno ductis, unum maxime notandum, quod eo fortasse infra opus habebimus, خَرُوف *agnus*, proprie, *autumnalis*, oppositus *vernali*, (bis enim in calido climate gravidae pecudes), ut Genes. XXX, 41. *Labanis erant* الخَرِيفِيَّة *autumnales*, *Jacobi* الرَّبِعِيَّة *vernales*, deinde et universim, *agnus*, ut in quinta Locmani fabula. Quin et Chaldaeis חוּרְפָּא *agnus*, sed vocabulum Arabico rarius.

חֹרֶף *hiems*. Genes. VIII, 22. Ps. LXXIV, 17. Jerem. XXXVI, 22. Amos. III, 15. Zachar. XIV, 8. Prov. XX, 4.

חֹרֶף Hebraeis *hiemem* esse, et vulgatum, et certum vel ex illis locis, ubi aestati ut pars anni altera opponitur, Genes. VIII, 22. Ps. LXXIV, 17. Amos. III, 15. Zachar. XIV, 8. verbisque denominativis קיץ *aestatem egit*, חרף *hiemem egit*, Jes. XVIII, 6. sibi oppositis. Autumnum et hiemem proprie sic dictam complectitur. Hinc Amos III, 15. Jerem. XXXVI, 22. בית החרף *domus hiemis*, i. e. palatium aut palatii pars, ubi reges aut ditiores per hiemem habitabant.

Ad-

Adstrictius vocabulo usi Thalmudici, quibus est τρίμηνον anni quartum, complexum *dimidium Kisleu, totum Tebeth et dimidium Schebath*, id vero est, ut nostro more diceremus, quatenus menses lunares ad solares redigi possunt, *a medio Decembris usque ad medium Februarii*, a quo distinguunt 1) praecedens τρίμηνον זרע (*sementis*) a medio Octobris ad medium Decembris, et 2) sequens, קר (*frigoris*) a medio Februarii ad medium Aprilis. Sed hujus restrictae significationis nullum in sacris literis vestigium, estque recentior. Sacris quidem literis חרף totum frigoris tempus est, oppositum aestati; atque adeo Prov. XX, 4. illi ipsi menses, quibus agri conferendi erant: complectebatur ergo omnes sine dubio frigoris menses, Novembrem, Decembrem, Januarium et Februarium, ac si qui dies frigidiores Octobri finem et Martio initium facerent.

Haec ut satis expedita, duplex tamen suboriri dubium possit, idque solvendum videtur.

Primo Arabibus خَرِيفٌ *autumnus* est, atque adeo, pluvia autumnalis, quae in Novembrem incidere solet. – – Hoc quidem facile solutu: Hebraei enim autumnum et hiemem uno vocabulo complectuntur, fere ut nos, licet calendaria hiemem a solstitio brumali incipiant, omne tamen tempus a Novembris initio usque ad aequinoctium vernale vulgari lingua hiemem (*Winter*) dicimus; Arabes contra vocabulo distinctius usi.

Deinde, idque gravius dubium, LXX. et vero non unius modo libri, sed trium, stilo et doctrina facile ut diversi dignoscendi, חרף Ἔαρ i. e. *VER*, vertunt, Genes. VIII, 22. et Ps. LXXIV, (LXXIII) 17. θέρος καὶ ἔαρ, Zach. XIV, 8. ἐν τῷ θέρει καὶ ἐν τῷ ἔαρι ἔσται οὕτως. Verum id Alexandrinos homines pro climatis Aegyptii ratione fecisse puto, et ἔαρος nomine hiemem intellexisse. Qui enim nobis

bis

bis menses hiemales, ver Aegyptiorum sunt, Novembris, quem ad autumnum retuleris, totius anni pulcherrimus, eoque florere mali et amygdali incipiunt, quas sub eodem climate, gradu latitudinis 30 ad 31, octavo Decembris adhuc florentes vidit Rothmannus, Januario autem et Februario mense ver proprio sensu, ut testibus in calendario climatis hujus oeconomico collectis planum facere possum. Aprilis autem, Majus, Junius, nil veris simile habent, ne Martius quidem, quo triticum jam maturescit.

De nominis derivatione dubitare liceat. Fuerunt, qui ad خرف *decerpere fructus*, retulerunt: satis illi verisimiliter, si nominis germanici, aut alius linguae ratio reddenda esset, quamquam vel nos plerosque fructus Septembri mense jam collegimus. At in Palaestina citius fructus maturescunt, Junio, Julio, et Augusto ineunte, quod τρίμηνον Thalmudici קיץ vocare solent. Adde, קיץ non solum aestatem, sed et ipsos fructus aestivos denotare, jam cum plerisque locis קיץ et חרף sibi opponantur, suspicarine possumus, חרף a colligendis fructibus nomen accepisse? – – Nec tamen plane damnaverim etymon, teneri enim potest, si in palmifera Arabia ortum, ac deinde in Palaestina quoque palmarum minus divite, usurpatum dicas, forte enim palmarum messis in autumnum incidit, Novembrique mensi Wanslebius adsignavit. De etymo non laboro, dummodo de vera nominis significatione constet.

חֹרֶף *juventa*, vel, *virilis aetatis ἀκμή*. Job. XXIX, 4.

Quod hic legitur, *utinam essem in diebus* חרפי, licet ipse Schultensium aliosque sequutus, olim reddiderim, *autumni mei*, i. e. *maturae aetatis cum fructus ferrem*, vix tamen jam iterum deliberanti ad senilem aetatem ab autumno dictam referri posse videtur. Primo enim, autumnum si nostro more accipias, quis est, qui hoc vitae autumno,

i. e.

i. e. declivi aetate, delectetur? Deinde apud Arabes, ut supra vidimus, autumnus aetatis plus etiam, deliram atque imbecillem senectam notat. (pag. 936.) Denique Jobus post morbum centum et quadraginta annos vivens, idque eo tempore, quo infra ducentos annos humanae vitae terminus subsederat, qui potest praegressam ante morbum aetatem *autumnum* vocare? Ver illud erat, pro seculi, in quo fabula fingitur ratione.

Ergo jam mihi praeplacet, quod habent Vulgata, et Chaldaeus, *adolescentiae meae*, hic quidem et vocabulo harmonico usus, quod ipsum probandae significationi sufficit, בְּיוֹמֵי חֲרִיפוּתִי (Vide p. 934) Vel olim sequutus essem, nisi unus me retinuisset etymi defectus: sed illud jam se ultro triplex offert, difficili optione,

1) Contra nostrum morem ab autumno Hebraei, aliique orientales, annum incipiebant, unde fiebat, ut *autumnalia*, fructus, pluviae, alia, illis *πρώιμα prima*, essent; vernalia, *serotina*, *ὄψιμα*. Hinc et fructus *praecoces*, aut *primitivi*, Chaldaeis Thalmudicisque ipso hoc vocabulo sunt, חֲרָפִין (Buxtorfii lex. col. 832.). Hinc ergo et primitiva potuerit dici juventa.

2) Possit et eadem ab agno, خَرُوف, חורפא pag. 936. nomen habere: vel,

3) quod mihi verisimillimum, ab *acie* a prima, quam verbo subjecimus, *acuendi*, et *aciei* significatione, pag. 934. ut idem sit Graeco, *ἀκμή*, *acies*, *summum*, *juventus*, unde *ἀκμαῖος*, *juvenis aetate florens*. Sic quidem non solam significet adolescentiam, sed et juventam virilem, totumque florentissimum vitae tempus complectatur.

חֵרֶף ex varia lectione, *litus*.

Pro חוף הים, Jerem. XLVII, 7. codex Carlsruhensis secundus, Kennicotto 155, habet, חרף הים, errore forte librarii, sed, si in pluri-

pluribus reperiatur codicibus, lectione varia, optimam fundente sententiam. Litus maris recte חרף הים dici potuerit, sive, a حَرْفٌ *cuspis*, *extremum*, sive ut Chaldaeis ab eadem radice et significatione חֲרִיפְּתָא est, *terra ripae*, *quam fluvius rapidissime inundans arripit.*

חרץ *studiosus rei ac valde diligens fuit, accendit ad pugnam, praelium commisit, sortitus est, divinavit, omen accepit, judicavit, perdidit.*

Verbum, cum suis derivatis, difficilius, in quo jam antiqui alter ab altero ita dissident, ut eorum uti auctoritate vix possis: apud recentiores maxime ei offecit conjectura, elegans, fateor, et verisimilis, ex qua primo est, *secare*, *caedere*, indeque sensu judiciali, *decidere*, nec dissimulandum, haud paucis eam locis egregie aptam esse, ut Jes. X, 22. XXVIII, 22. 23. Job. XIV, 5. Dan. IX, 26. 27. XI, 36. ac vel maxime, 1 Reg. XX, 40. Nec sola ad eam conjectura deventum, sed auctoritate etiam veterum, forte non ubique recte intellectorum: LXX. enim cum συντέμνειν verterent, Jes. X, 22. 23. XXVIII, 22. Dan. IX, 26. Proverb. XXI, 5. *decidendi* significatione acceperunt interpretes, cum eodem jure *festinandi* et *adbreviandi* notio locum habere posset, de qua vide *Kypkii observationes ad novi foederis libros*, Rom. IX, 28. Sed utcunque sit, haec *decidendi* significatio reliquis linguis orientalibus plane ignota, ac ne *secandi* quidem notionem ex illis probaveris, licet aliquid cognati habeant.

Ergo tota ab integro retractanda quaestio, linguae sororiae interrogandae, quid ipsis sit חרץ? tentandumque, idne locis Hebraici codicis apte sedeat? Aramaea quidem hic nos destituit, verbum non habens: id solum ex ea discimus, *lumbos* et חַרְצִין dici posse, et חֲצִין, (vide pag. 892.) quo in nomine si ר pro Dagesch forti ponitur, aut elisum per Dagesch forte compensatur, fieri possit, ut et aliis in significatio-

ficationibus חרץ et חצץ, ſint origine eadem. At Arabia tria verba habet, ſono paulisper diverſa, خرص, حرض, et حرص cum ſuis derivatis, multiplici, ut prima fronte ſe offert, ſignificatione, ſed ita alicubi diverſarum radicum concinente, ut illae aut uſu linguae quotidiano non raro confuſae, aut puncta diacritica, nec in libris ſolum Arabum, ſed et in lexicis, male jam poſita, jam omiſſa videantur, quod ſaepe accidere, in grammatica Arabica §. 2. n. 12. 13. 14. monuimus, poſſumusque adcuſationem lexicorum non dubiis, ſi opus ſit, exemplis firmare. Habent quidem Arabes,

I) حرص, duplici ſignificatione, aut etiam triplici, quarum una ei propria eſt, reliquae cum حرض vel خرص, ut videtur, cognatae.

1) Propria ei et priva ſignificatio, *frangendi*, *comminuendi*. Habes in Golii lexico, *tundendo veſtem laceravit fullo*, conſtructumque cum على, *findere cutem*, *frangere caput*: حريص, *fractura capitis*, *nubes pluviam vehementiorem fundens*, *et terrae ſuperficiem rumpens*, ſeu, ut ego malim, *nubes rupta*, diluvium *effundens*, *Wolkenbruch* Germani dicimus, eodem etymo, quod Arabicae linguae aptius etiam, nubes utribus comparanti, qui ubi rumpuntur, diluvium agris immittunt.

Ex hac notione fluxit Aethiopicum, *molere*, *comminuere*. Huc et ſine dubio referendum Hebraicum, חָרוּץ, *tribulum*, a *comminuendo* dictum.

2) Idem verbum et ſignificatum, *cupiditatis*, *ſtudii*, *intenſiſſimae* habet *diligentiae*, cum ſequente حرض, ut videtur conjunctum. Exempla abunde dedit Caſtellus, ex quibus diſces, poni pro σπεύδω, 2 Petr. III, 14. σπουδάζω Eph. IV, 3. 1 Theſſ. II, 17. 2 Timoth. IV, 21. 2 Petr. I, 10. 15. φιλοτιμοῦμαι, 2 Cor. V, 9. σκοπῶ Luc. XI, 35. itemque ab Arabe Erpeniano pro يتقلب حب

ܐܨܛܪ vel ܢܨܛܪܟ (*curae tibi sit*) Rom. XII, 17. Tit. III, 13. et pro ܗܛܘ *currite*, Graece διώκετε, 1 Thes. V, 15.

3) Habet sub hac radice, cum in nomine tum in verbo, Castellus, *tempus*, – – et, *observare tempus*, ex 2 Reg. XVII, 17. quod quidem Arabicae linguae minus peritus, suasque opes Hebraicae impendendas, ex solis lexicis conquirens, perquam verisimiliter transferre ad 2 Sam. V, 24. possit: *ubi sonum audientium audieris*, אז תחרץ *tempus observato*, tempus nempe, pugnae et victoriae a Deo destinatum. At vero hic aliquando, (quod in raris ac miraculis censendum) fallitur Castellus, ac forte, ex quo ipse Giggejusque sumsit, Camusus: non est, *observare tempus*, sed

4) aliquod *divinationis genus*, poniturque, hic quidem pro כסם קסם *divinare divinationem* (LXX. ἐμάντευσαν μαντείαν) c. XXI, 6. pro עונן (LXX. κληδονίζειν) nomenque خرّاصين c. XXIII, 24. pro ידעונים (LXX. γνωριστάς). Incertum, unde haec notio ducta, utrum a cupiditate sciendi futura, ut Latini *curiosum* dixerunt, qui magicis artibus futura inquirit, an sit ad eas referenda, quas sub numeris 7. 8. et 9. dabimus. – – Ergo hic, Giggejum Castellumve evolventes, aut latinam in Polyglottis versionem versionis Arabicae legentes, ab errore sibi caveant.

II) حرض,

5) *summam cupiditatem* notat, indeque in secunda حرّض *instigavit*, *accenditque ad pugnam*. Unde haec orta significatio, non certo constat, verecunde tamen suspicari liceat, *ab ardendo*, quam notionem nomina prodere videntur, quae a *cupiendo* nemo derivaverit, ut, حُرُض *Alcali*, *cum herba*, *quae comburitur*, *tum ejus cinis*,

cinis, ex quo ſal alcali paratur, cum ſuis derivatis: حَرَّاض *gypſi et calcis coctor.*

6) Eſt et, *perdidit, corrupit ſe ipſum*, حَرِضَ *exitio proximus fuit, periitque amore, moerore, diuturna ſolicitudine adfectus fuit:* utrum a ſola cupidinis vehementia? an ab ardendo et conflagrando? Adblandiri ſignificatio poteſt, in Hebraicis aliquoties כָּלָה *internecionem* et נחרצה componi videntibus: ſed de eo deinceps.

7) Et hoc notandum, in tertia حارض *teſſerarum alearumque jactum* ſignificare, unde et حُرْضَة *qui teſſeras jacit aliis*, (ipſe ludi non conſors.)

III) خرص denique eſt,

8) *conjectura aeſtimavit*, et

9) خُرْص atque خَرِيص, *haſta, ejusque cuſpis.*

Suſpicari incipio, ſignificationes, quartam, *divinavit*, ſeptimam, *teſſeris luſit*, octavam, *conjectura aeſtimavit*, et nonam, *haſta*, non obſtantibus punctis diacriticis, cognatas, et ab *haſta* ortas eſſe. Haſtis in ſortiendo et ludendo utebantur Arabes, ab his ergo חרץ *ſortiri, ludere:* telis multae in divinando gentes uſae, hinc *divinare*, atque a divinando, *conjecturam facere.* Atque hac quidem ſignificatione חרץ forte idem, quod ſupra, חצץ *ſortiri*, a חץ *ſagitta.*

Eſt alia, quam plane in dubiis obſcurisque relinquo, quaeſtio etymologica, حرص *cupidus, diligens fuit*, (I. 2.) et حرض *ſumme cupidus fuit, incitavit* (II. 5) ſintne verbum unum idemque, an poſterius cupiditatis, incitandique vim ab ardendo, prius a cuſpide et acumine, (III. 9) ſortitum ſit? His potius miſſis etymologicis, ubi tria verba in unum confluunt incertis et obſcuris, haec quae certiora tenemus, ad Hebraicam linguam transferamus.

1) *Studii ac diligentiae* significatio, quam secundo loco habuimus, ita apta locis, Proverb. X, 4. XII, 24. XIII, 4. XXI, 5. in quibus חרוץ (participium Paul, aut adjectivum ejus formae) est, *diligens, studiosus rebus attentus*, ut de ea dubitari vix posse rear.

2) Voluerunt non pauci, hinc et generatim *festinationem* dici, atque a festinatione *brevitatem*, Jes. X, 22. 23. XXVIII, 22. Dan. IX, 26. 27. XI, 36. svadetque eam parallelismus Jes. XXVIII, 22. et Zephan. I, 18. ubi pro כלה ונחרצה Jesaiae, simillimo orationis filo, כלה אך נבהלה, *internecionem festinatam*, legimus. Adfertur et graecorum interpretum auctoritas, qui saepe συντέμνειν vertant, quod sit, *festinare*, nec Alexandrini modo, (vide supra pag. 940.) sed et aliorum, ut, Aquilae et Symmachi 2 Sam. V, 24. Vulg. Job. XIV, 5. Nulli tamen reliquarum linguarum Orientalium cum festinationis aut abbreviationis notionem verbum habeat, aliaeque praeter hanc notiones, usu vicinarum dialectorum tritae, satis filo orationis aptae sint, non ausim hanc ei incertam dare

3) 2 Sam. V, 24. perquam apta, quam quinto loco posui verbi حرّض significatio, *accendit ad pugnam, tunc accende* populum, aut si malis, in Niphal תחרץ *tunc accendere ad pugnam*, i. e. *praelium committe*. Svadet explicationem locus parallelus 1 Paral. XVI, 15. אז תצא למלחמה *tunc exito ad praelium*. Praeivit Vulg. *tunc inibis praelium*. Ambigo tamen hanc inter et eam quae sequetur, *ominandi* notionem.

4) *sortiendi, divinandi, conjiciendi* significationes, a sagittis et sortibus ductae, quas quarto, septimo, octavo ac nono loco habuimus, quibusdam locis ita aptae egregie, illis maxime, quibus *decidendi* notionem dederunt alii, ut difficile sit, dubitare. Sic quidem re cum his plerumque consenserim, fatalem destinationem intelli-

telligens et immutabilem, ſed etymo diverſus, quod illi a decidendo ducunt, ego a ſortiendo. En loca: Job. XIV, 5. אם חרוצים ימיו *ſorte* (fatali) *ſi definiti ſunt dies ejus*, (eadem phraſis, quae c. XXI, 21. חדשיו חצצו *menſes ejus ſorte praefiniti ſunt*, ſequiturque huic explicationi aptiſſime) *numerusque menſium ejus tecum eſt, ac feciſti decretum irrevocabile.* In rei ſumma concinit Syrus cum Arabe, niſi quod *decidendi* verbum habent, ܦܣܝܩܝܢ, انقطعت.

In reliquis locis liceat mihi, cum unam vocem, *ſortitus*, (paſſive) non admittat lingua latina, pro, *ſorte*, *ſorte fati definito*, ponere, ſive, *deciſum*, illud ipſum verbum quo tot ex veteribus uſi, forte non in animo habentes etymon exprimere, ſive, *fatum*, *fatale*, *decretum*. Jeſ. X, 22. כִּלָּיוֹן חָרוּץ *exitium deciſum* vel, *fatale eſt* 23. כלה ונחרצה *exitium, et fatum irrevocabile.* (Hic quidem LXX. συντέμνειν, plures habens ſignificationes, de eodem fatali decreto poſuerunt.) XXVIII, 22. כלה ונחרצה *exitium et decretum*, i. e. fatale exitium et irrevocabile. (LXX. συντετμημένα, Syr. ܦܣܝܩܘܬܐ) Dan. IX, 26. נחרצת שממות *decretae ſunt vaſtationes* (Theod. συντετμημένον τάξει, Vulg. *ſtatuta deſolatio*, Syr. ܦܣܝܩܘܬܐ) v. 27. עד כלה ונחרצה *usque ad exitium et fatum*, i. e. usque ad exitium fatale, quod averti nequit. XI, 36. כי נחרצה נעשתה *ſorte enim* (fati) *definitum eſt, et factum:* fatale et irrevocabile eſt, nec poteſt non fieri.

Fateor non paucis horum locorum, in quibus כָּלָה vel כִּלָּיוֹן cum חרץ conjunguntur, aliam quoque aptari ſignificationem poſſe, 5) *exitii*, ex حَرِضَ II, 6. *exitio proximus fuit* &c. videoque, in Jeſaia a Chaldaeo שיצאא verti, i. e. *ad internecionem perdere.* Vide et delibera de Jeſ. X, 22. 23. XXVIII, 22. Dan. IX, 27. Fateor, in his non bivium eſſe, ſed trivium interpretationis, 1) *feſtinatio*,

natio, 2) *ſors fati*, 3) *exitium*. Licebit ſane titubare: titubarunt et interpretes ante me, nec ego ab hac titubatione immunis. Linguarum tamen Orientalium uſum ſi ſequamur, media *ſortiendi*, *ſorte fatali definiendi* notio, omnibus adeo locis apta, praeferenda, quod ſi cui ſecus videatur, ut mihi olim viſum, antequam de *ſortiendo* cogitarem, obloqui non auſim aut obſtrepere.

6) *Divinandi*, *ominandi* ſignificatio, (خرص I. 4) eximie apta videtur 1 Sam. V, 24. ita quidem, ut *divinare* jam in meliorem partem ponatur, pro, *omen divinitus oblatum accipere*. En verba: *ſonum incedentium cum audieris*, *accipe omen* (hoc ſigno utere, in eo vince) *egreditur enim Jehova ad caſtra Philiſtaeorum percutienda*. Hic ergo inter, *praelium committere* (pag. 944.), et, *omen accipere*, ambigo.

7) At quid faciemus loco, *decidendi* ſignificationem prope poſcenti, 1 Reg. XX, 40. *facile eſt judicium tuum*, אתה חָרָצְתָּ *tu ipſe decidiſti*, hanc et verſionem Syro, Chaldaeo, Arabe, praeeuntibus? (ܐܢܬ ܦܣܩܬ, قَطَعْتَ, פְּסַקְתְּ) LXX ſententiam rogari nequeunt, ἐφόνευσας, *occidiſti* (te ipſum) vertentes, ac ſi רצחת legiſſent, quod tamen in nullo codice Kennicottus invenit. Obtrudit ſe nobis prope notio, nullo linguarum orientalium uſu firmata! — Audeamusne vertere, *tu ipſe perdidiſti*, ſc. te ipſum. Non ſatisfacit. Suſpicor, *ſortiendi* ſignificatum hic obtinere: *ipſe ſortitus es*, i. e. ipſe voluiſti, ipſe fortunae tuae faber es; ſive etiam, *ipſe ſortitus es*, i. e. *ipſe calculum tuum in urnam jeciſti*, *judicaſti*. Poſterius probare mihi videor: ſic diverſa modo via ad idem, quod alii volunt interpretum, deventum.

8) Quid denique ſpectantes LXX. אם חֲרוּצִים ימיו Job. XIV, 5. verterunt, ἐὰν καὶ μιᾶς ἡμέρας γένηται ὁ βίος αὐτοῦ, *unius*

diei

diei si sit vita ejus? — — Suspicor, eos divisim extulisse, חָרוּץ יום, atque חרוץ primo *calculum*, indeque *numerum unitatis* intellexisse, חצץ et חרץ pro uno eodemque, aut cognatis habentes. Vide de חצץ et حَصَى *calculus*, *numerus*, pag. 891.

חרץ לשון *pr. linguam ex ore pendulam habuit*, i. e. *mortuus aut morti vicinus fuit.*

Hanc quidem verbi constructionem ac phrasin seorsim tractabimus, bis in canonicis libris obviam, Exod. XI, 7. ולבני ישראל לא לא חרץ כלב לשנו, et Josuae X, 21. לא חרץ לבני ישראל לאיש את לשנו, semelque in libro, qui nobis periit, Judithae Hebraico, XI, 19. (al. 15.) Ex duobus, quae Hebraica nobis supersunt, locis adparet,

1) phrasin de morientibus poni.

2) nec solum de canibus, sed et de hominibus, (Jos. 10.) nec ergo ita explicandam esse, ut quidquam dicat solis canibus proprium.

3) לשון non in nominativo sed adcusativo cum חרץ construi; primo enim verbum utrobique generis est masculini, deinde in libro Josuae nomini לשון particula adcusativi index את proponitur.

Jam damnandi videntur, qui aut *latrare* vertunt, aut *mutire*, ut

1) Arabs Pol. Exod. XI. لا ينبح كلب بفيه *non latrabit canis ore suo*, et Judithae XI. Syrus, ܠܐ ܢܒܚ ܟܠܒܐ ܒܦܘܡܗ, ac Vulgata, *non latrabit vel unus canis contra te.* Linguae quidem latratum non tribuere solemus, sed ori, quod et pro lingua substituere necesse duxit Arabs.

2) *non mutiet canis.* Vulgata Exod. XI. eademque Jos. X, *nullus contra filios Israelis mutire ausus est.*

 Adde,

Adde, mere conjecturalem esse, reliquoque Orienti ignotam, hanc sive latrandi sive mutiendi significationem.

LXX ubique *γρύζειν* vertunt: in Exodo et Josua, *οὐ γρύζει* vel *οὐκ ἔγρυζεν οὐδεὶς τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ τῇ γλώσσῃ αὐτοῦ*, - - inque Judithae libro, *οὐ γρύζει κύων τῇ γλώσσῃ αὐτοῦ ἀπέναντί σου*. Proprie quidem *γρύζειν*, (naturalis, ni fallor, soni imitatione) grunnitum porcorum (*das Gruntzen*) denotat, docente Julio Polluce libr. V. §. 55. 87. sed ita proprie non poni a LXX, manifestum. Deinde transfertur ad querulam vocem omnem, unde Svidas, *γρύζω, θρηνῶ*. Volebant ergo, *nemo obmurmurabit filiis Israelis*. Et hi male: primo enim nihil tale habent linguae Orientis universae, deinde mirum, grunniendi verbo utrobique nomen *linguae* addi, qua ne uti quidem in grunniendo solemus.

Quid velit Arabs Erpenii, vertens, لا يعوق كلب في لسانه, non satis intelligo. Arabs qui Jobum vertit, de morsu accepit, ما عضّ احد من بني اسرايل لسانه, *nullus ex Israelitis linguam suam momordit*. Possis hoc quodammodo ad حرض *fregit*, (l. 1. p. 945.) referre. At morientes mordentne, aut mordere dicuntur linguam?

Ad eos venio, qui *laedere* vertunt: Onkelos in Exodo, לא יַנְזִיק כַּלְבָּא בְּלִשָּׁנֵהּ *non laedet canis lingua sua*: id vero quid est? dentibus laedunt canes, non lingua. Chaldaeus Josuae interpres, לא הֲוָה נִזְקָא *non fuit laesio*. Syrus in Exodo ܠܐ ܢܗܘܐ ܟܠܒܐ ܒܠܫܢܗ, inque Josua, ܠܐ ܗܘܐ. Laedendi, immo perdendi significatum verbo non abnegaverim, quem sub حرض sexto posui, sed aliter construendum, ut sana prodeat sententia, verbum arbitror.

Observatum jam p. 943. حرض inter alia esse, *cupiditate, amore, aerumnis, solicitudine perire ac perdi*, forte ab urendo et coquendo:

do: jam ergo de lingua aegroti aut moribundi positum illam linguae luxationem, ex ore pendentis, quae mortem praecedere solet, estque in canibus quodammodo propria, rabiosorumque aliquando, si nec fessis nec sitientibus lingua propendeat, indicium. Sic erit: *nemo ne canis quidem Israelitarum morietur*, proprie, morbidam ac tanquam sitientem ex ore linguam exseret.

חָרוּץ *tribulum*, (non, *judicium*) *aurum*, *diligens*, (non, *murus*, non, *fossa vel fodina*) *vitium corporis*, *de quo nihil constat*.

Ut ipsum verbum non unum sed multiplex, ita et nomen inde derivatum significationibus diversissimum.

1) חרוץ *tribulum*, a comminuendo dictum, refer. ad حرص *fregit*, *comminuit*: (I, 1. pag. 945.) Ad hanc significationem et refero Joel. III, 19. (al. 14.) עֵמֶק הֶחָרוּץ *vallem tribuli*, i. e. vallem in qua collectum frumentum tribulo trituratur. Praecesserat messis mentio, v. 18. cui ingens hostium strages comparabatur, *immittite falcem*, *quoniam maturuit messis*, messem recte sequitur *tritura*, quae hic, ut saepe alias, imago est proculcationis hostium victorum. Vide Lowthi praelectionem de poesi Hebraeorum septimam (p. 118. 119. editionis Goettingensis) et, *Paulsen vom Ackerbau der Morgenländer* §. 40. 41. 42. Enotandum locum duxi, quod alioqui primarius ac prope invictus citari testis posset vulgo creditae decidendi et judicandi significationis, quam, quod linguis orientalibus ignota est, supra in verbo repudiavimus. Nempe svadet eam in Joele, quod eadem vallis יהושפט, *Jehova judicavit*, dicitur, v. 17. (12): praeiveruntque ex veteribus LXX *ἐν τῇ κοιλάδι τῆς δίκης*, Theodot. *τῆς κρίσεως*, Syr. ܕܦܘܣܩܢܐ, Chaldaeus פְּלוּג דִינָא. Nec nego, egregie aptam significationem, sed usu lingua-

linguarum cognatarum destituitur, nec minus ea apta indubia illa *tribuli*.

Caeterum cum tribuli non unum genus fuerit Orientalibus, definire non ausim, cui ex illis nomen חָרוּץ proprium fuerit: commune forte omnibus, ac latius patens. Jesaias quidem c. XLI, 15. de eo posuit, quod rotulas acutas ac secantes habet, sed, ut dixi, patere latius potuit.

2) חָרוּץ *aurum*. Significatio ipsa vocabuli Hebraici, dubio caret. Mirum tamen, nullam linguarum Orientalium reliquarum, non Aramaeam, non Arabicam hoc vocabulum habere, nec lucidum se offerre aut manifestum etymon (*): a *cupiditate* forte dictum auri cupidus dixerit, sed difficulter persvaserit, ab hoc enim etymo quae non et alia eodem jure dici possent? vinum? puellae? Haecne omnia חָרוּץ? — — Quae cum ita sunt, suspicor, exoticum nomen esse חָרוּץ, ex Graeco χρυσὸς ortum, commerciisque Phoenicum in linguam Hebraicam invectam. Habet ejusmodi aliqua, etiam perantiqua, Hebraismus: sed hoc recentius: Primum occurrit Ps. LXVIII, 14. antiquioribus illud libris plane igno-

(*) Ut aliqua hic adferam lexicographorum tentamina, Stockius sumebat, חרץ esse, *secare*, (sic plures, nullis linguarum orientalium subsidiis) inde חרוץ generatim *incisum*, speciatim, *aurum*, *quod e penetralibus terrae eruitur*, *eam incidendo*. Hoc quis probet? quis non putet valde aut coactum aut late patens etymon? Quod si metallum aliquod ab *incidenda terra* nomen sortiri debuisset, reliqua omnia auro praeirent, omnia enim ex terra eruuntur, solum aurum aliquando in superficie terrae reperitur, granulis auri in arenae modum dispersis, hocque nativum aurum (*Gold-Sand* vocamus) antiquissimum. — — Simonis gratis sumit, primam verbi vim esse, *acuit*, hinc aurum dictum esse putat ob *colorem acutum*, *seu*, *splendidum*.

ignorantibus, paulo post Salomoni in Proverbiis frequens (III, 14. VIII, 10. 19. XII, 27. XVI, 16.) tandemque sub interitum linguae Hebraicae in Zacharia recurrens, IX, 5.

3) חרוץ *diligens*, *negotii quod suscepit*, *rei familiaris studiosus*, supra jam habuimus p. 944. ut participium verbi Paul: possit tamen et adjectiva forma esse, quod hic non disputo, grammaticae relinquendum.

4) חרוץ Dan. IX, 25. aut ἅπαξ λεγόμενον, perquam dubiae significationis, aut lapsus librariorum.

Τεῖχος vertebat Theodotion, exque illo Vulgata, *muros*, Arabsque سور. Cognatam sententiam, non eandem, nescio unde sumtam, vetus latina exprimit: *circumvallatio.* Receperat in lexicon Reuchlinus, non perennaturum: nec injuria ejectum a recentiorum multis, cum nullo orientalium linguarum usu, ac ne etymologia quidem ex sororiis linguis ducta, firmetur. Habent quidem etymologiam quoque lexicographorum aliqui, sed ipsam ex commentitia verbi significatione sumtam.

Ergo, multo verisimilius *fossam* alii interpretati sunt, quam notionem in lexicon suum recepit, (חפירה) Kimchius. Hos et ipse in scripto de LXX hebdomadibus (*Versuch über die 70 Wochen Daniels*) sequutus sum, cum nil probabilius suppeteret: nempe Chaldaeis חריץ *fossam* esse dicunt. Sed haec, quae olim scripseram, deliberanti, denuoque expendenti, perquam dubia et haec videri coepit significatio: primo enim Hierosolyma, de cujus restauratione agit locus Danielis, ob situm urbis fossis vix egebat, muris satis fere ubique tuta; deinde plane non adparet, unde fossis nomen ductum, nisi verbo gratis notionem fodiendi tribuas. Nec equidem hanc illi notionem ideo praefracte negaverim, quod nobis

in lingua Arabica non superest, potuerit enim ejus, quae nobis periit, radicis خَرَضَ esse: sed nec ausim, nullo illam indicio usuve sola conjectura sumere. Sed quod gravissimum, ne constat quidem, Chaldaicum חריצא fossam significare. Inspice Buxtorfii lexicon, et quae ille collegit exempla examine dignare: ponitur 1) pro תעלה *aquaeductu, canali,* verum canales et fossae non unum idemque sunt. 2) pro משרפות *combustionibus aquae* Jos. XI, 8. quod nomen infra suo loco vide. *Aquas* hi *calidas*, illi *salinas*, in quibus ex aqua sal excoquitur, intelligunt: sume utrum velis, nomen Chaldaicum ab *urendo* vel *ardendo* ductum erit. Vide pag. 942. II. حَرَضَ significat. 5. Certe nec aquae calidae fossae sunt, nec, ut magno hic errore aliqui credidisse videntur, salinae: in ripa maris mortui, aut litoribus Oceani australis, salsugo maris fossis excepta solis aestu excoquitur, salem relinquens, neutiquam in litore intimo maris mediterranei, parum salsi, de cujus vicinia Jos. XI, 8. sermo. – – Thalmudicae linguae usum pro argumento ponit Kimchius, in qua occurrat, חריץ שבין שתי חצרות *discrimen inter duo atria*, quae fossa fuerit, itemque, חריצים ונעיצים (Mikvaoth c. 5.) quod vertere solent, *lavantur in fossis et foraminibus.* Sed nec hoc exemplum certum, cum *balnea* possint intelligi, ab aqua calida dicta. – – Ergo fossae significationem, atque omnem universim munitionis, abdicemus.

Syrus ܒܫܘ̈ܩܐ *plateas* vertit, ex alia vocabuli lectione, חוץ, nec tamen dixerim, eum ita in suo exemplo Hebraico habuisse, forte enim, cum חרוץ sententiam nullam funderet ad seriem orationis aptam, חוץ legendum esse conjecit, perquam ille verisimiliter, egregiaque sententia: *aedificabitur in urbis morem, cum foro et plateis.* Nullus tamen suffragatur codex Hebraicus.

Mihi

Mihi quoque lectio suspecta, cujus, fateor, nullam sententiam philologice verisimilem eruere possum. Aut Syri conjectura probanda, aut codicis unius lectio, תרוץ, quod vocabulum quaere sub ת.

5) חרוץ nomen vitii corporis, ob quod victima non admittitur, fitque altari inepta, Levit. XXII, 22. ignorantiam fassus, in dubiis obscurisve relinquo. Magno quidem consensu interpretes, cum veteres tum recentiores, verbi significationem sumunt, *secare, caedere, incidere*, nullo ut supra dixi usu linguarum Orientalium firmatam. Obloqui his omnibus prope inverecundum, ut pene vereri incipiam, ne injuria hanc verbi notionem repudiaverim: sunt tamen inter se ita discordes, in membro, quod fissum sit, definiendo, ut cui adsentiaris, non habeas, nisi talorum experiri jactu velis. Generatim Arabs Erpenii, مقطوع, *sectus, truncatus, amputatus*, aut quidquid ex hac versione facere lubeat, Syrus ܦܣܝܩܐ *sectus*: — — *cicatricem habens*, Vulgata: — — γλωσσότμητον, *cui lingua incisa, vel excisa est*, LXX — — مبتورة, Arabes, nisi fallor, *cui cauda resecta est*, a بتر *secuit*, indeque semipassive, بتر *cauda caruit*: — — Thalmudici, a Raschio ad h. l. et a Kimchio in libro radicum citati, ריס של עין שנסדק או נפגם או שפתו שנסדקה או נפגמה, *cui supercilium* (vel *palpebra*) *oculi*, aut *labium scissum vel ruptum est*.

Multo jam forte lector ab his incertior recedit. Bene factum! sentiat, credat, se aliquid ignorare, nec ex incerto nomine aliis certioribus suppetias ferat. Ipse quoque ignorantiam profiteor. Conjecturas dare possum, aeque verisimiles, sive adeo, quod etymon non sumerem aut confingerem, minus etiam reprehendendas: sed earum pudet, nihil certi habeo, nihil verisimilis.

חריץ ברזל *tribulum ferreum*, 2 Sam. XII, 31. Amos. I, 3. 2 Paral. XX, 3.

Vocabulum, ter, eadem constructione cum ברזל, eodemque filo orationis obvium, de suppliciis enim, quae victor more Asiatico a victis exigit, ubique sermo: unde fas est, eodem significatu, quo in Amoso, et in libris historicis accipere; manifestique est, a quo sibi interpres caveat, studii partium, aliter accipere, ubi de Davide, quam ubi de Damascenis victoriae jure saevius abutentibus legitur. Notandum tamen ante omnia de flexione et scriptione, pluralem in Amoso femininam terminationem habere, חרצות, in libris historicis masculinam, חָרִצֵי ברזל, deinde, in Paralipomenis, ab uno si codice discesseris, plene scribi, חֲרִיצֵי, at reliquis locis in textu nostro defective, 1 Sam. XII. חרצי, sed cum varietate lectionis 24 codicum חריצי, inque Amoso חרצות, sed undecim codices cum Vau חֲרוּצוֹת vel חֲרוּצֹת habere.

Verissima mihi videtur consveta sententia, חריץ idem esse quod חרוץ *tribulum ferreum*, ac pro saevo illorum temporum jure belli, victorum corpora tribulis, ferreas rotas aciesve habentibus, subjecta. Insigni argumento est verbum דוש *triturare*, in tribulis proprium, quo Amosus utitur, *quod triturarunt tribulis ferreis Gileaditas*: in libro adeo chronicorum non pauci, ut diximus, codices, חרוצי, i. e. manifeste tribula habent. Praeiverunt ex antiquis Chaldaeus, ubique מורגין interpretatus, in Amoso Vulg. *plaustris ferreis*, et Theodotion, *τροχοῖς σιδηροῖς rotis ferreis*, — — in libro Samuelis, LXX ἐν τριβόλοις, Vulg. *circumegit super eos ferrata carpenta*, — — in Paralipomenis Vulgata, *fecit tribulas*, et *trahas* et *ferrata carpenta super eos transire*. — — Forte et huc referendum, quod Syrus in Amoso habet, ܕܕܫܘ ܒܡܣܡܪ̈ܐ ܕܦܪܙܠܐ *triturarunt clavis ferreis*, dicto tribulo

lo ab aciebus ferreis ei inditis: ſic certe ſvadet *triturandi* verbum, quod niſi obſtaret, poſſes etiam nulla tribuli habita ratione ad خريص *cuſpis*, pag. 943. n. 9. referre.

Nec mitigare artificioſa interpretatione Davidis in Ammonitas aut ſeveritatem velim aut crudelitatem, tribulis ferreis victos Ammonitas ſubjicientis: pro ſui enim temporis ſaevo jure de victa gente, Iſraelitis inimiciſſima, violati juris legatorum rea, ſtatuit, quae ſi victrix fuiſſet, non mitius Iſraelitis uſura videbatur. Haec quidem in jure Moſaico §. 64. diſputata. Sed aliter viſum Dantzio, antiquum jus belli ex noſtro exiſtimanti, et partium Davidis ſtudioſiori, in diſſertatione *de mitigata Davidis in Ammonitas crudelitate*, qua et apud exteros una omnium maxime nobilitatus eſt, ac plerorumque lectorum tulit ſuffragia. Nempe ut hanc a Davide ſaevitiae in victos maculam abſtergeret, חריץ a fodiendo *fodinas ferri* interpretatus eſt, ut ad metalla ſint a victore rege damnati Ammonitae. Quod quidem, ut illa taceam, quae in jure Moſaico oppoſui, hic quidem ne philologice quidem probare has ob cauſſas poſſum.

1) Nullo certo argumento *fodiendi* et *foſſae* ſignificatio aut gratis ex conjectura ſumta, aut Judaeis credita: ut taceam, foſſas, et metalli fodinas, rem non eandem eſſe.

2) Obſtat interpretationi plane novae parallelus Amoſi locus, ſine dubio de jure belli agens, quo victores in victos uti ſolebant, ubi ob verbum דוש *triturare*, omnino *tribula* intelligenda, non fodinae ferri.

3) Redundat, languet, impedit legentem, hac interpretatione admiſſa, nomen ברזל *ferri*, quod uterque hiſtoricus habet. *Ad metalla* damnari, in poenis eſt, ſed quid erat, cur adderetur, *ad ferri* fodinas? Nullum enim ex omnibus metallis innocentius his qui

aut effodiunt, aut in fornacibus excoquunt. Videas in ferri et fodinis et officinis operarios ſanos, robuſtos, et longaevos: cum alia metalla, aut ſponte ſua, ut, plumbum, cuprum, argentum vivum, aut ob admixta venena, arſenicum, plumbum, inſalubria ſint aut exitialia. Ergone Davides reliquis metallis cives, ferri fodinis, hoſtes victos, juris legatorum violati reos, deſtinaverit? Ignoraſſe videtur metallorum naturam, idque in erudito non medico facile ferendum, qui haec ſibi nova reperiſſe videbatur.

Fuit tamen jam ex antiquis, qui Davidis crudelitatem mitigaturus, aliam nomini commentus eſt notionem, Syrus, utrobique et in Samuelis libro et in chronicis, ܩܘܠܪ̈ܐ *collaria, vincula collo injecta*, vertens, in quibus circumduci per urbes ignominiae cauſſa facit Ammonitas. Difficile dictu ac forte conjectu, quomodo ad *vincula collo injecta* devenerit. Suſpicionem ſi promere liceat, a ܚܨ̈ܐ *lumbi*, aut noverat in ſua lingua, aut comminiſcebatur, aliquod verbum חרץ, *lumbos accinxit*, (ut Hebraei habent חלץ) idque deinde omni latitudine *ligandi* accepit, ut vel poſſent ab eo vincula dici collo indita. Conjectura ſi fallor, ipſe ſibi Syrus conſulat.

LXX interpretes Amoſi et Paralipomenorum omitto, quod jam video loquaciorem, quam vellem, factum me eſſe: indico tamen, ut, ſi quis cupidus ſit, adeat et de illorum verſione diſputet.

חריץ חלב *mulſio lactis*. 1 Sam. XVII, 18.

Ἅπαξ λεγόμενον in pericopa occurrens ſuſpecta (*), ac quae forte recentioris eſt poſt exſilium aevi interpolatio, ſatis verti unanimiter,

(*) 1 Sam. XVI, 12-31. Vide Kennicottum *on the printed Hebrew Text* p. 418. ſeqq. ejusdemque *diſſertationem generalem in vetus teſt.* p. 9. noſtramque biblioth. Or. T. XX. p. 30-32.

ter, *caseus*, solet, praeeuntibus, ut videtur, LXX, τρυφαλὶς, (quo de vocabulo vide Bielii lexicon) Vulg. *formella casei*, (nempe חלב caseum interpretabatur, חריץ *formellam*, seu fiscellam ex qua caseus exprimitur: vide Bocharti hieroz. T. I. libr. II. c. 33. p. 316.) Chald. et Syrus, גּוּבְנִין. Est tamen perquam suspecta mihi versio, has quidem ob caussas:

1) primo, quod aut usu linguarum orientalium, atque adeo etymo omnino caret, aut, si cum Bocharto, literarum כ et ח permutatione ad كريص *caseus mollis* referre velis, alia possit eodem jure significare, de quibus postea dicam.

2) quod plurimae, quae citantur, veterum versiones duplicem interpretationem admittunt: גובנא enim ac τρυφαλὶς et *lac coagulatum* significare possint, a גְּבַן τρέφομαι, *concresco*.

3) denique, quod absurdiuscula phrasis, *casei lactis*, quasi vero et ex aliis liquidis, aqua, vino, oleo, casei confici soleant. Hoc quidem argumentum eo valet, non, ut dubia sit recepta in omnia lexica notio, sed ut aut falsa aut veri dissimillima, nisi casei nomen ea latitudine accipias, ut alia complectatur ex lacte non facta, casei quodammodo similia.

Ergo tota ab integro quaestio retractanda.

Vel Arabicum lexicon de חריצי חלב consulenti ultro se offeret, (mirum, quo modo negligi a lexicographis potuerit! sed non dubitantes, nec inquisiverunt) خَرَضَ *lac omne emulsit*, unde *decem* חריצי חלב erunt, *decem emulsiones lactis*, mensura aliqua, ut ex numero adjecto liquet, i. e. tantum lactis, quantum una emulsio ovis praebet.

Unum aut mirari possis, aut suspectum habere, quod haec verbi خرض significatio cum reliquis, quas supra attulimus, aut lexica habent Arabica, ne remotissimo quidem cognationis gradu conjuncta vide-

videtur. Hic quidem aliquando cogor, permutationem literarum כ et ח admittere, rariſſimam alias et inſolitam Arabibus (*), de qua me Bochartus, alia omnia inde efficiens, admonuit. مِكْرَص *mulctrale, vas vel uter in quo lac mulgendo excipitur*, apud Golium p. 2906. Camuſi auctoritate adlatum legens, quis dubitare poterit, quin حَرَض *mulgere*, ſignificationem a كَرَص mutuam acceperit. Ex eodem vero et Golio, ſeu potius Camuſo diſcimus, nomina derivata in inſpiſſato aut acido lacte propriam vim obtinere: ſic كَرِيص eſt, *cibus ex lacte acido acidisque herbis* كُرَاطِيط *et* حَبِيصِيص, *vel ex lacte et oxalide ſimul coctis* (qua coctione inſpiſſantur) *cujus in aeſtate uſus eſt*, — — *lac acidum admixtis dactylis*, unde et denominativum, كَرَّصَ *commiſcuit lac cum dactylis.* Jam ergo puto, חריץ eſſe, *certam menſuram*, forte quantum ex una mulſione prodire ſolebat, *lactis*, *ſive inſpiſſati*, quem in finem herbis uti Arabes ſolent, atque adeo Germani, eas *Labekraut*, *herbam inſpiſſatoriam*, dicentes, ſive *acidi*.

Caeterum ſunt in pericopis 1 Sam. XVII. XVIII. quas interpolatas cenſeo, et alia ſequioris Hebraismi indicia, unde nec mirum חריץ in ſignificatione reliquis libris ignota, ac per ח loco כ ſcriptum, hic reperiri.

חַרְצֻבּוֹת Pſ. LXXIII, 4. Jeſ. LVIII, 6.

Rarum atque obſcuriuſculum vocabulum, in quo deſtitui videbamur a linguis ſororiis, niſi feliciter ut puto admonuiſſet Simonis de Arabi-

(*) Error eſt, ex more Judaeorum ſuis literis Arabica ſcribentium ortus, quod Bochartus habet T. I. hierozoici p. 316. *Arabes, quibus ſolenne eſt* ح et ك *permutare.* Vide grammaticam noſtram Arabicam §. 6.

Arabico حضرب, transpositis sive usu linguae sive errore librariorum literis, ipse tamen hoc invento non satis usus: officiebant verisimiliora eminus videnti commenta etymologica, Hilleri et Schultensii, contra omnem veterum auctoritatem *dolores* vertentis, atque componentis ex חרץ, quod sumebat esse, *secuit*, et, חצב, vel צבב. Vide hujus (Schultensii) institutiones linguae Hebraicae p. 311. Mihi quidem utrique loco Hebraico ita aptum videtur حضرب ut vix possim cum Hebraico, non obstante literarum transpositione, idem putare. Est illud Arabibus, teste Golio p. 624. (ipse enim non legi), *valde tetendit arcum*, *valide constrinxit torsitque funem*, pro quo et, iisdem manentibus significationibus, حَرْضَمَ dicunt, Gol. p. 620. et حظرب p. 627. Prima in arctius adstringendo loro vis verbi esse videtur, translati etiam deinde ad acerba, palatum edentis constringentia, ut حصرم *fructus acerbus vitis*, *aliusve arboris*, *omphax*. Jam haec vel tentandi animo transferamus ad duo codicis Hebraici loca.

Jes. LVIII, 6. חרצבות רשע *vincula* erunt *injusta*, quae solvere (פתח) oportet grate Deo et accepte jejunantem; i. e. *injuste vinctos liberos dimittere*. In vocabuli versione consentiunt veteres omnes, licet in sententia dissentientes, ac de abrumpendis conjurationibus ad mala, vel alio modo intelligentes: LXX λύε πάντα σύνδεσμον ἀδικίας, Syr. ܚܘܫܒܐ ܕܥܘܠܐ, Vulg. *colligationes impietatis*, pauloque liberius ac paraphrastice כנישת רשעא *congregationes* vel *societates injustas* Chaldaeus.

In psalmo LXXIII, 4. non ita unanimes veteres, ac de ignoto conjecisse vocabulo videntur. LXX perquam obscure ἀνάνευσις, exque illis Vulgata, *respectus*, quod Hesychius, *reditum in vitam*, *vel quietem* interpretatur, (ἀναβίωσις, ἀνάπαυσις, ἀνάνηψις) hac sen-

 tentia,

tentia, a filo orationis, felicitatem malorum admirantis, aliena, *non quietem vel in morte illis concedi*, (sic et ex illis Arabs) vel, *ex morte non resurrecturas esse.* Syrus, ܠܐ ܫܘܚܠܦܐ *non terminus*, fatalis nempe, est morti ipsorum, forte ex significatione *decidendi*, qui verbo חרץ tribui solet. Hieronymus et Chaldaeus *cogitationes*, ex mera conjectura: *quod non recogitaverint de morte sua.*

Mihi quidem hic, *tensio arcus*, egregie apta videtur: *non sunt morti ipsorum tensiones arcus*, i. e. *non tetendit in illos arcum* sive mors, sive Deus, sive fortuna, *ad mortem*, salvi, incolumes, securi, longaevi vitam agunt, telorum mortis (Ps. XCI, 5.) securi. — — Quod ni placeat, possis et tentare, *acerbitas*, *morti illorum nulla acerbitas*, *placide moriuntur*: sed filo orationis non aptum, pergit enim adhuc vates felicitatem hujus vitae describere, necdum ad mortem beatum sceleratum comitatus est.

חרצנים Num. VI, 4.

Ἅπαξ λεγόμενον incertae adhuc significationis, cum זָג compositum, et ab eo distinctum, de quo vide pag. 587. 588. dicta

1) *Acinos* plerumque interpretari solent, praeeuntibus Chaldaeo, et Arabe Polyglotto, (Saadia) qui פֻּרְצְנִין, et فُرْصُن verterunt. Sunt autem Thalmudicis פרצנין *acini*, ex quibus oleum aliquod parari supra pag. 588 dictum. Possim et etymon addere non improbabile, a حرص (p. 941.) *frangere*, *comminuere*, *commolere*, hic de *pressione ac calcatione uvarum in torculari* posito, cujus calcationis reliquiae, atque, ut Judaei dicunt, *faeces*, (פסולות ענבים) sunt *acini.*

2) Proximus ab his Syrus, prope harmonice literisque modo transpositis, ܚܨܪܐ *calcatas jam et expressas uvas*, vertens, quod nomen a Chaldaeo pro sequente זג ponitur. In eandem sententiam LXX,

LXX, ſed paulo etiam clarius ac diſtinctius, οἶνον ἀπὸ στεμφύλων, i. e. *vinum ex uvarum expreſſarum retrimentis factum.* Et hic etymon idem, quod jam dixi حرص, offert, *calcando comminuta et fracta uvarum.* Obſtat tamen vino ex uvarum expreſſarum retrimentis, quod, ut p. 588. monui, Moſi de eo ſermo, quod comeditur, non, quod bibitur.

3) *Uvam paſſam*, ab omnibus aliis ſecedens, vertit Vulgata, nullo linguarum orientalium ſubſidio, ex mera conjectura.

Equidem p. 588 ipſe quoque conjicere auſus eram, חרצן eſſe *quod poſt primam calcationem*, זג quod poſt ſecundam, de uvis ſupereſt, poſſimque jam et Syrum et Chaldaeum citare praeeuntes, quorum ille חרצן hic זג, *calcatas uvas* vertit. Querebar, etymon deeſſe, ſed illud ſe jam obtulit, حرص *comminuere*, calcando aeque aptum, ut molendo. Alterum dubium, *poſſitne edule ex uvis calcatis parari*, nondum expedio.

חרר Pſ. LXIX, 4. quaere ſub נחר.

חרי Geneſ. XL, 16. vide ſub חורי p. 696.

חרי *nobilis.*

Notiſſimum nomen referendum ad حرّ *liber fuit*, indeque et, *nobilis fuit*, *nobili ſtirpe progenitus fuit.* Syris ܚܪ *liber fuit*, in Pael, ܚܪܰܪ liberavit, ܚܐܪܐ, *liber*, *ingenuus*, *nobilis*, *illuſtris.* Cave ergo cum aliis referas ad חור *albus fuit.*

חרשׁ, *arare*, *cuſtodire*, *mutum ac ſurdum eſſe*, *ſcabere*, *fabricare.*

Plures complectitur ſignificationes, quas ſub unam cogere verecundiae eſt: tentavit quidem Stockius generalem *incidendi* ſignificationem, ſed gratis ſumtam, linguisque orientalibus ignotam. Hic quidem

dem omnis labor non inanis ſolum, ſed et aliquam prodit linguae Arabicae inſcitiam, aut incogitantiam. Nempe plura ſub his literis Hebraicis verba concurrunt, ſono, Arabibusque etiam ſcriptione ac punctis literarum diacriticis, diverſa.

I) Notiſſima *arandi* notio, quam Arabes pro lege ſuae linguae ſub حَرَثَ habent, quia Syri ש in ת mutato ܚܪܬ ſcribunt, quamquam hoc verbum Syriacum non aeque ut Hebraicum frequens. Frequentius apud Syros nomen proprium inde ortum, ܚܳܪܶܬ, *Aretas*, ut apud nos, *Bauer*, Hebraice חוֹרֵשׁ. Verbum Arabicum cum ſuis derivatis, in Caſtelli lexico, uberiore, et exemplis probantibus firmato, malim evolvi quam in Goliano.

II) حرس *cuſtodivit*, quod quidem ut verbum Hebraice non habemus, enotandum tamen cenſui, quod ad derivati nominis interpretationem eo forte opus habiturus ſis.

III) خَرِسَ *mutus fuit*, أَخْرَسُ *mutus*. Huc חֵרֵשׁ *mutum*, et, *ſurdum*, referes. Habent et Syri ܚܪܺܫܳܐ eadem muti ac ſurdi ſignificatione.

IV. et V) حرش *aſperitatis* notionem habet, unde et tribulorum ac carduorum aliquas ſpecies dicunt: et خرش eſt, *ſcabere*, *unguibus*, *ferro* &c. Huc quidem חֶרֶשׂ *teſtam*, et חֶרֶס *ſcabiem* (Deut. XXVIII, 27.) retuleris.

VI) Supereſt jam conſveta Hebraeis ſignificatio, qua Arabica lingua caret, *fabricandi*, unde חָרָשׁ *faber*, *ferri*, *aeris*, *lignorum*, *lapidum*, *ſculptor gemmarum*. Exempla ordine diſpoſita in lexico ſuo dedit Stockius. Recte et vere haec ſub unam, *artificis*, *artis periti*, notionem alii jam collegerunt, ut, Coccejus: manifeſtum enim nec a cudendo, metalli fabros, nec ab aſciando, lignarios, nomen accepiſſe.

pisse. Ergo idem nomen commune cum Hebraica habere videtur Aramaea, sed in deteriorem plerumque partem accipiens, *praestigias* inde et *magum* dicens, quod quidem per omnes ejus dialectos, Chaldaicam, Syriacam, Samaritanam pertinet. Unde autem dictus *artifex*, quod nomen primitivum omnino esse nequit, non expedio Arabiaque plane hanc significationem ignorante, suspicor, exoticum esse, forte ex aliqua linguarum barbararum septentrionis in Aramaeam Hebraicamque susceptum, ut saepe in artificiorum aut superstitionum nominibus contingere solet. Sed nihil definio, ac ne quidem in ulla lingua barbara hunc sonum hac significatione inveni. Contulerunt aliqui Graecum χαράσσειν, *sculpere*, illi forte quidem, quod omnes ex una linguas ortas ac cognatas arbitrabantur, quae mihi quidem cognatio suspecta: at Graeca vocabula aliqua, ut λάμπας, παλλακὶς &c. commerciis Phoenicum cum Graecis illata Orienti linguaeque Hebraicae esse non nego, quamquam difficile est, in his et חָרָשׁ numerare. Mosis tempore, qui jam חרש hac significatione habet, nondum artibus exculta, ac prope barbara erat Graecia, ut vix verisimile sit, artificem Graeco nomine dicturos fuisse Phoenices, licet cum formosis puellis ex Graecia aut raptis aut emtis παλλακίδων nomen (פלגשים) in Asiam transferrent. Existiment alii.

חֹרֶשׁ, חֹרְשָׁה 2 Sam. XXIII, 15. 16. 18. 2 Paral. XXVII, 4. Jes. XVII, 9. *silva aspera?* an, *munimentum?* Ezech. XXXI, 3.

Quatuor locorum, ex quibus nomen citatur, diversa ratio. In Jesaia pro החרש והאמיר LXX sequutus legendum puto, החוי והאמרי, sicque recentiorum plures: vide bibliothecam Orient. T. V. p. 175. XIV. adpend. p. 21. Hic ergo locus prope delendus, et tamen dicendum, quem consveta lectio sensum fundat, nec illi injuria inferenda. – – 1 Sam. XXIII possit nomen proprium esse, idemque cum

cum חרת capitis XXII, 5. quod mihi versionem germanicam condenti visum fuit verisimilius. (Vide infra חרת) Nec sine varietate lectionis חרש erat, LXX enim, *καινὴν* vertentes, חדשה legisse videntur, ut in Jesaia pro החרש tres Kennicotti codices החדש habent. Hanc quidem lectionem consvetae praeferre neutiquam allubet, admoneo tamen de ea, quod iniquior hic graeco interpreti Coccejus adscripsit: *quis non videt, hariolationem esse?*

Sumta autem veritate lectionis, et sumto, nomen non proprium sed adpellativum esse, duplex, ut mihi quidem videtur sese offert nominis חֹרְשָׁה, et חֹרֶשׁ interpretatio:

1) ea, quae in lexicis late regnat, ex Vulgata a Reuchlino sumta, *silva*. Adfertur pro illa Chaldaicum חוּרְשָׁא sed linguae Syriacae ignotum, quod *silvam* interpretantur, coll. Ps. LXXX, 14. Jerem. IV, 29. ubi pro יער et עָבִים (*densis*, ut volebat Chaldaeus *silvis*) ponitur. Derivationem si quaeras, referes ad *asperitatis* notionem, quam sub حرش habuimus. Praeiverunt, in libro Samuelis Vulgata, eademque in Ezechiele, sed adjectivo nomine usa, *frondibus nemorosus*, in chronicis LXX et Vulgata, in Jesaia Symmachus. Est ergo haec significatio paulo incertior, Chaldaica Rabbinorum lingua a Syriaca destituta, unde suspicio, Rabbinos ex sua locorum Hebraicorum interpretatione linguae Chaldaicae intulisse: caeterum egregie apta loco Ezechielis, ubi cedrus dicitur חֹרֶשׁ מֵצַל, *silva obumbrans*. Sub cedro qui est, late ramos extendente, in silva sibi esse videtur: nec video, quam ei aliam aptare notionem queamus. Ad sensum Syrus, ܥܒܝܬ ܛܠܠܗ *densa est umbra ejus*, anonymusque Graecus, *πυκνός*. At minus apta ad 2 Paral. XXVII, 4. ubi Jothamus, Judaeae rex, in qua rarae silvae, *palatia et turres exstruxisse dicitur in* חֹרָשִׁים.

2) a

2) a حرس *custodivit*, חרש esse possit, *locus custoditus*, *munimentum*. Sic mihi accipiendum videtur 1 Paral. XXVII, 4. *in munimentis*, (munitis urbibus, vel castellis) *exstruxit palatia*, *et turres*. Praeivit Chaldaeus interpres, בתקוף כרכין *in munitionibus castellorum aedificavit* &c. (*). Ipso in Samuelis libro, nisi חרש, ut reor, nomen proprium sit, malim *munimentum*, quam *silvam*, vertere, atque idem Davidis fugitivi fortalitium intelligere, quod alibi מצד vocatur.

Sunt aliae praeter has notiones, quas interpretum aliqui vocabulo dederunt, ut

1) *rami*. Sic quidem Chaldaeus Ezech. XXXI, 4. vertit, forte, ut solet, paraphrastice, rem, non verba exprimens. Arripuit Vitringa, indeque et Jes. XVII, 9. חרש ramum fecit.

2) Syrus in libro Samuelis ܡܕܒܪܐ *desertum*, ex conjectura, nihil enim ejusmodi habent linguae Orientales.

In loco, quem male descriptum ad nos pervenisse reor, Jes. XVII, 9. magna interpretum, החרש והאמיר legentium divergia, quorum partem his in commentario verbis indicavit Hieronymus: *miror pro ARATRIS ET ACERVIS FRUGUM* (sic interpretabatur, חרש ad חרש *aravit*, referens, et אמיר cum עמיר confundens) *voluisse Aquilam interpretari*, *testam et Emir*, *LXX Amoraeos et Evaeos*. (Atqui hi potius aliter, ac verisimilius, legerunt, החוי והאמרי). *Solus Theodotio Hebraicum verbum posuit*, *ARS ET EMIR*, *quod apud nos emendatius legitur*, *HORES ET AMIR*, *id est*, *vomeres et acervi segetum*. His addo: pro nomine proprio et Syrus habuit, ܥܘܡܪܐ ܕܚܘܪܫܐ ܘܕܐܡܘܪܝܐ, i. e. ut Ephraemus in commentario intellexit, *vallis*

(*) Etiam Jes. XVII, 9. Chaldaeus כרך *castellum*, vel, *urbem munitam* vertit.

vallis Charsch et Emir, quas valles putat trans Jordanem fuisse (*). Male in Polyglottis vertitur a Gabriele Sionita, *cisterna, quae derelicta fertur.* — — *Ramos* סוכין habet Chaldaeus in Ezechiele, forte paraphrastice, *silvam cedri obumbrantem* demta imagine *ramos* interpretans: hoc tamen ad Jesaia locum transtulit Vitringa, nullo linguarum Orientalium consensu firmatum, exque solo Chaldaeo, forte ne recte quidem intellecto, sumtum. Facessant ergo, *rami*, et, qui sola conjectura in loco Jesaiae usus est, linguarum Orientalium valde imperitus, Clerici, *terra relicta dumetis et fruticibus.*

חָרַת *exaravit* Exod. XXXII, 16.

Verisimillime jam monuit Coccejus, idem esse, quod חרש, eodem modo positum Jerem. XVII, 1. Nempe pro חרש *aravit*, Syros ܚܪܬ, ac medios inter utramque linguam Arabes حرث habere, p. 962. dictum.

חרת *perforavit*, חרית Jerem. XXXVII, 16. ex var. lect. *carcer sub terra excavatus.*

חרת ipsum, non ex permutatione literarum ש et ת ortum, propriam habuisse videtur significationem perforandi, ut Arabicum خرت *perforavit*, (Syriace ܚܪܬ *excavavit*) unde خُرْت *foramen*. In codice Hebraico, qualem a masorethis accepimus, non occurrit, at Jerem. XXXVII, 16. pro החנויות LXX החרית legerunt, καὶ εἰς τὴν χερέθ, quod quidem egregie ibi locum tueri possit, *foramen, carcer sub terra excavatus.* Sic et Syrus legisse videtur, vertitque *fenestras foveae,*

(*) Habet Golius, p. 593. collem aliquem حارث, in monte Syriae *Gaulan* dicto: sed vix puto ita peritum minutulae etiam geographiae ciseuphratensis fuisse Ephraemum, ut de eo cogitarit. Conjecit, aeque ut Syrus interpres, de ignotis.

foveae, (*dejecerunt eum in foveam per fenestras foveae*). Nullus tamen consentit codex Kennicottianus.

חֲרֶת 1 Sam. XXII, 5.

Dubium vocabulum, copia bonarum, quae se ultro offerunt, neglectae ab interpretibus, explicationum: possit enim esse, sive

1) adpellativum, *foramen*, *specus subterranea*, a praecedente חרת *perforavit*, *excavavit*, et, יער חרת *silva speluncam habens subterraneam*, in qua David cum suis latuit. Perquam id historiae Davidis aptum:

2) sed et nomen esse proprium possit, ut LXX acceperunt, (male בעיר *in urbe*, pro ביער legentes) *ἐν τῇ πόλει* Ἀριώθ. Sic quidem putem, notissimum esse et usitatissimum Arabibus Syrisque nomen, *Aretas*, his literis scribi solitum ܚܪܬ, حَارِث, Hebraice scribendum, חוֹרֵשׁ *arator*: vide pag. 962.) Quod si est, חרת in hoc capite, et חֹרְשָׁה in sequente, unum idemque nomen proprium erunt, *silva Aretae*, et, *tractus ab Areta cognominatus*, jam more Syrorum scriptum jam Hebraeorum. Pro nomine proprio et Syrus habuit, sed Aretae nomen, suae genti usitatissimum, non detexit: ܥܒܐ ܕܚܪܝܘܬ, manifestum enim librariorum aut editorum vitium, quod in Polyglottis legitur, ܚܪܘܬ: Arabs ex Syro vertens, R, habet, sed alio iterum modo a librariis depravatus, خرنوت (silvam *siliquarum*, pro حريوت.

חשב *cogitavit*, *supputavit in rationes redegit*, *imputavit*. Num, *suffecit?*

Idem Arabico حسب, eadem fere significanti, et Syriaco ܚܫܒ, adeoque minime dubium. De uno quidem loco Ps. XL, 18. יהוה יחשב לי, in collegio critico p. 445. 446. aliquid novi tentavi, non quod

quod necesse esset, fateor, sed quod egregie filo orationis aptum: possis vertere, sive, *Jehova cogitat de me*, i. e. curam mei suscipit, sive, *in rationes refert mihi* omnia adversa, et mihi rependet. Nihil horum repudiandum, Arabes autem cum habeant, حُسْبِي بِاللّه *computus meus est in deo*, i. e. *deus solus mihi sufficit*, ausus sum et in psalmo vertere *miser quidem et oppressus sum; sed Deus sufficit mihi.* Rectene fecerim, dubito: sed exponendae versionis caussae, et judicium lectoribus integrum servandum.

חֵשֶׁב *cingulum*, Exod. XXVIII, 8. 27. 28. XXIX, 5. XXXIX, 20. 21. Levit. VIII, 7.

Dubitari nequit, quin *cingulum* sit, quo pallium humerale corpori sacerdotis circumligabatur, ut verterunt, Chaldaei, הֶמְיָן, Syrus ܗܡܝܢܐ, Arabs Pol. شَغْشَغ *taeniam*, Erpenianus, حِزَام *taeniam*, Josephus, Ant. III, 7. 6. simpliciter ζωνήν. Vide et *Braunium de vestitu sacerdotum*, libr. II. c. 6. §. 9. Solum latere etymon videtur, quod enim adferunt, a *cogitando*, et *artificio*, cingulum dici artificiose contextum, nunquam mihi satisfecit: reliquae vestitus sacerdotalis partes non minus artificiosae, a quibus quomodo distingui, *artificii* tanquam proprio nomine cingulum potuerit, assequi nunquam valui. Suspicari ergo coepi, חֲבָשׁ, *ligatura, ligamen*, scripsisse Mosen, a חבש ligavit: sed nullus suffragabatur codex Kennicottianus. Estne ergo conferendum cum حَشِيب et خَشِيب, *tela grossior*, a خشب *sine arte aut studio, rudi Minerva aliquid facere*, in XI. *crassus fuit*, in XII. *asper et impolitus fuit*, أَخْشَب *asper, crassus?* N. L.

חֹשֶׁךְ *caligo.*

Sciendum, hoc vocabulum, cum suis derivatis, quo et verbum denominativum refero, Hebraeis frequentissimum, ut et sequens חשך, linguam Hebraicam cum sola commune habere Aramaea. Ignotum utrumque Arabibus, quibus forte periit, duas enim radices خسك et خشك in lingua Arabica desideramus, certe in lexicis non leguntur, nec in libris reperi, superstitne aliquid earum in lingua communi? in dialecto alicujus provinciae? ignoro.

Ne suspiceris, puncta in his verbis male posita, unumque et idem esse חשך et חשך, caligine a cohibitione lucis dicta, notatu et hoc dignum, Syros distinguere, nostrum ܚܣܟ scribentes, alterum ܚܫܟ.

חשך *prohibuit, cohibuit.*

Et hoc verbum soli, ut dixi, Aramaei habent, eadem qua Hebraei significatione, non Arabes. Aramaeis cum frequentius sit, forte ex illorum usu aliquid novae lucis transferri ad aliqua Hebraici codicis loca possit. Chaldaeis inter alia est, *imminuere*, et חֲסִיךְ *minutum.* Ergone Jobi XVI, 5. *commiseratio labiorum meorum* (condolentis amici vox et solatium) *cohibebitur?* an — *pauca erit?* — — et v. 6. *non cohibebitur*, an, *non minuetur dolor meus?* Non multum interest, nec liquet.

Cohibitus Syris et in bonam partem est, *immunis a tributo, labore, malo:* 1 Reg. XV, 22. ܠܝܬ ܕܚܣܝܟ *non immunis erat a labore:* Sirac. LI, 2. ܦܪܩܬ ܢܦܫܝ ܡܢ ܡܘܬܐ ܘܚܣܟܬ ܦܓܪܝ ܡܢ ܚܒܠܐ *eripuisti me ex morte, et cohibuisti corpus meum a corruptione.* Act. XXVII, 21. ܡܫܬܚܣܟܝܢ ܗܘܝܢ ܡܢ ܚܘܣܪ̈ܢܐ ܘܡܢ ܐܘܠܨ̈ܢܐ ܗܢܐ *immunes fuissemus ab his malis* (paraphrastice pro, *κερδῆσαι τὴν ὕβριν ταύτην καὶ τὴν ζημίαν*). Possis ergo

ergo Job. XXI, 30. ליום איד יחשך tentare, *a die infortunii immunis*, vel, *exemtus est*: sed abdico ob constructionem, Syriacum enim, ubi immunitatem ab adversis significat, cum ܡܢ A, hoc cum ל AD construitur. Ergo his adsentior, qui vertunt: *sepositus est et servatus ad diem infortunii*, jam quidem ab eo intactus, sed ei destinatus ac tanquam incarceratus. Sic Vulg. *servatur*, Syrus ܡܬܚܦܛ exque eo Arabs يُحْفَظ Chald. יתכבש, Symmachus συντηρήσεται. (Quod hic habent LXX κουφίζεται, *in altum tollitur*, nempe, ut lapsu graviore ruat, mere conjecturale, cum sententiae vim non adsequerentur: nec ulla in codicibus Hebraicis hucusque excussis lectionis varietas).

Caeterum Arabicum حشك contrariam prope vim *abundantiae* obtinet, quod quomodo evenerit, non constat. Antiphrasis exemplum poni ab his possit, qui antiphrasin credunt, turris Babylonicae confusione dignam: sed meminerimus, duo nobis Arabica verba primae rad. خ periisse, quorum forte alterum Hebraico Syriacoque *cohibuit* concinebat. Antiphrasis si qua sit, mallem esse inter cognata verba *Hhasach* et *Chasach*, quam inter unum idemque.

חשל Deut. XXV, 18. *debilis fuit*, Dan. II, 40. *malleavit*.

De חלש supra dicentes, p. 803. ἅπαξ λεγόμενον חשל, Deut. XXV, 18. suo loco servavimus. Nec corrigenda, sed confirmanda lexica, quae *debilitatis* notionem verbo dederunt, כל הנחשלים אחריך *omnes debiles post te*, i. e. qui fessi aut aegroti agmen sequebantur, praeeuntibus, LXX κοπιῶντας, Vulg. *lassi*, Ar. Pol. مُتْعَبِين *defatigati*, Erpenii ضعيفين *debiles*. Habent sub triplici radice Arabes حسل, خسل et خشل *despecti*, *vilioris*, *sequioris*, notionem, حسل *despexit*, in secunda, *minus fecit quam oportuisset*,

sibi

sibi defuit, unde خُسَالَة *res sequior*, quae *decidit*, *abjicitur*, — خَسَلَ *rejecit*, unde, quod Hebraico maxime convenit, خُسَّلٌ *debiles*, *viliores*, — — خَشَلَ *rejecit tanquam vilius*.

Chaldaica quidem bibliorum verba nihil ad me: Hebraica tamen significatio cum et dari Chaldaico Dan. II, 40. soleat, idque perperam fieri existimem, liceat et de hoc loco dicere. Displicet sane, ipsis auribus displicet, *quemadmodum ferrum comminuit et debilitat omnia*: debilitandi verbum languet, ubi fortius exspectasses, et vero post aliud fortius positum. Interpretemur potius Chaldaicum verbum ex Syriaco ܚܫܠ *fabricare*, proprie, *malleare*, unde et ܚܫܠܐ *ornamenta aurea et argentea*, Chaldaicumque חשל *cogitavit*, cogitatione a fabricando dicta. Eximia et apta sententia, *ut ferrum omnia alia metalla malleat*. Praeivit ex veteribus Syrus, ܐܘܫܐ vertens, quod sine dubio est, *malleare*, *fabricare*: vide versionem Syriacam Jes. XLI, 7.

LXX quod habent et Theodotion, δαμάζει, indeque Vulgata, *domat*, eodem redire videtur, *domare* enim metalla quid est aliud, quam, malleare, minus tamen proprie dictum, unde non debuisset in lexica recipi. Satis bene ex Theodotione reddiderat Arabs, يُرَصِّ, cujus verbi vis in *fabricando* est: sed male Romana editio, Vulgatae serviens, mutavit in يَغْلِب *vincit*, idque latine vertit, *domat*.

Caeterum negare nolim, cognationem duplicis significationis, *debilitatis*, et, *malleandi*, hanc forte, quod duriora et fortiora malleant sequiora: sed nec adsentiri etymologiae aut subscribere ausim, fieri enim possit, ut ea radix, cui malleandi significatio propria, Arabibus perierit, ejus loco tria unius notionis verba habentibus, sonorum confusione. Sed hoc utcunque sit, nolim vel ex vero etymo vertere: *ferrum debilitat alia metalla*, sed, *malleat*.

חשמנים Ps. LXVIII, 35. *incolae regionis Asmunein.*

Nomen ἅπαξ λεγόμενον ut adpellativum vertunt plerique, sed perquam discordes, nec praeter conjecturas, linguarum orientalium usu destitutas, quidquam adferentes. *Legatos* habent LXX. Vulg. et Syrus, quod in nulla Asiae lingua nomen significat: Symmachus, ἐκφανέντας, manifestantes, forte ἱερογραμματέας Aegyptiorum intelligens, elegantiore quidem et docta, sed tamen conjectura: ἐσπευσμένως, *festinanter*, Aquila. Solus aliquid philologici, sed mutatis literis, dedit Chaldaeus, חוּסְמָנַיָּא *capistrati*, i. e. deo jam obedientes, ejusque regno subjecti, חסם conferens, de quo vide p. 866. scripta.

His quidem omnibus antiquorum aut conjecturis abdicatis, aut auctoritatibus, Rabbinorum conjectura, duce Davide Kimchio in pleraque lexica immigravit, *magnates* esse, seu, ut ipsius Kimchii verbis utar, אנשים גדלים ונגידים *viros magnos*, et *nobiles*. Nihil ejusmodi habent linguae Orientales, sed en ut rem instituant! Principes regesque ex tribu Levi, Matthathiae posteri, qui rebus Judaeorum praefuerunt, in tabulis Thalmudicis חשמנים vocantur, fuerunt hi magni viri et nobiles, ergo חשמן virum magnum et nobilem significat. Atqui hoc unde nomen acceperint, quid significaverit, plane incertum, verisimiliore illorum sententia, qui nomen fuisse proprium aut cognomen alicujus ex progenitoribus Hasmonaeorum putant, Joannis forte Hyrcani. Frequentia illo tempore inque illa familia cognomina, omnes illis insignes Matthathiae filii, 1 Macc. II, 2-5. ipsumque adeo, *Hyrcanus*, cognomen, a rebus in Hyrcania gestis inditum: nec dedecuerit eundem virum aliud cognomen, חשמן, *gladius*, (coll. حُسَام) ut Judas, *malleus* belli, מקבי dictus est. Sed et haec incerta, id unum certum, nullo linguarum orientalium indicio *magnatum* notionem confictam, nec verecunde repudiatis omnibus veterum,

in

in quibus aliquid auctoritatis residebat, conjecturis in lexica receptam esse.

Multo melius alii, ut, teste Raschio, R. Menachem, pro nomine proprio habuerunt, populi aut nomi ignoti, nec ignorantiam fateri pudori fuit. Id quidem non verisimile, sed jam plane certum existimo, collatis LXX Genes. X, 14. qui pro Hebraeo כסלחים χασαμωνιεὶμ habent, sive, quod חשמנים in suo pentateuchi exemplo legerent, sive quod geographiae patriae Aegypti periti, aliquam nossent Aegypti provinciam, cujus nomen his ipsis scribebatur literis, et quam pro כסלחים Mosis habebant. Quis jam quaeso dubitare possit, ubi *ex Aegypto venturi* dicuntur Chasmonaei, quin illi ipsi, quos LXX in Aegypto noverant Chasmonaei designentur? Nec urbem aut nomum cognominem diu quaesierit geographiae Aegyptiae modice peritus. In tabulis Aegypti d'Anvillianis sub longitudine 48′, 35″ latitudine 28′ 5′ medio inter Nilum et canalem Josephi loco, invenies, urbem *Aschmunein*, de qua copiosius egi in notis 222–225. ad Abulfedae Aegyptum. Ingentem regionem habet sibi cognominem, traditionibus etiam Aegyptiorum nobilissimam. Wanslebio enim teste (relation d'Egypte p. 3) narrant, *Misraimum quatuor filios habuisse, Ischmun, Atrib, Sa, et Copt, Ischmuno autem dedisse, quidquid Coptum inter urbem et Menufam est.* Nec obstat, quod nomen per Eliph اشمونين scribitur, Arabes enim sic suis literis exprimunt, ut, quo tempore Aegyptum devicerunt, mollius jam et Graeco more adpellabatur: quamquam vel ipsi Aegyptii A habuisse videntur, ubi asperius adpellantes Hebraei ח. Sic *Apis*, חף, quod supra vide. — Est ergo, superioris Aegypti nomus populusque, et vero olim nobilissimus.

חשף, *nudavit*, *hauſit aquam.*

Nudandi in hoc verbo ſignificatio notiſſima, nec mea eget confirmatione: id unum noto, ad eam et Chaldaicum חסף *pudore adfectus fuit*, et Syriacum ܚܨܝܦ ܐܦ̈ܐ *impudens*, referendum videri, et pudore dicto a nuditate, nudi enim erubeſcimus, et impudentia, a nudando vultu, et omnibus proterve oſtendendo. Arabes hac ſignificatione non habent.

Idem verbum et de *hauſtione aquae* poni Jeſ. XXX, 14. Hagg. II, 16. dudum ante me a lexicographis obſervatum, nec de ipſa ſignificatione ambigi poſſe reor: de ſola dubitaverim derivatione. Referunt fere, Kimchium ſequuti, ad *nudandi* notionem, quod hauſta aqua, quae terrae ſuperſtagnat, terra nudetur, (vide Coccejum): non obſtrepo; nec contemno, quaerere tamen liceat, ſitne potius denominativum a خَسْف *locus in puteo, unde exit aqua*, خَسُوف *puteus perennem ſcaturiginem habens*, quorum utrumque eſt a خسف *ſub terram depreſſus fuit.* Interrogare, non docere aut ſtatuere, exiſtimari velim.

חשק *Transfixit*, *effodit*, *adhaeſit*, *amavit*, *cupidus fuit.*

Primam verbo notionem ex lexicographis doctiores et acutiores faciunt *adhaerendi*, unde *amorem intenſiſſimum* dictum volunt, quem ſine dubio plerisque in locis ſignificat, deducente nos ad illum filo orationis. Perquam illi veriſimiliter, licet plerique argumenta ſententiae non addiderint: praeivit ipſum etymon, non poenitendus auctor, interpres Latinus, Geneſ. XXXIV, 8. *adhaeſit anima ejus ſorori veſtrae:* concinit conſtructio frequens cum ב, Geneſ. XXXIV, 2. Deut. VII, 7. X, 15. XXI, 11. Pſ. XCI, 14. Addebat et Arabiae conſenſum Simonis, عشق *impenſe amavit*, conferens: literarum equidem permutatione parum delectatus, potius خسق attulerim, *penetravit telum*,

id

id vero eſt, *adhaeſit*. Kimchii quidem et Cocceji conjecturae nunquam placuerunt, *conjungendi* et *coagmentandi* notionem primariam verbo ex ſolis derivatis nominibus, de quorum ipſorum ſignificatione diſputatur, eſtque anceps quaeſtio, nullo linguarum orientalium uſu commiſcentium. Hanc ergo adhaerendi, indeque amandi, cupiendi, delectandi ſignificationem veriſimiliorem habeo. Veterum non paucos in alia omnia cum abire video diſcordes inter ſe, atque inconſtantes, quorum diſſidia enarrare longum, inde hoc accidiſſe reor, quod verbum, vel in ipſa Arabica lingua rarius, in vivente Syriaca plane perierat, ut de eo conjicere neceſſe haberent.

Sunt tamen, fateor, qui me urſerunt, ſcrupuli, nec id diſſimulandum arbitror. Primo, خسق poteſt quidem reddi, *adhaeſit*, ſed artificialiter, proprie enim eſt, *perforavit telum, infixum eſt*, cujus conſequens eſt, ut adhaereat. Nec vero omnia, quae ex primo actu conſequuntur, ſunt verbi illum denotantis vera ſignificatio. Dubitare ergo omnino poſſis, unquamne adhaerendi notio verbo propria fuerit, atque ad alia potuerit transferri. Hanc tamen primam dubitationem prope diſperire video, animum ad loca ubi cum ב conſtruitur advertens, quorum nulla certe alia ex ulla linguarum Orientalium reddi ratio poteſt. – – Sed, quod majus eſt, non ſatis apta ſedet haec notio locis non cum ב conſtructis, inprimis Jeſ. XXXVIII, 17. חשקת נפשי משחת: ſylleptica conſtructio, qua plerique accipiunt, *amaſti me ex fovea*, i. e. amans me extraxiſti, utcunque illis placeat, mihi tamen videtur duriuſcula, et vero intolerabilis, ſi amor ab *adhaerendo*, adhaerere a *transfigendo* et *perforando* dictum ſit. Cui quaeſo, niſi plane perierit verbi primitiva ſignificatio, haec ſe probabit phraſis: *adhaeſiſti mihi ex fovea*, ſive adeo, *transfixiſti me ex fovea*, pro, *amans mei ex fovea me extraxiſti*. Hoc quidem dubium fateor ſolvere haud me poſſe, tota ergo videtur denuo retractanda quaeſtio.

 Ante

Ante omnia nobis ipsi fateamur, accidere posse, ut aliquid hic ignoremus, a reliquis destituti linguis Orientalibus. Verbum plane non habet Syria, Chaldaicam linguam in his dubitabilibus ne numero quidem ubi a Syriaca destituitur: Arabia habet quidem خسق ejusdem, ut lexica notant, cum خزق significationis, sed خشق, حسق et حشق plane nobis perierunt, quibus radicibus potuerunt significationes subfuisse mortuae Hebraicae linguae, nisi et ipsae emortuae essent, lucem adferentes. In Hebraicis quidem tantum novimus, quantum ex Arabica et Aramaea lingua, vix ultra.

Arabicum quidem خزق, quod alteri خسق plane idem et synonymum esse videtur, plures complectitur cognatas notiones, ex quibus, quae prima sit, quae secundaria, definire non ausim:

1) *confixit*, *transfixit hasta*, *penetravit telum*: unde, *adhaesit*, *amavit*, ortum volunt, nec, ut dixi repugno, licet haec Hebraeis usitata significatio exemplis Arabicis non confirmetur. – – Huc nomen חשקים, de quo infra agemus, una cum suo verbo denominativo, referendum.

2) *Secuit*, *scidit*, *laceravit*, e. g. vestes quam significationem Castellus in lexico exemplis confirmavit.

3) Et *fodiendi* significatum habuisse videtur, cum primo conjunctissimum, si utrumque ad *perforare referas*: unde, خاسق et خَيْسق *putei* sunt, et vero *profundi*, posterius etiam, *sepulcrum profundum*.

Hanc fodiendi notionem licetne ad Jes. XXXVIII, 17. transferre, et חשקת נפשי משחת vertere, *effodisti me ex fovea*, i. e. a mortuis reduxisti, jam sepultum ex sepulcro effodisti? Proxima sententiae Vulgata, quae habet, *eruisti animam meam*.

Est

Est tamen et, sive ob hunc ipsum Jesaiae locum, cui forte ex ea lucem speres, sive ob derivata nomina, ad quae nonnulli explicanda transtulerunt, notanda

4) quarta significatio Chaldaica, *ligandi* et *accingendi*, forte a trajiciendo et transfigendo ducta, quod lorum per foramina trajicitur, ignota tamen Syris. Monuit jam ad Exod. XXVII, 10. Raschius, חשק a Chaldaeo pro Hebraico חבש, *accingere* asinum, poni, Judic. XIX, 10. pluraque exempla Buxtorfii lexicon dabit.

חֲשֻׁקִים *perticae* Exod. XXVII, 10. 11. XXXVI, 38. XXXVIII, 10. 11. 12. 17. 19. 28.

Dupliciter scribitur, sine Vau חֲשֻׁקִים et cum Vau חשוקים, aliqua ubique varietate lectionis, sed חשקים sine Vau plurima ferente codicum suffragia. Ubique ex חשקים *aulaea* dependent, dubitatum ergo inter *annulos*, et *perticas*, ex quibus suspenduntur: mihi quidem ex significatione verbi, *transfixit*, *penetravit*, perticae praeferendae videntur. *Hastam* proprie diceres, sed hastae nomina Arabibus plerumque et de quovis baculo recto ponuntur: quin Arabicum صِشْقٌ *lignum acutum* est, quo *velut veruculo res complures transfiguntur*, ut, *dactyli*. Ab hoc ergo nomine, secundum puncta quidem masorethica verbum denominativum ortum, חִשֵּׁק *perticis transfigere*, i. e. perticas trajicere, exque illis aulaea suspendere. Exod. XXXVIII, 17. 28.

Nec me fugit, quid perticis opponi possit, ipseque mihi olim dubitaturus notavi: חשקים fere ubique argenteas dici, at argentum non satis rigidum perticis ex eo faciendis, quae non possent non in medio gravitate incurvari, nec sufficere perticis pondus argenti Exod. XXXVIII, 28. memoratum. Sed et in promtu responsio: perticae argenteae non sunt, totae ex argento factae, sed ligneae argento obductae.

ductae. Possis adeo mutatis punctis Exod. XXXVIII, 28. legere, וְצִפָּה רָאשֵׁיהֶם וְחָשַׁק אֹתָם *obduxitque capitula columnarum et perticam cum illis.* Sed hoc in incertis relinquo, unum certum, perticas argenteas, ex quibus gravia aulaea suspendenda, neminem rei peritum intellecturum aliter, quam, de obductis argento.

Veteres quid habeant, forte quaeras? Valde illi discordes, ut in conjiciendo de vocabulis artificiorum fieri solet; nec bene hic rem egeris versiones latinas bibliis Polyglottis adjectas legens. Graeco interpreti sunt, ψαλίδες, i. e. *forfices*, vel etiam, *circuli*, vel, *annuli*, ex quibus aulaea suspendebantur: — — Latino interpreti, *caelaturae*, unde? et quo sensu? longioris, quam ut hic eam locus capiat disputationis: — — Chaldaeo כִּבּוּשִׁין, quod ipsum vocabulum quid hic significet, alias enim gradus scalae ita vocantur, obscuriusculum, nec sine disputatione longiore quam utiliore hic expediendum: *fila* forte, ac *ligamenta* significat, sic certe accepit Raschius. — — Syro ܨܘܪ̈ܦܐ *incrustationes*, i. e. obductio ex argento: — — Samaritano חלבושין, *indumenta*, quod forte ipsum de obductione intelligendum: — — Arabi utrique, طليات vel طليان, a طلى *obduxit*, auro vel alio metallo, vel etiam *alligavit*, ut de ipsius interpretis sententia disputari possit, licet prius praeferam. Copiosius haec tractarem, si gratum me facturum lectoribus arbitrarer: sed sufficiat, digito indice aliqua monstrasse.

חִשֻּׁקִים *radii rotarum* 1 Reg. VII, 33.

Et hoc in aliis codicibus vocabulum cum Vau scriptum reperitur, חשוקים. A praecedente sejunxerunt, aliisque punctis instruxerunt masorethae: cujus facti caussam nullam video. Mihi plane idem videtur, et utrumque a transfigendo hastam denotare, id vero est, ubi de columnis aulaeisque sermo, perticam, ubi de rotis, radium. Sic

qui-

quidem ex recentioribus aliqui, ſunt tamen et hi, et veteres, valde diſcordes. Radios qui habent, alii pro גבים, pro חשרים alii poſuerunt. Conjeciſſe plerique, ac ne etymo quidem explorato interpretati videntur.

Valde hic veteres, ut in artificiorum nominibus accidere ſolet eruditis, diſcordes; ſed de his vide ſub חשרין num. 884.

חשר

Verbum non occurrit in codice Hebraico, eſt tamen de eo ob derivata inde nomina dicendum, ne quid in illis erroris admittatur. Plane non habent Syri, quatenus linguam eorum novimus: Arabicum حسر *nudavit, orbavit*, ut et خسر *jacturam fecit*, non huc referenda videntur, ſed ad חסר.

At ſub حشر Arabia habet, quod in noſtros vertere uſus poſſimus, duplicem verbo dans ſignificationem, ramis etiam diverſam, quae quomodo ſub unam ſit revocanda, malim etymologiae ſtudioſioribus anquirendum relinquere. Eſt nempe

1) *congregavit*, quae notiſſima ſignificatio, Corano maxime de congregatione ad extremum judicium frequens, ut Sur. XIX, 69. A congregando, et *mori* dicitur, fere ut in Hebraico אסף, nec de hominibus ſolum, qui ad Deum judicem congregantur aut ad patres, ſed et de brutis, unde et Golius habet, *perdidit exitio dedit gregem.* Sic forte et intelligendus, in quo commentatores laborarunt, Corani locus, Sur. LXXXI, 5. in deſcriptione diei noviſſimi,

واذا حُشِرَتْ الوحوش *et cum animalia perierint.*

2) *exacuendi*, indeque et, *conciſe atque eleganter formandi*, unde حَشْرَةٌ *tenuis atque acuta cuſpis.*

Adde his et

3) خشر *mundavit a quisquiliis et ſequioribus*, indeque خُشَارٌ, *quisquiliae*, *purgamenta*. Huc quidem referendum Chaldaicum, חשר *eribravit*.

חֲשָׁרָה *congregatio*, *copia*. 2 Sam. XXII, 12.

Ex his, quae praemiſi, jam et de חשרת מים 2 Sam. XXII, 12. ſtatuendum, nec quidem novi quid inveniendum, ſed conſveta ſententia ſtabilienda erit: *congregatio aquarum*, quod ſtatim interpretatur vates, עבי שחקים, *nubes nubium*, i. e. nubes nubibus impoſitae, ut ſolet eſſe facies coeli graviore tempeſtate. Ruſticus olim phaenomenon noverat, quod ſenſibus ſe ipſis ſaepe offert, philoſophus nunc etiam cauſſas, vimque electricam, qua nubes nubem attrahit, eique contraria fulmen ejaculatur, expedire incipit.

Iisdem, quae praemiſi lectis, non interpretaberis, *exitium aquarum*, *internecinum diluvium:* videbis enim ubi حشر de *morte* ponitur, hanc ipſam notionem a congregatione fluxiſſe, ut quidem *congregatio hominum*, poſſit eſſe, *hominum internecio*, at, *congregatio aquarum*, vix de *internecione* ex diluvio poni poſſit.

Vulgatae etiam ratio reddenda, habentis: *cribrans aquam.* Cribrandi ſignificationem, Chaldaeis, ut dixi, uſitatam, a ſuo Rabbino didiciſſe Hieronymus videtur, eoque praeeunte huic loco aptaſſe. Nempe nubes, pluviam demittentes, cribro comparabat: quae quidem imago mihi haud placet, nec velim talia ceciniſſe, licet videam, ſimilitudine guttarum per cribrum deſcendentium, defendi a cupido poſſe.

חִשֻּׁרִים 1 Reg. VII, 33. *modioli.*

Ἅπαξ λεγόμενον, aliquam rotarum partem denotans, quarum quatuor, ידות גבים חשקים חשרים, nominantur. Solum etymon ſi conſuleres, et *radios* ſignificare poſſet, et *modiolos*, ſuntque veteres

per-

perquam inter ſe diſcordes, forte et vocabulis ab interprete transpoſitis. Recentiores fere in *modiolos* conſentiunt, i. e. *partem rotae quae circumdat axem, et circa eam volvitur, cuique infixi ſunt radii.* Hos quidem hanc ob cauſſam probo, quod *radios* חשקים, (*haſtas rectas*) eſſe cenſui. Acceperint ergo modioli nomen ab *incidendo, foraminibusque*, quibus radii infixi ſunt.

Valde diſcordes veteres, ut eorum uti auctoritate, vel quidquam ex illis diſcere, haud liceat: ſed in illorum diſſidiis enarrandis neceſſe eſt, חשרים et חשקים conjungere. Ergo

1) utrumque uno vocabulo exprimunt LXX, καὶ αἱ πραγματεῖαι αὐτῶν, *artificia earum*, vel, *totum opus*. Id poſſit quidem nomen noſtrum ſignificare, a حشر *eleganter formavit*, (p. 979.) ſed non eſt hujus loci, ubi quatuor rotarum partes alia ab alia diſtinguuntur.

2) Idem dicendum de Syro, qui, duplici quidem uſus vocabulo, ܨܒܬܗܝܢ ܘܫܘܦܪܗܝܢ, *formationem et pulcritudinem* rotarum, vertit.

3) Ex mera conjectura Arabs, سوسنها ونرجسها, *lilia et narciſſi earum.*

4) Chaldaeus pro utroque repoſuit, חופיהון וכבושיהון, incerto ſignificatu. Prius חוּפֵּיהוֹן cum Dageſch legendum arbitror, ſecus atque eſſe ſolet in editis, referendumque ad חָף, *dens, clavis ferrea*, quo nomine *canthos* intelligo: aequius etiam cum Chaldaeo agens, ſuſpicor, nomina eum in vertendo transpoſuiſſe, ſolet enim alias, חשקים, ut p. 978. dixi, ignorantiam ſimul faſſus, כבושין vertere.

5) Vulgata, גבים vertit, *radios*, – – חשקים *canthos*, — — חשרים *modiolos*, qua eam parte ſequor.

6) Ra-

6) Raſchio גבים ſunt *foramina*, - - חשקים *orbes circa rotas*, (*canthi*) - - חשרים *brachia rotarum*, *quae a tergis ſuis infiguntur orbibus ſuis*, *vocanturque Gallice*, *les rais*. (radii)

7) Kimchius, ingenio praeſtans, ſed philologiae imperitior, unde conjecturis uti ſolebat, קשור *vinculum* in lexico vertit, ne docens quidem, quid *vinculorum* nomine in rotis intelligat: radios, credo.

חשש *gramen aridum*, *foenum* Jeſ. V, 24. XXXIII, 11.

Mirum, errari hic potuiſſe ab his, qui lexica ſcribere ſuſceperunt, donec primus Simonis *pabulum ſiccum*, vel, *foenum*, auctoritate linguae Arabicae redderet. Nempe حَشَّ, maxime in quarta conjugatione, eſt, *aruit*, unde nomen حَشِيش et حَشِيشَة proprie, *herba ſiccata*, virenti oppoſita, *foenum*. Inſigne exemplum oppoſitionis dabit tertia Locmani fabula, *depaſcebantur quidquid erat in vicinia* من الحشيش والعشب *foeni et herbae* (viridis). Hinc et verbum denominativum, quod Golius aliique te docebunt, حَشَّ *foeno nutrivit equum* &c.

Inſignis locus, ſed qui cum difficilis videretur interpretibus, occaſionem illis dedit, aliam nomini חשש ſignificationem comminiſcendi, Jeſ. XXXIII, 11. poſtquam enim dixiſſet propheta, תהרו חשש *parturietis foenum aridum*, addit, רוחכם אש תאכלכם, *halitus veſter ignis erit*, *qui vos conſumet*, i. e. veſtra ipſi ope, veſtris conſiliis peribitis. Imago, niſi fallor, petita a foeno, quod ubi recens, ſuo nonnunquam halitu inflammatum, ignemque ex ſe concipiens, comburitur. Sed hoc non cogitans, ignisque mentionem fieri videns, Hieronymus, *ardorem* vertit, itque altero loco *calorem flammae*: quod ex Vulgata et in lexica receptum, ut, in Reuchlinianum.

Kim-

Kimchius ex mera conjectura, componi cum קש *ſtipula*, videns, קש דק *ſtipulam minutam*, (ſub tribulo conciſam) et גבבה *ſtipulam*, interpretabatur; qui ſi patrem Arabicae linguae peritum interrogaſſet puer, meliora dare potuiſſet. Sed et hoc in lexica tranſiit. Syrus Jeſ. XXXIII. *ſpinas* habet, ob ignis credo, quae ſequitur mentionem. Spinas ab ariditate dici potuiſſe, non nego: ſed cum foenum inde non dici modo potuerit, ſed et dictum ſit Arabibus, ac loco utrique egregie aptum, quis non praeferat?

חתך *decidere* Dan. IX, 24. נחתך *fatum?*

Ἅπαξ λεγόμενον, nulla in Kennicottianis bibliis lectionis varietate, quod ſolet ad radicem חתך referri: poſſis quidem et ad alias, ut נחת, ſed de eo non hic eſt dicendi locus. Notionem ei dant interpretes lexicographique, ex Chaldaico חתך, cujus prima vis ſit, *ſecare*, *caedere*, quam ex Thalmudico, חתוך, חתוכה, *inciſio*, *ſegmentum*, *pars abſciſſa*, (e. g. carnis, חתיכת של בשר) probant (*), inde vero et, *decidere*, Eſther IV, 5. Addunt his et tertiam *abbreviandi* ſignificationem, ex Vulgata ſumtam, quae in loco Danielis habet, *abbreviatae ſunt*. Suſpecta res videri poſſit, Syria verbum plane non habente, quod ubi accidit Chaldaicae linguae non magna auctoritas, minor etiam Thalmudicae: ſed opem fert Arabia, aliquas harum ſignificationum ſervans reliquias, حَتَكَ *inceſſit*, *peculiariter*, *contracto et properante gradu*, حُوتَكٌ *brevis*, Vulgatae maxime verſioni ſuppetias ferens, ac, ne dubites, ut video nonnullis accidiſſe, vitium typographicum pro, *levis*, habentibus, etiam, *pumilio*, حَتْكَان, *levis*, *agilis in inceſſu*, *celer*. Nec nulla veterum auctoritas, qui ſive hoc ſive illud praeiverunt: Symmachus, etymon exprimens, συνετμήθησαν,

(*) Vide Kimchii lex.

θησαν, ſed triplici explicationis divergio, (poſſit enim eſſe, *deciſae ſunt*, *abbreviatae ſunt*, *feſtinant*) LXX. ἐκρίθησαν, *judicatae*, i. e. *decretae ſunt*.

Harum ſignificationum quae ſit loco Danielis aptiſſima? *ſeptuaginta hebdomades abbreviabuntur?* (quod quidem magnopere diſplicet, licet in hac abbreviatione myſterium quaeſierint, coacturi Danielem ad ea, quae volunt, dicenda) *feſtinant*, *decretae ſunt? adventant?* non eſt lexicographi diſpicere: grammatico tamen forte praeplacuerit, ad vitandam anomaliam verbi ſingularis cum, *ſeptuaginta hebdomades*, conſtructi, puncta mutare, נֶחְתָּךְ et, *deciſum*, *fatum* vertere, *ſeptuaginta hebdomades decretum ſunt Dei ſuper populum tuum.*

Ad נחת relatum, נֶחְתַּךְ quid ſignificet vide ſuo loco, aut in meo de LXX hebdomadibus tentamine (*).

חתל *faſciis involvit.*

Quam lexica habent ſignificationem, *faſciis involvendi*, nominumque חתלים ac חתולה *faſciae*, ex filo orationis certa et indubia, maxime Ezech. XVI, 4. ſuſpicionem tamen aliquam cum ei adflare poſſit dialectorum ſororiarum aut ſilentium, aut diſſenſus, et de hoc dicendum. His quidem ita obſolevit hac ſignificatione verbum, ut vel eo, quem dixi, loco, nullus interpres Orientalis harmonice verterit, licet in rei ſumma omnes conſentiant, ſed Syrus, ܒܥܙܘܪ̈ܐ ܠܐ ܡܥܙܪܬ (*faſciis te non involvit*) Chald. באסורין לא אתאסר (*vinculis*, i. e. faſciis, *non ligatus eſt*) exque Graeco καὶ ἐν σπαργάνοις οὐκ ἐσπαργανώθης, Arabs لم تُقَمَّطي باقماط.

Supereſt tamen aliquod antiquati verbi veſtigium in Arabico خِتْل *tegmen*.

Con-

(*) *Verſuch über die 70 Wochen Daniels.* Exteri ejus loco conſulant, *epiſtolas meas ad Joannem Pringle* Lond. 1773.

Consveta, quam خَتَلَ tribuunt significationem lexica, *decepit*, *circumvenit*, *versute egit*, nisi fallor ex alio verbo adscititia: idem enim significat, et خَتَرَ, et اِخْتَالَ, conjug. 8. a حال *circumvenit*, cujus futurum apocopatum يحتل (pro يحتال) ab indocto vel Arabe pro futuro primae a r. حتل haberi possit. Saepe ita a verbis conjugationis octavae errore ad aliam radicem relatis, nova verba oriri, in grammatica Arabica §. 27. monitum, potueritque et ح cum خ sive vulgari linguae, sive etiam librariorum errore confundi. – – De suspicione, pro חתל *decipere*, alicubi חתל legendum esse, sed quam codex nullus confirmavit, vide pag. 574.

Chaldaicum חתול *felis*, sitne ad حتل *dolosus*, *callidus fuit*, referendum, ambigi possit: Bochartus P. I. hieroz. p. 862. cum Arabico خَيْطَل comparavit, quod tamen ipsum sine derivatione ponitur, possitque, si literae ח et ט hic permutatae, ex Chaldaico חתול ortum esse. De hoc ergo felis, aut etiam apud Arabes canis nomine, non liquet.

Syriaca lexica חתל plane non habent, huic ergo linguae totum periisse stemma videtur.

חתם *ligavit*, *clausit*, *obturavit*, *obsignavit*, *stupuit membrum*, *claudicavit*.

Obsignandi, *sigillum imprimendi*, significatio notissima, Hebraico verbo cum Syriaco, Arabicoque ختم communis. Est modo de quibusdam dicendum specialioribus ad hanc vel illam rem translationibus.

I) Job. XXXVII, 7. de *obsignatione manus* ponitur, i. e. cum sigillum manui imprimitur, vel inuritur, quo mancipium ut nostrum, aut deus si imprimat, ut sacrum et inviolabile noscatur: *manibus omni-*

um hominum ſigillum imprimit, ut noſcant (fulmina) *homines, opus ejus.* Nempe incredibile, ac miraculo proximum, quam ſancta, ut ita dicam, mortalium vita fulminibus, quorum vix ex millies millenis unum mortiferum: id quidem aliqua hyperbole ita eloquitur Elihu, ac ſi mortalium omnium dextris ſigillum ſuum impreſſiſſet Deus. Eadem imago, quae Apoc. VII, 2. 3. niſi quod ibi fronti ſigillum, nec omnium, ſed electorum imprimitur. Petita imago a more antiquo, ſtigmata inurendi.

II) *Obſignare diſciplinam* vel *caſtigationem*, (Job. XXXIII, 16. בְּמֹסָרָם יַחְתֹּם) eſt, clam in aurem dicere, quid peccati admiſſum, quid emendandum ſit, quod deum in ſomnio, angelo interprete, facere credit Elihu: niſi potius hic mutatis punctis efferendum, יְחִתֵּם, *caſtigatione eos terret, percellit.* Sic LXX. Syr. Aquila, et Lutherus. Hoc quidem in verſione germanica praetuli.

III) Levit. XV, 3. de gonorrhoea poſitum, כי החתים בשׂרו מזובו *obſtructionis* ſignificatione non poteſt non accipi, *cum obſtructum fuerit membrum ejus pudendum a fluxu:* duplex nempe gonorrhoea memoratur, *fluens* ac tanquam ſalivam emittens, et *obturata*, atque utraque impura pronuntiatur. Confirmat verſionem Arabia, cui خَتَمَ obſignare in quarta conjugatione, Hiphil Hebraeorum, eſt, *obſerare, claudere*, oppoſitum افتتح *aperuit.* Eodem verbo, ut ſuis in linguis noto, uſi hic, Arabs Polyglottorum, Syrus, et Samaritanus, (חתים) Maurus per غلق interpretatus eſt, *clauſum fuit.* Obturata gonorrhoea quae ſit, hic non diſputo: dictum de illa in notis ad hunc locum, ac jure Moſaico §. 212. Adde bibliothecam Orient. T. XXII, n. 322.

IV) *Stellas obſignare* dicitur Deus Job. IX, 7. i. e. *claudere, nube obducta tegere*, ne luceant videanturque: audax phraſis ac ſingularis,

cui

cui similem adhuc quaero. Sed suspicor, primam vim verbi in *ligando* et *claudendo* esse, unde et obsignare dictum.

V) Arabibus, ut ad Job. XXIV, 6. XXXVII, 7. docuit Schultensius, habentque et lexica, خَتَمَ et de *stupore*, (rigore membrorum immobili) ponitur, unde *stupefaciens medicamentum*, (narcoticum) خاتم. Transfert hoc ad locum Jobi quem dixi, XXXVII, 7. in quo equidem dissentio, aliam ejus interpretationem sub num. 1. professus. Ipsam significationem non solum non nego, sed et addo Samaritanae linguae consensum, cui חתום Genes. XXXII, 32. pro צלע (*claudicans*) ponitur, והוה חתום על ירכה *fuit claudicans in latus suum.*

Suspicor jam, significationes omnes ortas a *ligando*, indeque dici 1) *claudum*, tanquam pede ligatum 2) *omnem cujusque membri obligationem*, i. e. cum inutile fit, flaccidum pendet, stupet 3) *gonorrhoeam clausam* 4) *clausas* i. e. velatas nubibus stellas, 5) *obsignationem* sigillo factam, quae frequentissima evasit significatio, ac tanquam propria verbo nominibusque facta est inde derivatis.

חתים 1 Sam. II, 4. *torpens, iners.*

Ad hanc et *torpendi* et *flaccescendi* notionem retulerim, sed mutatis punctis, 1 Sam. II, 4. קֶשֶׁת גִּבּוֹרִים חַתִּים *arcus fortium obtorpuit, flaccidus, iners factus est.* Consvetum חַתִּים (*fracti sunt*) aegre ferunt rationes grammaticae, cum קֶשֶׁת singularis numeri sit, nec ad גִּבּוֹרִים, quod genitivi casus est, referri plurale חַתִּים bene possit. Scio Glassium, ejusque sequaces, ejusmodi constructiones Hebraismo dare, et exempla conquirere, sed mihi dubia, quippe qui videam prope omnia mutata constructione et linguarum orientalium ope, sine ejusmodi monstro explicari posse.

חתן *adfinis, a matre ad familiam natales referens, circumcisio.*

Notiſſima vocabula, חָתָן, *ſponſus, gener*, (خَتَن, ܚܬܢܐ) חֹתֵן *ſocer*, (خَتَن) ſed omittitur in lexicis plerisque, חתן, neſcio jam quibus ſcribendum vocalibus, (Arabum morem ſequutus חָתָן optarim,) multo patere latius, atque omnem ab uxore cognationem, *adfinitatem* vocant, quin et *natales per matrem ad aliam familiam relatas* complecti. Monuit tamen breviter, non mihi ſubticendus, Caſtellus: *adfinis, Jud. I, 16. ut optime LXX et Vulgata.*

Sic quidem plane verti neceſſe eſt Num. X, 29. חבב בן רעואל חתן משה *Hobab, filius Reguelis, adfinis*, ſeu, ut Vulgata vertit, *cognatus Moſis*, Reguelis enim filio, cujus filiam duxit Moſes, non Hobabo nomen erat, ſed Jethroni: nec ulla cauſſa eſt, eum binominem faciendi. Praeivit et hic vulgata, *cognatus*, quod deinde confirmabo, praemiſſo ſtemmate Siſſorae, uxoris Moſis

Reguel
Jethro — Hobab.
Siſſora

Arabibus quidem خَتَن hac omni latitudine ponitur. Habe verba Golii: *proximus mulieris*, (ſeu potius, *uxoris*,) *ſcilicet pater ejus aut frater. Ita proprie, at vulgo, gener.* Idem et خَتَن per *Hha* ſcriptum ſignificat.

Multo etiam latius 2 Reg. VIII, 27. nomen ponitur, ubi Achazias, cujus mater Athalia filia erat Achabi (v. 18. 26.) חתן בית אחאב dicitur, i. e. *a materna ſtirpe ex familia Achabi oriundus*, vel, *ei adfinis.*

Audacior etiam nominis חָתָן *ſponſus* aut translatio aut abuſus Exod. IV, 25. ubi Moſis uxor, quae plures jam cum eo annos vixerat materque erat duorum filiorum, maritum חתן דמים *ſponſum ſanguinolen-*

nolentum vocat. Verſu ſequente addit Moſes, אז אמרה חתן דמים למולת, *tunc circumciſionem vocavit Chathan Damim.* Ad haec intelligenda notemus aequivocationem vocabuli, a commentatoribus non obſervatam: verbum ختن eſt, *ſecuit, circumcidit infantem*, inde خُتْنَةٌ *circumciſio*, خِتَان *circumciſionis locus.* Exempla ubere manu addita videbis in Caſtelli lexico. Mulier Midianitica, alii circumciſionis nomini quam Hebraeae adſveta, primo maritum cum alluſione iracunda ad circumciſionem חתן vocabat, deinde vero ipſam circumciſionem חֲתַן דָּמִים *circumciſionem ſanguinolentam*, *blutige mörderiſche Beſchneidung* ut in verſione germanica, quam inſpice ſi lubet, reddidi.

חתף Job. IX, 12. *rapuit? praeſtrinxit oculos?* an, *fregit?*

Ἅπαξ λεγόμενον, in quo explicando paulo confidentius verſari interpretes video, quam ipſe auſim. Id quidem veri ſimiliter ſumi videtur, חתף per Thau idem eſſe, quod חטף, Chaldaeis, Syris Arabibusque frequens, *rapuit:* ita tamen ſumi clanculum a pleriſque ſolet, ut ne quidem poſtuletur, quod eo minus fieri oportuiſſet, cum et aliud per Thau ſcriptum verbum ܚܬܦ alia ſignificatione Syri habeant, nec pro hac verſione veterum interpretum ullus praeter Symmachum, ἁναρπάσει habentem, citari poſſit, Chaldaeus enim, idem verbum retinens, neutrarum partium cenſendus. Ergo dividamus quaeſtionem:

1) idem ſi eſt cum חטף *rapere*, nolim, ut faciunt plerique, explicare, *ſi rapit me ad mortem quis reverti faciet illum?* quod eſt a totius diſputationis filo alieniſſimum, queri enim Jobus ac lamentari ſolet, non citam ſibi inferri mortem, ſed diuturnis ſe cruciatibus ſervari: inque elephantiaſi nil cita morte, quam omnes optare aut ipſi ſibi inferre

ferre ſolent, optabilius. Nec placet Schultenſius, qui nullo linguae uſu, ac ne quidem de exemplo ſolicitus, *raptabit*, habet, idque interpretatur, *raptim invadit more fulminis*: Arabicum enim خطف de fulmine poſitum, non eſt, *invadere*, ſed, *oculos fulgore praeſtringere*, ipſo Schultenſio non diffitente.

Malim ergo, ſi omnino ח pro ט poſitum, ex hac frequente et illuſtri verbi Arabici خطف ſignificatione, quae in ipſo prope occurrit Corani initio, Sur. II, 19. يكاد البرق يخطف ابصارهم كلما أضاء لهم *fulmen quoties illis illuceſcit oculos pene illorum abripit*, i. e. *nimio fulgore excoecat*, et Jobi verba intelligere: *tranſit ante me nec eum video*, *praeſtringit oculos nec cerno illum*. Egregia ſententia, filoque orationis perquam apta, quam ob cauſſam in verſione germanica praetuli: vide notas illi adjectas.

II) Sine permutatione literarum ſi explicare malis, Syriacum quidem ܚܬܦ eſt, *frangere*. Sufficeret lexici Bar Bahlul a Caſtello adlata auctoritas, ſed inſignem addidit locum Pſ. XXIX, 5. ܡܚܬܦ ܐܪܙܐ *frangit cedros*, ubi pro Hebraico שׁבר ponitur, et ab Arabe Antiocheno يحطم *frangit*, redditur. Sic alia prodibit verſus ſententia, ineluctabile fati divini deſcribens, *ecce frangit*, i. e. *diruit*, *quis reſtituet?* i. e. *quis reaedificabit?* Praeferre incipio, hanc quidem maxime ob cauſſam, quod Syrus, haud poenitendae auctoritatis, cum ipſius linguae utrumque verbum ܚܬܦ et ܚܛܦ vernaculum eſſet, ܘܐܢ ܢܚܬܘܦ, *ſi frangit*, reddidit.

LXX cum quid יחתף eſſet, non adſequerentur, conjeciſſe videntur, יחלף quod verterunt: ἐὰν ἀπαλλάξῃ, τίς ἀποστρέψει. Nullus ita codex, unde nec variam lectionem, ſed conjecturam dixi, haud quidem inelegantem, bona enim ex יחלף ſententia.

חֶתֶף Prov. XXIII, 28. *mors*.

Ἅπαξ λεγόμενον, longe obſcuriſſimum, in quo prope quisque ſuus, in uno concordes, quod permutatione literarum ט et ח ad חטף *rapuit*, referunt. Vulgata, *ut latro*, Chaldaeus, מטרף, *ut fera carnivora*, (diſcerpens). LXX *συντόμως celeriter*, q. d. rapide, Syrus ܡܢ ܡܚܛܦܐ *ex improviſo*, q. d. raptim. Schultenſius copioſe de Arabico خطف diſputans, ſumensque, quod omnes, ט et ח permutatum eſſe, *harpaginem* vertit, in cujus etymologica hic quidem, niſi libellum ſcribere velim, inquirere haud licet, nec opus eſſe putem, hanc enim verſionem, (de adultera ſermo) *ut harpago inſidias nectit*, quis probaverit? Idem et pag. 298. 299. حتف (*mors*) proprie vult eſſe *harpaginem*, a rapiendo dictam: verba lexici Arabici, Camuſi, adferri video, atque حتف a Schultenſio *harpago* verti, ſed argumentum non video, nihil praeter, *mortem*.

Mihi quidem, donec plus lucis adfulſerit, Arabicum حَتْف *mors*, iisdem literis ſcriptum ſuffecerit: nec definio, unde *mors* dicta, utrum mutatione literarum a rapiendo, an a Syriaco חתף *frangere*, (quamquam poſterius mihi, nullo alliterationum artificio egens, praeplacet) gratiam etiam habeo Schultenſio, quod Camuſi, mihi inacceſſi, verba excerpſit. Donec ergo, ut dixi, aliquid novae lucis, Hebraica verterim: *illa* (adultera) *ut mors inſidiatur*. Mors inſidiari omnibus mortalibus, illisque laqueos ponere, exiſtimatur, (vide Pſ. XVIII, 5. 6.) hujus illa adultera ſimilis, hos etiam, quos ſuis laqueis cepit, neci datura. Saepe ita pro ſui temporis more, quo adultera non ſolum explebat voluptatem, ſed et conſcios criminis trucidari faciebat, Salomon.

Adſcribo lexici Arabici, Camuſi verba, a Schultenſio Arabice allata, ſed ex mea verſione, quod nomen חתף egregie illuſtrant. حتف *mortem ſignificat. Mortuus eſt morte naſi ſui* (حتف انفه) *vel, quod rarius, morte oris ſui* (حتف فيه) i. e. *mortuus eſt in lecto, non occiſus, percuſſus, merſus, combuſtus*, (morte naturali, non violenta). *Nempe hanc mortem naſo adſcribunt, quod cum halitu reciprocante ſpiritus egreditur, aut, quod putabant, hujus ſpiritum ex naſo, vulnerati ex vulnere exire. Pluralis nominis* حُتُوف *eſt, et* حتفة (lethalis) *adjectivum, de ſerpentibus poni ſolitum.* Nihil hic de harpagine, quae unius Schultenſii eſt, nihil de rapiendo, ne in

mentem quidem venit lexicographo, حتف per حطف explicare, quod ſaepe alias facere ſolent, ubi ſignificationes conveniunt. Id unum liquet, حتف generatim *mortem* eſſe, ſive violentam, ſive, ubi additur *naſi*, vel, *oris*, naturalem.

חתת, *confricuit*, *fregit*, *terruit*, *vicit*, *defluxit*, *puduit*.

Terrendi ſignificatio notiſſima, et uſitatiſſima, quam aliqua lexica ſolam habent; meliora, jam inde a Reuchlino, *frangendi* quoque et *conterendi*, male ab aliis omiſſam. Ille quidem ultro fatetur, Rabbinis ſe eam, Davidi inprimis Kimchio debere: praeierat etiam, ex qua ille multum ſumſit, Vulgata, male deinde aliis neglecta, cum ſit verſionum una omnium praeſtantiſſima. Eſt tamen de hoc verbo copioſius dicendum, ac duae duarum diverſarum radicum notiones diſtinguendae.

I) حَتَّ Arabibus eſt, tranſitive, *confricuit*, (فرك), ut ex Camuſo docuit ad Job. XXI, 13. Schultenſius, et Giggeius: intranſitive *defluxit*, e. g. marceſcens folium, ut ex Golio, copioſiusque Giggeio diſces. Huc referes ex Hebraicis ſignificationibus,

1) *frangere*, *conterere*, quod meliora jam inde a Kimchio et Reuchlino lexica ſervaſſe vixdum dixi. Exemplum pono, Jeſ. IX, 3. *baculum exactoris* הַחִתֹּתָ *fregiſti*, *ut die Midianitarum*, ubi recte Syrus et Chaldaeus verbum חבר repoſuerunt. (Sic et iidem illo loco, quem p. 987. ad aliam radicem, ſed illi ad חתת retulerunt, 1 Sam. II, 4. iidemque et Vulg. Jeſ. VIII, 9. &c. &c. &c.). Plura non colligo, quisque ſuo guſtu intelliget, quibus locis haec et primaria, et ſatis nota ſignificatio apta.

2) A frangendo et comminuendo dici potuit, *vincere*. Sic quidem video ſaepe veteres accipere, ut 1 Sam. II, 4. Vulg. *arcus fortium ſuperabitur*, Jeſ. VIII, 9. LXX ἡττηθήσεσθε: ubi ſi non conſentio, id tamen facile dederim, verbum hanc notionem habuiſſe, licet aliam illis quidem locis aptiorem habeam. Jerem. XLVIII, 20. perquam veriſimiliter Vulgata, *confuſus eſt Moab quoniam victus eſt*, quamquam et ibi aliquid dubii ſupereſt, primo, quod חַתָּה feminine vertendum videtur, *quoniam victa eſt*, nempe, de qua antea ſermo fuerat, urbs *Aroer*; deinde quod forte melius ex حَتَّ ſequente

te verteris, *quoniam pudefacta est* Aroer, dum hosti succumbit, expugnatur, quod pene eodem redit. Vide et de Chaldaeo 2 Sam. XXII, 44. bibliothecam Orient. T. XIII. p. 244. et quae ad 1 Macc. III, 22. notavi.

3) Ex intransitiva *defluendi* significatione lucem accipit, Job. XXI, 13. ubi felicium ad extremum usque halitum impiorum εὐθανασία sic describitur, *absolvunt in bono dies suos et momento morientes defluunt*, ut poma, ipsa maturitate decidua. Mirum, id interpretum neminem tentasse: primus in germanica versione exprimere ausus sum.

II) خَتَّ in quarta cum transitive est, *depressit*, *humiliavit*, unde خَتِيت *vilis*, *sequior*, tum intransitive, *erubuit*, *pudefactus est*.

Sic quidem et Hebraicum verbum accipiendum existimem Jes. XX, 5. ubi cum בוש componitur, (וחתו ובשו) Jerem. XLVIII, 20. quo de loco paulo antea dixi, הביש מואב כי חתה *pudet Moabum quod pudefacta est* Aroer, hosti succumbens, L, 2. ob parallelismum membrorum, הביש בל חת מרדך Vide quoque, et expende, 2 Reg. XIX, 26. חתו ויבושו Jes. LI, 6. Jerem. VIII, 9. XIV, 4. (ubi in altero membro est בשו, in altero חתו) XLVIII, 1. Job. XXXI, 34. (*contemtus omnium tribuum me pudefaceret*) XXXII, 15.

III) Alias omnino significationes habet Syriacum ܚܬܬ *confirmavit*, *comprobavit*, *adcurate fecit*, *elaboravit*: sed cujus in Hebraicis usum nullum inveni, nec tento, hic quidem supervacaneam, et mere etymologicam quaestionem de hujus reliquarumque notionum concordia, aut origine Syriacae.

חתחת *verecundari*, *timere*, *blandiri*, *incitare*, *pruritus*.

In masorethicis bibliis non occurrens a lexicis exsulat: legitur tamen in uno Samaritanorum codicum Genes. L, 19. חתחת אלהים אני. Errorem librarii esse arbitror, sed tamen satis felicem, unde in loco difficili, cujus nemo hucusque probabilem attulit interpretationem, non prorsus puto negligendum, sed dicendum, quid significare possit. חתחת sine dubio quadriliterum praecedentis חתת. Duae se explicationes offerunt,

1) *timens Deum*, timore sive a terrore dicto, sive a rubore et verecundia numinis, θεὸν ἐντρέπομαι.

2) Syris ܢܓܠ est, *incitare, pellicere, blandiri*, e. g. ܡܢܓܠܐ ܠܐܕܢܐ ܗܘܐ *demulciens erat* (carminum suavitate } aures, Assem. T. I. bibl. Or. p. 48. not. 1. indeque ܢܘܓܠܐ *desiderium, pruritus*, e. g. 2 Tim. IV, 3. pro graeco κνηθούμενοι τὴν ἀκοὴν, ܕܡܢܓܠܢ ܫܡܥܝܗܘܢ quod Arabs Erpenianus reddit, بالهتياج سمعهم. Id quidem video, *pruritum* a fricando dictum, itemque *blanditias*, a pruritu *cupiditatem*. Sed huic loco Pentateuchi Samaritani vix aliquid ex Syriasmo opis. Abdicanda vel hanc ob caussam videtur Samaritana lectio, quod in participio מחתחת dicendum fuisset.

מְחִתָּה, *terror, contritio quae solo aequat muros.*

Ex his, quae n. 893. de חתת dixi, et hoc nomen expediendum, cui *terroris* significationem, usitatissimam Hebraeis, neutiquam negaverim. Est ea tamen verbis psalmi LXXXIX, 41. שַׂמְתָּ מִבְצָרָיו מְחִתָּה parum apta, quae malim ex conterendi notione vertere, *posuisti munitiones ejus contritas, rasas* (nam et *radere* حتّ est) i. e. *solo aequatas*. Bene Syrus, ܣܚܦܬ *destruxisti, diruisti.*

LXX Prov. X, 29. מחתה συντριβὴν vertentes, non aliter legisse existimandi sunt, vide enim quae de חתת *frangere* supra scripsimus. Non monuissem, nisi jam recordarer, inter ea ad Trommium notata patris mei, quae S. R. Mutzenbechero descripta sunt, atque a me concessa, et hoc fuisse, p. 500. *quod nescio num οἱ ό cum* מכתה *confuderint.* Omisissem, si ipse descripsissem: sed jam forte supplementis Bieliani lexici inseretur. Ipse quoque verbis patris mei correctionem adscripseram, sed ita breviter mihi scriptam, ut non posset alius intelligere. Suspiciones etiam, non solas certas sententias, Trommio pater meus adlinebat.

חִתִּי חֵת

Nomen proprium populi Cananitici, in vicinia Hebronae, alibique per maculas colentis, sed et aliquando latius pro Cananitarum aliis quoque tribubus positum, de quo vide spicilegium geographiae Hebraeorum exterae T. II. p. 9 seqq.